*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
OSTERR NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERVDITORVM ANNO M DC XCIV

publicata,

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes
& JOH. THOM. FRITSCHIUM.

Typis CHRISTIANI GOEZI.
A. M DC XCIV.

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE HOFBIBLIOTHEK WIEN

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii, Anno M DC XCIV.

CASPARIS THEOPHILI BIERLINGII, Medic. Doct. Magdeburgenſium hactenus Practici non incelebris, uti & Academ. Leopold. Cæſar. Collegæ Primarii, THESAURUS THEORETICO-PRACTICUS *&c. cum Præfatione Jacobi* Wolff/ *Phil. atque Med. D. in Salana P.P. & Acad. Leopoldino-Imperial. Adjuncti.*

Magdeburgi apud Hæredes Johannis Lüdervvaldi, 1693. in 4.

Conſtat plagulis 158.

QUindecim abierunt anni, ex quo clariſſimus Bierlingius *Adverſariorum Curioſorum Centuriam primam* divulgans, continuationem eorum juſſit expectari. Quam fidem datam nunc demum, Centuria altera cum Syllabo obſervationum atque rerum & verborum Indice communicata, liberaſſe omnino cenſendus eſt, licet novus Theſauri Theoretico-Practici titulus eidem cernatur præfixus. Etenim hic Autori non debetur, utpote e vivis ante typum abſolutum erepto, & quidem anno ipſo proxime elapſo, quem fatalem ſibi per ſomnium jamjam A. 1676 prænunciatum fuiſſe, in *Scholiis ad Obſ. 42.*
de morte per ſomnium indicata, conjecit, in lucem alias hic Lipſiæ A. p. 573.
1640 d. 30 Octob. editus. Sed Nobiliſſimo *Wolffio*, uti Præfationem, ita & Titulum indigitatum ad aliorum exemplum præponere, vel ideo placuit, quod in Obſervationibus iſtis Scholiisque additis, tanquam Theſauro, theoretica pariter atque practica adminicula, firma imprimis præſidia ſanitatis, theſaurorum optimi, affatim erogarentur. Nec approbationem Lectoris facile denegatum iri confidimus,

Digitized by Google

modo paucula, pro more a nobis, tum quoad Obſervationes, tum quoad Scholia, nunc commemoranda, non gravetur percurrere. Sci-
p. 29. licet *Obſ.3.* calculus libras quatuor totidemque uncias cum dimidia adæquans, ferme rotundus in medium profertur, qui in equo quodam Hiſpanico duodecim a morte horis adhuc calidus ſedem ſupra renes pinguiorem intra tunicam habuerit, exemtusque calorem etiam ad ſex usque horas conſervaverit. *Obſ. 4.* Beato D. Valentino Andreæ
p. 33. Möllenbroccio, Autoris vitrico, Medico quondam famigeratisſimo, ſanguis aliquoties per porum e globulo naſi, absque ulla irritatione prævia, ſponte fluxiſſe innuitur. *Obſ. 17.* morbillorum cum tu-
p. 221. more faciei fit mentio, modo erumpentium, modo retrocedentium, absque ullo & puerulí, & puellæ, ægrotantium nocumento. *Obſ. 20.*
p. 255. ophthalmia mulieris periodica anniverſaria non niſi fonticulis cesſiſſe, iisq; reclusis oppido rediiſſe, tamdiu moleſta, donec uterque bra-
p. 267. chiorum fonticulus rurſus apertus eſſet, indicatur. *Obſ. 22.* infantem bimulum, poſt motus convulſivos præcedentes variolis decumbentem, die duodecimo ac duobus ſubſequentibus diarrhœa critica, hacq; remittente furunculi vexaſſe; itemque furunculi ovi columbini magnitudine, in univerſo alius infantis corpuſculo poſt variolas efflorui-
p. 319. iſſe narrantur. *Obſ. 24.* mira virginis alicujus, a vetula quadam in-
p. 372. cantatæ, leguntur pathemata; refferturque *Obſ. 25.* quomodo quis in Livonia tam in Lycanthroporum numerum receptus, quam a Ly-
p. 376. canthropia eadem dæmoniaca liberatus fuerit. *Obſ. 29.* acus ſarto-
p. 453. ria innoxie advertitur deglutita. *Obſ. 34.* de viro generoſo agitur, qui per plures annos de miro dolore, per intervalla, ac præſertim loquendum inter vel edendum, fulguris adinſtar a naſo ſuper os jugale in muſculis ad tempora usque acerrime affligente, repentinumque terrorem incutiente, fuerit conqueſtus, adeo quidem pertinaci, ut venæſectiones, arteriotomiæ, fonticuli, cucurbitulæ cum veſicatoriis aliaque adhibita nihil prorſus auxilii, olea vero deſtillata, e. g. majoranæ, chamomillæ, anethi, aniſi, fœniculi, rutæ, in certa proportione linimenti vice commixta & inuncta levaminis parum afferrent. *Obſ. 39.*
p. 536. puerpera ex inſomnio & ſubſecuto terrore graviter deliraſſe memoratur, poſt enematis tamen, & anodynorum, atque abſorbentium u-
p. 577. ſum feliciter reſtituta. *Obſ. 43.* ſoror Andreæ Seidelii Leucopetræ A. 1670. in epilepſiam fertur incidiſſe, cum ipſi frater mortuus, quem videre

Digitized by Google

videre anxie deſiderabat, eſſet oſtenſus. *Obſ. 46.* ſerum viri ſcorbutici poſt venæ ſectionem lactis inſtar ſanguini ſupernataſſe, ſimilemque materiam lacteam paucis annis poſt cum urina quoque aliquoties ab eodem excretam fuiſſe, proditur. *Obſ. 48.* conſenſus uteri cum labiis oris, notabilis videlicet labiorum tumor in gravida quadam ſpectatisſima, notatur, nullis remediis, partu autem peracto ſponte cedens. *Obſ. 51.* deprehendere eſt virginem ſeptendecim annorum, quam menſtrualem fluxum nondum paſſam menſibus ſingulis cephalalgia nariumque hæmorrhogia multum exagitaverint, usque vigeſimo demum anno ſolenne tributū Lunare ſolvere inciperet. *Obſ. 56.* medela tetani capitis & colli, occaſione terroris enati, traditur. Fœmina aliqua menſtruis evacuationibus nunquam obnoxia, ſex filios quatuorque filias peperiſſe, inſtante tantum partu parum ſanguinis, uti & lochia parca profudiſſe, *Obſ. 59.* enarratur. Quam periculoſum ſit fœtentem pedum ſudorem ſupprimere, nobilisſimæ cujusdam virginis exemplo *Obſ. 60.* edocetur, utpote quæ ramentis orichalci tibialibus eum in finem inditis confeſtim in febrem ardentem inciderit, nullis medicamentis abigendam prius, quam priſtina materiæ per pedes excretio fieret. In talpæ ſequioris ſexus anatomia, quæ una cum ciconiæ diſſectione *Obſ. 63.* occurrit, oculi nigri, puncticuli inſtar absque cranii perforatione atque ductu vel veſtigio nervi optici, deſcribuntur. *Obſ. 65.* ptyaliſmus in fœmina quadam nobili non medicamentis expugnatus, ſed materiæ craſſæ ac albæ per urinam excretione ſolutus habetur. A ſcabie membra paralytica occupante nonnunquam mortem prænuntiari, exemplis duobus *Obſ. 68.* oſtenditur. *Obſ. 69.* fœmina ter gravida ſemper ſuperfœtationem in utero geſtaſſe, eamque viginti ſeptimanis poſt partum priorem in lucem edidiſſe commemoratur. Rarioribus autem accenſendum, quod *Obſ. 72.* ex vulnere pectoris, ſclopeto inflicto, paucorum dierum ſpatio centum & viginti unciæ ſanguinis effluxiſſe, ac *Obſ. 73.* inveterata fœminæ epilepſia, aſſumto ſanguine humano mitigata quidem, matrimonio vero ſuperveniente perfecte curata, perhibeantur. *Obſ. 84.* ſenex & anicula exhibentur, quorum ille auditum amiſſum poſt duodecim annos in aure ſiniſtra inopinato receperit; hæc vero, niſi mane ſonitum aliquem (ein knacken/) in auribus percepiſſet, die illo minus audiverit. *Obſ. 89.* gravida ictero laborans

p. 507. p. 641. p. 655. p. 735. p. 769. p. 775. p. 807. p. 851. p. 891. p. 900. p. 927. p. 935. p. 1050. p. 1076.

p. 1115. gemellos itidem ictericos protuliſſe ſubinnuitur. *Obſ. 96.* hydrops
p. 1144. & tumor pedum ſcarificationibus curati, aſt *Obſ. 98.* purgantia & vomitoria a Pharmacopœis aliisque ſiniſtre propinata, notantur. Et tantum de Obſervationibus, quarum pleræque quidem, uti hactenus recenſitæ, Autoris propriæ ſunt, nonnullæ tamen ex aliorum etiam epiſtolis cernuntur depromtæ, v. g. *Obſ. 14.* de nævis vel potius tumoribus ex prægnantium imaginatione; *Obſ. 15.* de quadam cataleptica; *Obſ. 16.* de maculis ſcorbuticis poſt mortem cum pediculis erumpentibus; *Obſ. 25.* de morte ex emanente podagra; *Obſ. 26.* de rubedine & ſudore faciei poſt mortem; *Obſ. 27.* de duabus puellis a diabolo ejusque inſtrumentis, ſagis nimirum, ſeductis; *Obſ. 31.* de verme ſternutando e naribus rejecto; *Obſ. 35.* de epilepſia ex utero & vomitu ſupernaturali; *Obſ. 53.* de extremo, poſteriorem ſclopeti partem claudente ferro (Germanice Schwantz-Schraube/) improviſo per dextrum oculi canthum immiſſo, & ultra quinque annos in capite detento; *Obſ. 54.* de fluxu hæmorrhoidali cujusdam viri in ſenectute non magis apparente &c. Perpauca etiamnum de Scholiis reſtant monenda, quibus Autor obſervationes ſingulas, ſi *nonageſimam nonam*, compacta-
p. 1165. ta inter Chirurgos ac Balneatores tam Lipſienſes quam Numburgenſes evulgantem, & *centeſimam*, varia de variis affectibus proponen-
p. 1183. tem, excipias, voluit exornare. In his quippe non modo ex Autoribus ea adducuntur, quæ affectibus propoſitis quoad theoriam non minus atque praxin illuſtrandis inſerviunt, ſed & aliquando nova apponuntur exempla, in praxi ab Autore obſervata. Sic in *Scholiis ad Obſ. 2.* de apoplexia forti ex nimia vini Hiſpanici & ſpiritus ardentis ingurgitatione, poſtquam ex Autoribus de apoplexiæ cauſis, quantum ad
p. 22. dilucidandum caſum præſentem, actum eſt, ſenex non ita pridem apoplexia traditur correptus, quæ, licet in paralyſin ſiniſtri lateris deſierit linguæque uſum ſufflaminaverit, Veneris tamen ardorem conci-
p. 105. tavit maximum. In *Scholiis ad Obſ. 11.* de febre intermittente ex ira cum inflammatione colli periodum nullam obſervante, mira juvenis ardentisſima febri laborantis reſtitutio exponitur, ab eo mox momento contingens, quo hic præ ira totus contremiſceret, & in ſudorem
p. 530. ſolveretur. E diverſo pleuritis ab ira inducta *in Scholiis ad Obſ. 38.* quæ pleuritidem veram ex materiæ translatione poſt pedum tumorem
p. 1072. pertractat, legitur. In *Scholiis ad Obſ. 87.* de apoſtematis in dextro bra-

brachio poſt ulcerum tibiæ ſiniſtræ conſolidationem excitatis, dyſenteria & epilepſia ob ulcera pedum curata notantur &c. Sub calcem denique Scholiorum remedia plerumque cum cautelis practicis affectuum diverſorũ a beato quondam D. Johanne Michaelis in Collegio practico Jonſtoniano dictata & commendata proferuntur; de quibus tamen nihil attinet in præſenti dicere, cum initium *Operum* B. D. *Johannis Michaelis Norimbergæ A. 1688.* editorum conſtituant, Lectorq; cum his Autorem noſtrum conferendo notabilem hinc inde diſcrepantiam obſervare ipſemet queat faciliime. Tantum adhuc dolemus, quod Autor morte præventus nec *Tractatum Medico-Juridicum* in *Prodromo bujus A. 1691. Jenæ* divulgato, promiſſum, nec *Obſervationes de Peſte nupera Magdeburgenſi*, quarum tam in Theſauro hactenus perluſtrato, quam in *Problemate Pharmaceutico-Medico, A. 1684. typis Helmſtadienſibus* propoſito, dedit ſpem, valuerit perficere. Quodſi vero Scripto utrique ultimam forſan manum Autor in vivis adhuc exiſtens impoſuit, ut neutrum Hæredes orbi literato invidere velint, publico hic nomine volumus exoratos.

p. 107

p. 41.

M. JOH. SARTORII, GYMNASII THORUN. Prof. Publ. Agoniſtica Fidelium Verba, quibus SS. Martyres, aliique Homines pii ac fideles vita emigraturi inter preces ac ſuſpiria animam Deo commendabant.

Thorunii, ſumptibus Joh. Chriſtiani Laureri, Bibliopolæ. Proſtant & Lipſiæ apud Joh. Frider. Gleditſch. A. cIↃ IcↃ xcIII. in 8.

Conſtant 9. plag.

DE Cygnorum cantu non una omnium eſt ſententia, aliis ſcilicet cum affirmantibus, aliis negantibus; niſi quod affirmanti ſententiæ fidem non modicam faciat præclara illa, & ſuſpicienda arteriæ aſperæ in hac ave ſtructura, quæ duplici reflexione tubæ bellicæ, qua quamlibet tonorum varietatem tubicines effingere ſolent, figurã exactiſſime repræſentat. Suum tamen jam non eſſe ait Autor clariſſimus, hic Palæmonem agere, ſed ſufficere ſibi, κύκνειον ᾆσμα ſym-

bolica ſignificatione non modo Viros doctos expreſſiſſe, ſed & præterea *ultima*, fidelium imprimis, *morientium verba* haud raro deſignaſſe, quæ acriore ſpiritu excitata aures menteſque audientium mire ſoleant afficere. De quibus dum acturus eſt, omiſſis, quæ vel futura ominari, vel ſuperſtites ad tribunal Dei provocare, vel denique mandata ſuis exequenda ſolent relinquere, ad tres ea potisſimum claſſes reduci poſſe arbitratur: primam quidem Chriſtianam religionem ac orthodoxiam confitentium; ſecundam ſoli voluntati ac diſpoſitioni divinæ ſe & ἀγωνίαν ſuam committentium; tertiam denique beatam ἀνάλυσιν cum πληροφορίᾳ anhelantium, & in ſolius meriti Chriſti apprehenſione exſpirantium. In prima claſſe familiam ducit *Stephanus* Protomartyr, de cujus reliquiis multa notatu non indigna legere eſt, cujusque verba ultima vel ipſe ſacer codex nobis retulit. Hunc excipiunt *Petrus* Apoſtolus, qui moriturus non tantum poſteriorem ſuam ſcripſiſſe Epiſtolam, ſed & cruci jam affixus, quoad ſupervixit, fidem Crucifixi infra ſtantes docuiſſe dicitur: *Andreas* in crucem decuſſatam actus, biduum integrum ex ea Chriſtum prædicans: *Jacobus*, Alphæi filius, de cujus martyrio variæ variorum ſententiæ adducuntur, quas ita conciliari poſſe cenſet Autor, ſi per πτερύγιον, e quo præcipitatus dicitur, non ſummum templi faſtigium, ſed locus ſaltem editus intelligatur, quo primum fuerit dejectus, mox lapidibus obrutus, ac tandem inſtrumento fullonio occiſus: *Paulus*, miniſterii vitæque curriculum gravibus verbis claudens 2. Tim. IV. 7. 8: *Ignatius* Antiochenus, qui aureo illo, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, in agone ſe erexiſſe dicitur: *Polycarpus*, prolixa Deum gratiarum actione jam in rogo conſtitutus pro conceſſo martyrii honore celebrans: *Attalus* patria Pergamenus, ignitæ cathedræ impoſitus, egregiam de divina unitate confeſſionem edens: *Sanctus*, inter exquiſitiſſimos cruciatus ſuum illud, *Chriſtianus ſum*, ingeminans; qua cantilena etiam *Blandina*, generoſi ſpiritus fœmina, iisdem in tormentis conſtituta, vitam obſignavit, plane hac in parte ſimilis *Catharinæ*, Iberiæ Reginæ, ſub finem ſuperioris ſeculi indignis ab Abaſo Perſarum Rege modis excarnificatæ. Huc refert Autor eos etiam, qui jam ſuppliciis afficiendi in jubila laxaſſe vocem perhibentur, quemadmodum *Babylas*, Antiochenus Epiſcopus, verba Pſ. CXVI. 17, *Marcus* & *Marcellinus* fratres Pſ. CXXXIII, alii

Digitized by Google

alii alia, non ſine admiratione circumſtantium, cecinerunt; tum & illos, qui audita mortis ſententia non ſolum gratias judicibus egerunt, ſed & medios inter cruciatus carnifici lictoribusque inſultarunt, e quibus *Lucius* cumprimis, *Cyprianus*, *Laurentius*, *Macedonius*, *Theodulus* & *Tatianus*, *Marcus* Arethuſæ Epiſcopus, ac *Gordius* Centurio Cæſareenſis, ſubinde verba Pſ. LVI. 6. in ore habens, memorantur. Secundæ claſſi accenſentur *Fælix* Thibarenſis in Africa Epiſcopus, *Thelica*, *Dativus*, *Saturninus* Presbyter, *Vitalis*, *Baſilius* *M. Epictetus* Presbyter, ejusque ſocius *Aſtion*, *Servulus* mendicus & per omnem ætatem paralyſi decumbens, *Paulus* Maximini Imperatoris tempore martyrio coronatus,& alii quamplurimi recentiores, Reges,Imperatores,Principes,Eccleſiæ Doctores, tenuioris etiam ſortis homines, quin adeo & ipſe denique Servator noſter, inſigne patientiæ ac æquanimitatis omnibus imitandæ exemplum. Ad tertiam claſſem referuntur verba ultima *Jacobi*, *Davidis*, *Jobi*, *Simeonis*, ex Scriptura nota; *Eligii* Epiſcopi Noviomenſis, *Remigii* Antiſiodorenſis, *Anshelmi* Cantuarienſis, *Hugonis de S. Victore*, *Bernhardi*, *Arnoldi* Presbyteri & Canonici Reichersbergenſis, *Joh. Gerſonis*, *Nicolai Copernici*, Præpoſiti cujusdam *Afrani* in Miſnia, *Conſalvi Mederii*, *Stanislai Hoſii*, *Ludov. Bloſii*, *Jerem. Drexelii*, qui vel in ipſis tenebris Papalibus in ſolius meriti Chriſti apprehenſione dicuntur exſpiraſſe. Quos ſequuntur plures perſonæ utriusque ſexus illuſtres, viri item alii eruditionis ac pietatis fama clariſſimi, quorum omnium idem fuiſſe votum, idem deſiderium, Autor oſtendit,longeque melius præ illis, qui vel ad Sanctorum merita confugientes,vel ſuis gloriantes, vel omnem denique ſalutis ſpem abjicientes, non ſine horrore hinc aufugerunt; quorum catalogum aliquem Autor texit, & ſaluberrimo ad εὐθανασίαν ſe parandi monito Diſſertationem claudit.

ORIGINES HUNGARIÆ, SEU LIBER, quo vera Nationis Hungaricæ Origo & antiquitas e Veterum monumentis & linguis præcipuis panduntur.

Labore & ſtudio Franciſci Foris Otrokócſi.

Partes II.

Fra-

Franequeræ, ex officina Leonardi Strik, A. 1693. in 8. 2. Alphab. 10½. plag.

OBſervaverat eruditiſſimus Autor, nihil fere de originibus Hungarorum innotuiſſe hactenus, præterquam iſtud, quod illi Scythæ olim fuerint, ac inter Scythas Hunni, (quicquid tandem eſſet nomen Hunnicum,) quodque a communi non Scytharum modo ſed multorum quoque aliorum parente, Japheto, ortum duxerint. Utrum vero extra Scythiam reperti quidam eorum majores fuerint, de eo vix quenquam cogitaſſe refert, nec magis qui res Hungaricas ſcripſere, *Ranzanum, Turoczium, Bonfinium*, & recentiſſima ſaltim pertractantem *Iſtuanfium*, de hoc fuiſſe ſolicitos: utrum aliquam habeat lingua Hungarica cum Orientalibus convenientiam? Qua cura penitus neglecta fieri non potuiſſe cenſet, quin iſti ſæpenumero in pandendis hiſce Originibus defecerint.

Ipſe autem hæc expendens paulo accuratius, majorum hujus gentis diverſas in diverſis mundi partibus antiquas ſedes inveſtigat, temporibus remotiſſimis in Armenia, Græcia, Aſia minore, & ad fluvium Thermodonta eas obvias fuiſſe innuens, & occaſionem ſimul exponens, qua eum in locum, ubi jam degunt, ſatis commodum devenerint. Quem in finem multa de Scytharum ortu rebusque geſtis memorat; diutius tamen circa Hunnos detinetur, quorum non diſtinctas modo, quibus deprehenduntur inſigniti, appellationes exponit, ſed & præterea triplicem adventum in Europam ejusque partes, Daciam ac Pannoniam, conſtituit, & eruptiones iſtas a vatibus ethnicis olim prædictas fuiſſe docet, allatis in ejus rei fidem Græcis verſibus, qui circa A.D. 367. in lapide e muris Chalcedonis eruto reperti ſunt, ac apud Ammianum Marcellinum l.31.c.1. referuntur, in quibus cum inter alia nominari videamus Οὔννα φῦλα, Henricus autem Valeſius pro verbis hiſce potius δηΐα φῦλα, aut μυρία φῦλα legi debere doceat, priorem illam lectionem a Mariangelo Accurſio ex bibliotheca Vindelicorum Auguſtana primum editam, & Lindenbrogio Gruteroque poſtea probatam, operoſe defendit. Aſt Hungarorum nomen a tertio Hunnorum in Pannoniam adventu, qui neutiquam anno 744, ut plerique arbitrentur, ſed 888 & proximo contigerit, deducit, poſtquam ante vitam moresque & res ge-

ſtas

Digitized by Google

ſtas Attilæ, Priſcum, Rhetorem ac Sophiſtam Græcum, ſecutus prolixe enarraverat.

Quandoquidem vero Hungaricæ linguæ indagationem imprimis in hoc Opere præfixam ſibi Autor clariſſimus habuit, ea, quæ huc usq; recenſuimus, aliquã tantummodo Scripti hujus partem conſtituunt, ſpatiumque multo diffuſius in eo Philologia occupat, dum magno ſtudio paſſim hujus linguæ proxima cum Orientalib9 convenientia oſtenditur. Tametſi enim Autor in regulis tradendis valde parcus eſt, ſupellectilem tamen vocabulorum ad ſuos fontes reductorum largiſſimam ex inſtituto ſuo producit, in peculiari de *Amazonibus* diſſertatione finiens, quas fuiſſe ait Heroinas, ſubjectos cives conſilio atque autoritate ſua regentes, & non raro ad bella ipſa procedentes. Sed quod eædem viris caruerint, aut abſque his ſolæ adverſus hoſtes pugnaverint, ſuis ductus rationibus inficiatur.

De cætero Eccleſiaſticam inſuper Hungarorum Hiſtoriam ſe compoſuiſſe in Præfatione ad Lectorem indicat, quæ ut libro huic propediem comes adjungatur, Eruditi procul dubio optabunt.

GENESIS, SIVE MOSIS PROPHETÆ Liber primus, ex translatione JOHANNIS CLERICI, cum ejusdem Paraphraſi perpetua, Commentario Philologico, Diſſertationibus Criticis quinque, & Tabulis Chronologicis.

Amſtelodami apud Abrahamum Wolfgangum, & Janſſonio-Waeſebergios, 1693. fol.

Conſtat Alphabetis quatuor, & plag. 4.

OPeris hoc maximi ac difficillimi duntaxat initium eſt, ſed quod, DEO cœptis, ut optamus, favente, brevi ſequentur non tantum Moſis, ſed & Veteris Teſtamenti Libri reliqui: utpote in quos plurima ſe habere parata, in Præfatione ad Lectorem, profitetur Autor doctiſſimus, Hebræarum literarum inter Remonſtrantes Amſtelodamenſes Profeſſor clarisſimus, nobis tum ab annotationibus in Stephani Clerici diatribas (Actor. Tom. IV. f. 232.) tum a Bibliothecæ univerſalis Hiſtoricæ editione (Tom. VI. f. 32.) tum a defenſione judiciorum

B quo-

quorundam Theologorum Hollandiæ de Richardi Simonis Hiſtoria Critica Vet. Teſtam. (Tom. VI. f. 363.) jam notiſſimus. Cum enim & hoc ad finem vergente, ac præterito potiſſimum ſeculo, ad convertendum & commentariis illuſtrandum Vetus Teſtamentum eruditiſſimi Viri, non ſine meritis laudibus operam ſuam contulerint, idem onus ſubire Noſter, quanquam longe majoribus, præ illis, inſtructus ſubſidiis, non eſt veritus. Ne autem hoc opus ſuum, Areopagi more, *ἄνευ προοιμίων* Lectoribus evolvendum traderet, in Prologomenis *tres Diſſertationes Criticas* exhibet, quarum prima circa *Linguam Hebraicam* occupata ea duntaxat attingit, ſine quibus Commentarii ejus ſatis intelligi non poſſent, aut quæ iis ſunt affinia; altera *genus interpretandi, quod hic ſecutus eſt, perſequitur*; tertia de *Moſe, autore Pentateuchi, quemque ſibi ſcribendo propoſuit, ſine* tractat.

In diſſertatione PRIMA eam ſibi teſtatur veriſimillimam videri ſententiam, quæ ſtatuit, neque Hebraicam, neque Chaldaicam, neque Arabicam, aut ullam aliam Orientis, eſſe *primævam illam linguam*, qua uſus ſit Adamus: quippe quæ tractu temporis & diſperſione humani generis in varias dialectos diſtracta, memoratas linguas, aliasque affines ex ſe genuerit: perinde ut veterum Romanorum lingua nec ea ſit, qua utantur Itali, neque Gallorum ſermo, neque Hiſpanorum, ſed tres haſce linguas pepererit, & maxima ſui veſtigia in illis reliquerit. Ad argumenta ex etymologiis petita reſpondet primo, antediluviana plurima fuiſſe non tam nomina propria naſcentibus, ut ab aliis hominibus diſtinguerentur, impoſita, quam cognomina ſerius iis ob ſingularem quendam eventum indita. Sic virorum primum ab Hebræis אדם, a Latinis *hominem* dici ſueviſſe, quod ejus corpus ex אדמה ſive *humo* fictum eſſe conſtaret: filium Adami alterum poſteros vocaſſe הבל h.e. *rem caducam & evanidam*, quia in juventute fratris parricidio extinctus eſt: filium Henochi dictum fuiſſe מתושלח, quod *eo mortuo emiſſio* ſcilicet aquarum facta ſit. Quædam facile mutari potuiſſe in vocabula Hebræa; etiam paranomaſia primævæ linguæ ſervata. Id quod inter alia confirmatur exemplo Moſis, nominis ſui originem ex voce Hebraica derivantis, filiamque Pharaonis Hebraice loquentem inducentis, Exod. II. 10. quæ tamen ſine dubio Ægyptiaca lingua uſa fuerit, in qua Μωϋσῆ dicatur, ex *aqua ſumtus*, *cum μωῦ aquam*, *σῆ ſumtum* apud veteres Ægyptios ſonet.

Dari

Dari etiam, quæ æque feliciter ex lingua Chaldaica deduci poſſint, ut nomen חוה, quod non minus apud Chaldæos, quam Hebræos חי *viventem* ſignificet. Aliorum nominum (ut *Tubalkainis* Gen. IV, 22.) originem, nec in Hebraica nec in Chaldaica lingua, ſed in Arabica perſpicuam eſſe. Adhæc voces occurrere, quæ analogice ex Hebraicis radicibꝰ derivari nequeant, quamvis hæ cum illis a Moſe conferantur, v. g. קין Gen. II. 1. *ἀπὸ τῦ* קין quod eſt *lamentari* in pihel, non a קנה *poſſedit*; & נוח Gen. V. 29. non ex נחם *conſolatus eſt*, ſed a נוח *quievit* analogice deduci poſſe. *Certe*, inquit, *ſi felices etymologiæ oſtendunt linguam antediluvianam Hebræam fuiſſe, parum commode contrarium monſtrabunt.* Quod de conſervatione Linguæ Hebraicæ in una familia *Heberi* poſt diluvium, ortis ad Babylonem disſidiis, jactatur a Rabbinis, id totum ex eorum cerebro, fabularum feracisſimo, prodiiſſe ſcribit: cum Scriptura nuſquam teſtetur, inter eos, qui Babylonicam turrim condiderunt, non fuiſſe Heberum, aut ſubito potentiæ divinæ miraculo coortas eſſe varias linguas; imo vero ex re ipſa ſatis conſtet, poſteros Heberi, reliquorum mortalium fato obnoxios, prout in varias terras diſſeminati ſunt, temporis tractu, cum disſitæ familiæ aut nulla aut rara inter ſe commercia haberent, variis ſonis animi ſenſa expresſiſſe. Si quæras ergo, quæ fuerit lingua, qua *Abrahamus*, unus ex poſteris Heberi, uſus ſit, misſis conjecturis, aut potius commentis Rabbinicis, nihil, reſpondet, videri vero propius, quam *Lingua Chaldaica*, quamdiu trans Euphratem Ure Chaldæorum & Charris in Meſopotamia commoraretur, uſum eſſe. In illis enim locis, ejus & Jacobi nepotis temporibus, ſicuti ſubſequentibus, & ad Septentrionem & ad Auſtrum Meſopotamiæ, nec non Babylone, Chaldaicam viguiſſe linguam, ex Gen. XXXI. 47. II. Reg. XIIX. 26. Jer. V, 15. Dan. I. 4. demonſtrat. De cætero linguam Hebraicam *Chananæam* fuiſſe, eamque Abrahami poſteros inter Jordanem & mare mediterraneum didiciſſe, non eo ex Chaldæa intuliſſe autumat, provocans ad Eſaiæ teſtimonium c. XIX. 18. ubi *Lingua Chanaanis* Hebræorum ſermo diſerte appelletur. Rationibus vero quatuor, a *Sam. Bocharto* Lib. II. Chanaan c. II. pro hac ſententia adductis, quintam addit ex *Ethnicisſmi* in lingua Hebræa conſpicui *veſtigiis* depromtam, v. g. quod perinde ut Phœnices, πολυθεότητος opinione inquinati, in ſermone ſuo Hebræi frequentius utantur voce plurali אלהים, quam

 ſingu-

ſingulari אלהים, nunc verba ſingularia eidem adjungentes, ex ſua de uno Deo ſententia; nunc pluralia ex vicinorum loquendi conſuetudine, quanquam unum Deum intelligant; quin & horum imitatione ducti, membra corporea, cum affectibus humanis, Deo ſummo paſſim tribuant, cum tamen illos ab eorum ſententia, qui ἀνθρωποφυὲς Numen fingebant, ſummopere abhorruiſſe conſtet. Si quis objiciat *Sanctitatis* titulum, quo Hebraica lingua a Judæis honeſtari ſolet; non ideo ſonos in ſe ſpectatos ſanctiores eſſe, aut linguæ idiomata divinæ majeſtati aptiora evaſiſſe concedit, ſed ob ſanctas a Deo leges ea lingua latas, aliasque ſanctiſſimas revelationes Prophetis factas, hoc admitti poſſe, ait. Ab his ad aliud tranſiens *Clericus*, quod multo majoris ipſi uſus in Librorum ſacrorum interpretatione eſſe videtur, hanc linguam, quoad judicium ex ejus reliquiis modico V.T. volumine comprehenſis ferri poſſit, *inopem, ambiguam, & parum cultam* fuiſſe exiſtimat. *Inopiam* linguæ ex eo conſtare dicit, quod perpetuo eædem tum voces tum locutiones, præſertim in libris hiſtoricis, occurrant; neque in unius ævi Scriptoribus hoc animadvertere liceat, ſed omnes omnium temporum Hiſtorici ita ſtylum ſuum procuderint. Hanc vocum penuriam neceſſario peperiſſe *ſermonis ambiguitatem*, idque tum exemplo vocis ארץ, tum particularum indeclinabilium multiplici ſignificatione, & temporum fere omnium in verbis confuſione, nec non perpetuis enallagis generum, numerorum, & perſonarum demonſtrat. Hæc tamen non ita intelligenda eſſe, quaſi Religionis & Hiſtoriæ Judaicæ ſumma facillime non poſſit ex Libris V. T. hauriri, cum nihil ſit, quod ad ſummam rerum pertineat, in controverſiam vocatum, quamvis circa τὰ περιςατικὰ, aliaque abſtruſiora, innumeræ vigeant inter Eruditos lites, nulla ingenii luce plane dirimendæ, nulla animi attentione certo dijudicandæ. Ex inopia vero & ambiguitate linguæ patere, eam inter Iſraelitas nunquam fuiſſe magno ſtudio *cultam*, propterea quod Hebræi non modo Grammaticam, artesque ac diſciplinas alias, quarum opera linguæ augentur vocabulis, neglexerint, ſed Rhetoricam, qua eædem expoliuntur, nunquam cognoverint: quo factum, ut omnes Rhetorum canones, etiam eos, qui non ex variante hominum arbitrio pendent, ſed certa & omnibꝰ gentibus communi ratione nituntur, paſſim ſpreverint, v. g. dum in ſimplici narratione, quam *brevitas* & *perſpicuitas* maxime

Digitized by Google

maxime commendent, ſæpe neceſſaria omittant, & ſuperfluis abundent, quæ niſi ſuppleantur, aut abundare intelligantur, percipi nequeant: ordinis etiam temporum & rerum parvam habeant rationem, quod niſi attendatur, nodos fere inſolubiles necti neceſſe ſit. His ita propoſitis duo Noſter ſubjicit monita: *Primum*, ſe non negare, hic illic egregiis ſententiis ſplendere Hebræorum orationem, & multa etiam eſſe, apud Prophetas potiſſimum, ſublimia, at non ideo cultam linguam dici poſſe, cum nulla ſine Grammaticæ ac Rhetoricæ diligenti ac diuturno per aliquot ſecula ſtudio, ſatis expoliri queat; *Alterum*, ea quæ hactenus dicta ſunt, pertinere ad verba & ſtylum uſu receptum, non ad res ipſas a Deo Hebræorum Prophetis & per eos aliis patefactas: quæ ſummi ſemper momenti, & quandoque ſupra humanas cogitationes ſint poſitæ; ſed eas ita per homines Hebræos nobis patefeciſſe Deum, ut ſtylo ſibi Gentique conſueto uterentur, Spiritu, quo agebantur, ſe mira συγκαταβάσει attemperante uſui recepto. Atque ea in re divinam ſummopere elucere ſapientiam, quod apud Gentem, ut Græci loquebantur, barbaram, nulliſque literarum ac diſciplinarum ſtudiis expolitam, patefacta ſit & ſervata per plurima ſecula cœleſtis veritas, quæ artibus omnibus excultiſſimas Gentes plane latebat. Tandem, quo in ſtatu lingua Hebraica poſt captivitatem Babylonicam fuerit, quamque tunc geſſerint librorum ſacrorum curam, docet. Nempe temporibus illis & ſequentibus ætatibus ad Maſorethas usque, allegoriarum, rituumque ſtudium, non Grammaticæ, Judæorum ingenia tenuiſſe; unde factum, ut translationem LXX Interpretum, non ductu canonum Grammaticorum, non certa cognitione ſignificatus vocum, ſed conjectura & hariolatione ex difficilibus locis ſe expediuntium, non modo omnibus numeris abſolutam, ſed θεόπνευςον habuerint. Quo argumento nullum certius afferri poſſit neglecti iis temporibus veteris Hebraiſmi: cumque Interpretes iſtos valde mendoſo Codice uſos eſſe conſtet, ſatis hinc apparere, Codices ſacros ſub templo ſecundo a librariis ea qua par erat cura non ſemper deſcriptos fuiſſe, prout videamus Codicem venerandæ ſine dubio antiquitatis, quem adhibuerunt Maſorethæ paſſim ἐν τῷ כתיב vitia habere, quæ emendentur ἐν τῷ קרי, quæque ſæpe a Samaritanorum Codice abſint. Interea nullos putat libros ex ultima antiquitate ad nos perveniſſe æque emendatos, ac ſunt ſacri Hebræo-

rum Codices, omnium antiquiſsimi, qui Maſoretharum ſcilicet diligentia deſcripti ac poſteris ſint commendati.

In Diſſertatione SECUNDA, quæ eſt *de optimo genere Interpretum S. Scripturæ*, inſtitutum & ratio totius Operis deſcribuntur. Et primo quidem *Clericus* de ſua interpretandi ratione *ſummatim* ſpectata monet, ſe ideo Vetus Teſtamentum integrum vertere aggreſſum non eſſe, quod ſperaret ſolius linguæ Latinæ peritos æque feliciter ſenſa Prophetarum, lecta ſua translatione, aſſecuturos eſſe, ac qui Hebraice ſciunt, & ipſos Prophetas loquentes audire poſſunt, ſed ſibi ſatis fuiſſe ad id accedere, quam proxime per diverſiſſima harum linguarum idiomata licuerit; imo etiam, cum non poſſet ſine nimia licentia Hebraicam phraſin ad Latinæ linguæ ingenium flectere, aut ſi quando ſenſum non ſatis certo aſſequeretur, non raro verbum verbo expreſiſſe. Quia vero Latine tantum ſcientibus phraſes Hebraicæ & ratio narrandi Hebræorum ab omnibus aliis diverſa negotium faceſſant, *Paraphraſin Latiniorem ac pleniorem* adjeciſſe, qua lecta, ſi non ipſa Scriptorum Sacrorum verba aſſequantur, ſaltem ſi Latine eodem ordine narretur, quod illi dixerunt Hebraice, a ſumma rerum nunquam ſint aberraturi. Hoc pacto, quod una verſione non potuerit, addita Paraphraſi ſe conſecutum eſſe, ſperare. Sed ne ſic quidem putaſſe, Lectorum omnium deſiderio ſatisfactum iri, niſi *Commentario* Hebraiſmos, opiniones, conſuetudines, ritus, alluſiones ad iſta, & naturam locorum, quantum cognoſci potuerint, exponeret, totiusque Verſionis ac Paraphraſeos rationem redderet. Sic *Paraphraſi* paucis verbis quid ſentiret, *Commentario* copioſius, quare ita ſentiret, oſtendiſſe. Eſſe tamen in Paraphraſi, quod in Commentario ſemper non inveniatur. Ex ea nimirum totius orationis nexum & ſeriem apparere, qua de re brevitatis cauſa non ſemper egerit in Commentario. Cum autem & propria & aliorum experientia, præſertim in difficilioribus libris, obſervarit, lectis etiam doctiſſimorum Virorum ad ſingula verba annotationibus, perſæpe nexum tamen manſiſſe obſcurum, ut vix poſtquam ſingula verba intellecta fuiſſent, ratiocinationis vis & ordo paterent, huic incommodo Paraphraſi perpetua ſibi obviam eundum cenſuiſſe: quæ ſi non usque adeo neceſſaria in Hiſtoricis videatur rem non ſatis attente expendentibus, ejus ſaltem in Hagiographis, ut vocantur, & Propheticis libris apparituram eſſe utilitatem. In *Commentario*, ſenſum dun-

duntaxat Grammaticum ſive literalem aperire atque illuſtrare ſe conatum eſſe ſcribit: nulla Theologica ſive theoretica ſive practica conſectaria illinc duxiſſe, cum quia operis hujus moles nimium fuiſſet aucta, tum etiam, quia probe intellecto Grammatico ſenſu facillimum ſit, theoreticas aut practicas doctrinas locis, quæ exponuntur, affines deprehendere iis, qui Syſtemata Theologica atque Practicorum ſcripta legerunt: nullas etiam attigiſſe controverſias Theologicas, quippe qui non huic aut illi ſectæ, ſed omnibus Scripturæ S. & veri, quod Chriſtianis commune eſſe debet, amantibus ſcribere voluerit. Deinde quibus in difficultatibus ipſe *potiſſimum* verſatus, & quibus artibus eas ſuperare ſit conatus, oſtendit. Nimirum, cum non exigua difficultas in *idiotiſmis Hebraicis* Latino ſermone induendis conſpiciatur, ne, ſi verbum verbo reddas, inutilis ſit verſio Hebraice neſcientibus, aut eum ſic non intellecturis, aut in alienos ſenſus detorſuris: ſi vero liberius, quam par fuerat, Hebraiſmos transferas, pro ſcriptorum ſacrorum ſententiis tuas conjecturas, præſertim incauto Lectori, obtrudas; ideo ſibi mediam quandam viam propoſuiſſe dicit, quam conſtanter teneret, ut nec nimis obſcura in locis Hebraice dilucidis, præ Hebraiſmis, nec nimium audax, præ Latine loquendi ſtudio, verſio ejus videretur: in paraphraſi tamen liberiore ſententiam, non verba ſervaſſe, ut qui barbarie verſionis non delectantur, vel Hebraiſmos non intelligunt, haberent quod legerent atque intelligerent. Ut autem eam viam per totum opus tenere poſſet, tres ſibi in vertendis Hebraismis leges nunquam violendas poſuit: (1) *Hebraiſmos perſpicuos, & qui commode verti poſſent, vertendos eſſe.* Ita nihil in ſermonibus & dialogiſmis frequentius verbo ויאמר, aut gerundio לאמר, ſed illud Latina voce, *inquit*, hoc vocibus *his verbis* commode & plene exprimi poſſe. Nec infrequens eſt Hebraiſmus in phraſi *vocare nomen alicujus*, pro eo quod eſt nomen imponere. Paſſim narrationum initio τὸ ויהי παϱέλκει, quod in translatione plane omittendum, v. g. Gen. VI. 1. *Et fuit, cum cœpit homo multiplicari* i. e. *cum in terris augeri cœpiſſent homines.* Sic & in ordine verborum ipſo ac conſtructione ſe ubique majorem Latinæ linguæ quam Hebraicæ rationem habuiſſe profitetur, idque dilucidat collatione ſuæ Gen. IIX, 15. 16. 17. cum Tigurinorum verſione. (2) *Si qui tamen ægre poſſent Hebraiſmi Latine reddi, iique aſſueta eſſent aures noſtræ, verbotenus iſtos expri-*

Digitized by Google

primendos eſſe. Tales ſunt phraſes *incedere cum Deo*, Gen. V. 22. 24. *Gratiam invenire apud alterum*, vel *in oculis alterius*, Gen. VI. 8. XIIX. 3. *eſſe virum juſtum ac integrum in generationibus ſuis*, c. VI. 8. *univerſam terram labii unius eorundemque verborum fuiſſe*, c. XI. 1. item cum dicitur, *omnis caro* pro omni animali, c. VI. 19. *anima mea* ἀντὶ τῦ Ego, c. XII. 13. in quibus omnibus vertendis Seb. Caſtalionis nimiam licentiam arguit. (3) *Obſcuros idiotiſmos Hebraicos omnes eſſe retinendos.* Igitur c. VI. 14. ſe vertiſſe innuit: *Arcam facies* nidis *inſtructam*, potius quam *manſiunculis*; & c. VI. 4. τὸ *Nephilim*, c. XLIX. 10. τὸ *Schilo*, ut voces ignotæ ſignificationis, retinuiſſe; quid autem ſit *in aliquo benedicere*, Commentario ad cap. XII, 3. indicaſſe. Et cum multo major fuerit vertendarum *Conjunctionum* atque *Præpoſitionum* difficultas, ob multiplices, queis in Scriptura occurrunt, ſenſus, ita ut, ſi adhibeas conjunctionem aut præpoſitionem Latinam, quæ Hebraicæ frequentisſime reſpondet, translatio tua Latinis auribus ſæpe abſona videatur: ſin aliam, judicio tuo quod ambiguum eſt ad certum ſenſum flectas, & ſic non ſenſum Scriptoris θεοπνέυςȣ ſive clarum ſive obſcurum, ſed tuam conjecturam in verſione Lectori exhibeas; ſe quidem incommodum iſtud nulla arte in omnibus evitare potuiſſe fatetur *Clericus*, ſtuduiſſe tamen ſic vertere, ut, quam rarisſime fieri poſſet, judicium ſuum interponeret, nec ab uſitatisſima ſignificatione particulæ, niſi necesſitate compulſus, recederet, contra quam fecerit Vir eruditus *Chriſtophorus Noldius* in *Concordantiis particularum* hoc tantum ſpectans, quæ particula Latina haud incommode vel ἐμφατικωτέρως pro Hebraica uſurpari poſſet. Certum enim ſibi eſſe, Gentes omnes eadem ratione ſermonem ſuum non connectere, nec eodem narrationis filo loquentes inducendas, ſi earum ingeniũ ad amusſim exprimere velimus. Quæ porro moleſtia ex *perpetua illa narrandi ratione* per præterita aut futura, conjunctione *Vav* conjuncta, interpreti naſcatur, commemorat. In ea quidem ſatis apparere nullam eſſe emphaſin, & poſſe commodiſſime Latinorum participiis exprimi, aut particulis aliis, quibus orationis partes jungunt Latini: attamen hac in re nimiam etiam vitandam eſſe licentiam, ne omiſſa particula, mutatoque aliquatenus orationis circuitu, ſenſus mutetur, aut etiam oratio obliquior fiat. Tandem, quibus ſubſidiis ex codice Maſſorethico, ab Interpretibus veteribus, & recentioribus ex collatione Locorum

corum

Digitized by Google

corum Scripturæ, e Linguis affinibus, ex Etymologiis difficultates interpretandi ſuperare ſtuduerit, oſtendit. In *Codice Maſſorethico*, quem ut emendatiſſimum in translatione ſua expreſſerit, ſæpe quidem τὸ קרי commodiorem lectionem, quam τὸ כתיב præbere viſum eſſe, ſed & hoc altero non raro melius fuiſſe teſtatur: punctationis diligentem, accentuum nullam rationem habuiſſe, ad ſenſum tantum & ſtructuram vocum attendiſſe, cum vel duo prima vocabula Geneſeos omnem illam Rabbinorum doctrinam de accentibus confutent. Verſuum diſtinctionem, a manu Prophetarum non profectam, retinuiſſe quidem propter conſuetudinem, & quod loca citata facilius quæri poſſint; ad ſenſum tamen in interpungendo ſaltim reſpexiſſe. Hinc modo deſinere periodum una cum verſu, modo ulterius porrigi, quandoque etiam in medio verſu incipere aut claudi. Præterea non ſemper Capita in Sectionibus diſtinguendis ſecutum eſſe, ſed argumentum in majores aut minores Sectiones, pro nexu rerum, quæ narrantur, diviſiſſe, ut & una ſerie totum argumentum, & quod in Commentario ad id ſcripſerit, uno ordine legi poſſet. In ſingulis autem Sectionibus plures eſſe, quamvis prolixiores, paragraphos, orationis perſpicuitati ac legentium utilitati inſervientes. In ſcriptione *nominum propriorum* ea tantum, quæ celebriora & frequentiora ſunt, more Chriſtianorum extuliſſe, reliqua vero minus nota & rariora, more Judaico, quia plerumque in Codicibus Græcis & Latinis non ſatis recte ſcripta ſint, poteſtate literarum ea ſemper obſervata, quam alphabethum Hebraicum vetus Jo. Druſii tradidit. Quod ſubſidium *Interpretum* attinet, primum Translationes veteres ac recentiores plurimas in locis difficilioribus diligēter ſe contuliſſe profitetur, ſed ita tamen, ut nullius fidei, recentiorum potiſſimum, cœco aſſenſu crederet: voces omnes & phraſes, ſi quid difficultatis occurreret, haut multo minus penſitaſſe, quam ſi nemo, quem ſequeretur, præiviſſet, ideoque earum rationes, quas habuerit perſpectas, expoſuiſſe, ex Veteribus tantum, ubi opus fuerit, teſtimoniis in medium prolatis, iisque inter ſe comparatis. Multorum etiam annotationes & commentarios conſuluiſſe, & longe plurium, qui ſeorſim de rebus ſacris ſcripſerunt, variaque loca Scripturæ perluſtrarunt, libros perlegiſſe, iis tantum in Commentarium ſuum relatis ſententiis, quæ veriſimillimæ omnium viderentur, & firmamentis, quibus

nitantur, expoſitis, omiſſa aliarum confutatione, niſi perpaucarum in locis difficilioribus, & quæ paucis verbis fieri poſſet. Ad *Linguarum affinium* auxilium (cujus *Samuel Bochartus* plurima ſuggerit exempla) progreſſus Autor, voces & phraſes Hebraicas ſemel tantum in Libris V. T. occurrentes tum demum certe ex Linguis vicinis exponi poſſe monet, cum eo ſenſus & circumſtantiæ locorum Interpretem neceſſario deducant: neque enim ſoni affinitatem eam in rem ſatis eſſe poſſe, ex collatione vocis Gallicæ *exterminer*, i.e. ad internecionem delere, cum voce Latina *exterminare*, i.e. finibus ſive terminis ejicere, oſtendit. In *Collatione Locorum*, quæ certiſſima videatur obſcurioris vocum ſignificationis eruendæ ratio, eousque progreſſos non eſſe teſtatur recentiores Interpretes, lexicis & concordantiis præ Veteribus inſtructos, ut ſuæ induſtriæ nihil reliquerint: quid autem per totum Opus præſtare hocce ſubſidio conatus ſit, ex ejus lectione liquere. A *Vocum Origine*, quando certo cognoſci poteſt, non obſcuram ſæpe lucem affulgere docet ad verum earum inveniendum ſignificatum: ideoque ſe, poſt alios interpretes, omnem lapidem moviſſe, ut obſcurarum dictionum etymologias inveniret, e.g. oſtendiſſe quid ſignificet vox *Pharao*, inventa ejus apud Arabes radice Gen. XII. 15; quinam dicantur חרטמים Gen. XLI. 8, docuiſſe ex ſignificatu vocum quibus conſtat: inveniſſe etiam primum, quænam ſint ſpicæ, quæ צנמות vocantur, ibid. v. 23; ſed hic quoque cavendum, ne vocum affinitas nos decipiat, quod ne fiat, conjungendam eſſe, ubi licet, cum notatione Hiſtoriam: cavendum pariter, ne ex ſola etymologia ratiocinationes deducamus. Hiſce ſubſidiis, queis uſus fuerit, ſic recenſitis, priorum temporum Interpretibus duo præcipue obſtitiſſe monet, quo minus poſteris diu ſatisfacere poſſent. *Unum* eſt inopia præſidiorum, quibus nunc cincti ſumus: poſſe enim de hoc ſeculo noſtro præfiſcini dici, dum labitur, amplius eſſe laboratum in Philologia Sacra exornanda & expolienda, quam per duo annorum millia antea factum fuerit. Hinc nata plurima præſtantiſſima opera, quibus ad intelligendos Scriptores Sacros via nobis munita ſit. *Alterum* eſt, quod præterito ſeculo, ob controverſias recens inter Chriſtianos excitatas, omnium ingenia ad Theologica magis quam Grammatica ſtudiā converſa, Interpretesque in confutandis erroribus magis, quam in ſimplici & critica verborum enarratione occupati fuerint.

In

Digitized by Google

In Diſſertatione TERTIA tum Pentateuchum Moſis eſſe opus,evincitur, tum conſilium ejus in eo conſcribendo inveſtigatur: quæ duo magni ſunt ad intelligendos hoſce Libros momenti. Ad prius obtinendum *Clericus* obſervat, tria rerum genera in Pentateucho legi. *Primum* eſt rerum ante Moſen natum aut ſaltim adultum geſtarum, qualis Hiſtoria libro Geneſeos comprehenſa,& initium Exodi. In hiſce nihil eſſe contendit (ſi pauca quædam excipias loca) quod per ſe Moſen ſcriptorem reſpuat; ſaltim inter eruditos diſceptari, *unde hæc hauſerit omnia Moſes?* Cumque nuſpiam iſthæc a Deo ſibi patefacta dicat, nec ipſo tacente alius pro comperto affirmare ſuſtineat, memoria etiam ſola tot nomina, totque annorum ſummas ſervari potuiſſe vix credibile videatur,longe veriſimilius eſſe judicat,Patriarchas vetuſtiores ſcriptis ea conſignaſſe & poſteris etiam commendata reliquiſſe: quo factum, ut cum in Moſis manus perveniſſent, ea deſcribere, & cum ætatis ſuæ hiſtoria connectere aggreſſus ſit. Si quæras, *quæ & qualia fuerint iſta Scripta?* nonnulla carminibus ὁμοιοτελεύτοις concepta fuiſſe conjicit, tum quod apud omnes pæne Gentes, antiquisſimarum hiſtoriarum fragmenta verſibus continerentur, tum quod apud Hebræos, etiam tempore Moſis, uſitatum fuerit, ut magnarum rerum memoria carminibus celebraretur: idque liquere ex Exod. XV. 1–21. Deut. XXXII. 1–44. Nec mirum videri debere,Poëſeos initia ad tam priſca tempora referri, cum Muſicam, ante diluvium, inventione aliquot inſtrumentorum, excoli cœpiſſe docuerit Moſes Gen. IV. 21. credibile etiam ſit, aſſa voce cœpiſſe homines canere, antequam de inſtrumentis Muſicis cogitarent. *Alterum* genus rerum in Pentateucho comprehenſarum, partim leges, quæ Exodo, Levitico, Numeris,& Deuteronomio continentur, partim res aliæ tempore Moſis in populo Hebræo geſtæ conſtituunt. Legis ſaltim omnia præcepta a Moſe literis eſſe mandata, ex iis locis patere ait, in quibus vel legem Deus Moſen ſcribere juſſerit (Exod. XXXIV. 27.) vel eam ipſe revera ſcripſiſſe dicatur, ut Exod. XXIV. 4. Deut. XXIIX. 58. 61. XXIX, 20. 27. XXXI. 9. 26. Quod autem Hiſtoriam ſui temporis totam literis conſignarit, ex eo colligit *Clericus*, quod partem aliquam Hiſtoriæ, quæ tamen tanti non erat, v. g. bellum in Amalekitas geſtum, Exod. XVII. 14. nec non Iſraelitarum in deſerto manſiones, Num. XXXIII. 2. ſcripſiſſe diſerte legatur. Et ſi quis repetitiones, quæ in his libris occurrunt, & ordinis

C 2 in

Digitized by Google

in legibus tradendis neglectum animo repetat, facile hunc intellecturum, eos Libros ad nos perveniſſe, quales primum variis temporibus per longam illam in deſerta Arabia moram a Moſe conſcripti ſunt. Si enim ex Moſis Libris, ut nonnulli volunt, refecti eſſent, longe majori ordine, reſectisque tot repetitionibus, digeſtos fuiſſe autumat. Quæ in contrarium afferuntur argumenta ab iis, qui Moſen Pentateuchi ſcriptorem eſſe negarunt, indiciaque recentioris ævi in eo oſtenſuros ſe profesſi ſunt, vel ex ſtyli varietate, quæ non unum Scriptorem prodat, dum alia ſint brevisſimo ſtylo & ellipſibus pleno, alia laxo & redundante ſcripta; vel ex ſingularibus quibusdam Pentateuchi locis petuntur. Ad rationem de *ſtylo* reſpondet *Clericus*, illam varietatem ubique per quinque volumina ſparſam eſſe, ut potius Hebraicæ linguæ parum culto ingenio, quam diverſitati Scriptorum tribui debeat. Ex *octodecim Locis*, quæ objiciuntur, pleraque aſſerit eſſe dubia, ideoque non ſic poſſe urgeri, quaſi pasſim in Libris Moſis recentioris ævi eſſent argumenta. Admodum vero pauca dari, quæ ab alterius, forte Prophetæ, manu proveniſſe liqueat, & quæ non obſtent, quo minus Moſis opus eſſe hosce libros dicamus: ſicuti, quia varios verſus hic illic Homeri poëmatibus inſertos volunt veteres Grammatici, nemo propterea Iliadem & Odysſeam ab Homero ſcriptam eſſe negarit. Quod attinet *additamenta illa*, quæ Moſis ævo poſteriora ſunt, & *tertium* rerum genus in Pentateucho abſolvunt, omnibus diligenter expenſis Eruditorum ſententiis, quorum alii Joſuam, alii Eſdram, alii Hebræorum ὑπομνηματογράφους, ſed meris conjecturis ducti, ea conſcripſiſſe volunt; hic aquam ſibi hærere fatetur *Clericus*, nullumque eſſe ſapiente ἐποχῇ tutius ac certius perfugium. Tandem ad inveſtigationem *Conſilii Moſaici* in edendo Pentateucho ſe accingens Noſter, ſatis quidem omnes noſſe dicit, *ſummatim* ſcripſiſſe Moſen, ut Iſraelitas Dei unius cultum edoceret, legesque ab eodem acceptas iisdem traderet, ſed optat præterea, notum nobis eſſe *particulatim*, quibus rationibus adductus certa ſcribendi methodo potius quam alia uſus ſit; ecquid præterea ſpectarit in compendio antiquisſimæ hiſtoriæ, quod poſteris reliquit. Hinc forte intelligi poſſe, quare, tam multis omisſis, aliorum minoris, ut nobis videtur, momenti eventuum meminerit; quare certis verbis uſus ſit; quare obiter nonnulla, cætera vero copioſius & ſæpius dixerit;

aliaque

aliaque ſimilia, unde maxima lux plurimis obſcuriſsimis locis oriretur. Diſtinctius interea oſtendere ſatagit, qua via ad metam illam generalem pervenire inſtituerit Moſes, & qui alii ejus fuerint fines particulares. Et (1.) quidem nequaquam ſibi Moſen propoſuiſſe, *totius humani generis Annales* ſcribere ad ſua usque tempora; ſed tantum ea ex Hiſtoria præteritorum ſeculorum ſeligere, quæ cum generali illi fini, tum aliis ſingularibus conducerent. Hinc breviſſimam ejus eſſe hiſtoriam ab initio rerum ad Abrahamum usque, cum undecim primis capitibus, h. e. quinta parte libri Geneſeos abſolvatur. Ex hiſtoria autem generali duorum millium annorum nonnulla tantum attingere voluiſſe, quæ aut ſequentium rerum ſeriei ac ordini neceſſaria erant, aut animis Iſraelitarum ad pietatem & probitatem informandis inſervire poterant. Quo factum, ut innumeris prætermiſsis, quæ legentium curioſitas flagitare ſolet, nudam pæne Chronologiam nobis primorum temporum tradiderit. Pauca tamen adſperſiſſe, quibus Iſraelitas ad obſervationem legis facilius adduci poſſe exiſtimarit, v. g. cum potuiſſet (ut alia plurima) primi peccati hiſtoriam contrahere, ac tantum dicere, primos Parentes Deo morigeros non fuiſſe, & hac de cauſa omnia mala, quæ nunc humano generi incumbunt, hominibus ab irato Deo primum eſſe immiſſa; maluiſſe tamen id peccatum copioſius exponere cap. III. quod utile eſſet Iſraelitis, qui animalibus & fructibus variis abſtinere jubebantur, ſcire primum peccatum ab intemperantia ortum eſſe, ut ne ſpecie externa vetitæ carnis, aut interdictorum fructuum, caperentur, eo exemplo cavere diſcerent. Sed (2.) potius animum Moſi fuiſſe, *populi Hebræi hiſtoriam* ſcribere a conditore ejus Abrahamo, quem Deus ex Chaldæa in Chananæam ire juſſerit, ubi Hebrææ Gentis propriæ incunabula quærenda. Hinc fieri, ut Moſes ab eo tempore, omnibus aliis Gentibus omiſsis, de Abrahamo ejusque poſteris tantum loquatur; quamvis ſine dubio innumera memoratu digniſsima inter alias Gentes eveniſſent. (3.) Videri Moſen hoc quoque ſpectaſſe, ut mores Iſraelitarum non *apertis* tantum præceptis, ſed *obliquiori* etiam, per narrationes, docendi ratione, quoad poſſet, emendaret, ut exemplo πολυγαμίας appareat Gen. II. 24. IV. 19-24. oblique taxatæ, quam aperte oppugnare non potuiſſet, niſi omnium animos a ſe alienare voluiſſet, Matth. XIX. 4. (4.) Hiſtoria ſua Moſen Iſraelitarum

litarum animos a *vicinorum fabulis*, adeoque *Religionibus*, quæ ſæpe iis innitebantur, avertere aggreſſum eſſe, v. g. cum pleræque Orientis Gentes, maxime Ægyptii, non modo antiquitatem ſuam jactarent, ſed & Conditores ſuos ſummopere laudarent, atque in Deorum numerum referrent; Moſen oſtendiſſe, ortos eos eſſe a Chamo, Noachi filiorum tertio, qui ne vir quidem bonus haberi potuerit, nedum ut in Deorum numerum referri mereretur. (5.) Ipſum, dum ſcribit Hebrææ Gentis hiſtoriam, non tamen *plenos* concinnare voluiſſe *Annales*, cum omiſſa ſint ab eo plurima, quæ aliud agendo alibi narrentur, v. g. idololatria Majorum Iſraelitarum trans Euphratem, de qua Joſ. XXIV. 2; ipſorum Iſraelitarum idololatria in Ægypto, de qua Ezech. XX. 7. 8; genus ſingulare ſuperſtitionis in deſerto, de quo Amos c. V. 25. 26. Atque hinc minus mirum videri debere, *ordinem temporis*, qui in pleniori ſervatur Hiſtoria, ab eo fuiſſe neglectum.

Et hæc e *Prolegomenis* novi hujus vaſtique Operis excerpenda hac vice duximus, cætera quæ in ipſo *Commentario* ad Geneſin, ejusque *Appendice* continentur ἀξιομνημόνευτα, futuri menſis laboribus, ne Lectori nimis prolixa recenſione tædium creaſſe videamur, reſervantes.

ERICI MAURITII, IMPERIALIS CAMERÆ Aſſeſſoris, Conſiliorum ſive Reſponſorum Partes II.

Francofurti & Wezlariæ ap. Chriſtophorum Olffen, 1693. in 4. Alphab. 7. Plag. 3.

DE excellentisſimi Autoris elogiis multa præfari neceſſarium haud ducimus, cum eam in orbe erudito ſcriptis ſuis edecumatis ſibi acquiſiverit famam, quæ ipſum a mortalitate facile vindicabit. Inter illa vero haud poſtremum obtinent locum, quæ jam exhibemus, Conſilia, in duas diviſa partes, quarum *prior*, teſtante titulo, Conſilia Chilonienſia & Tubingenſia, quæ anno 1669. Chilonii impreſſa fuerunt, continet; *poſterior* autem Reſponſa hactenus *inedita* ſeu *poſthuma* ſiſtit. Priore itaque, cum tam diu inter manus eruditorum ſit verſata, in medio relicta, poſteriorem tanquam nunc demum prodeuntem

untem perluſtrabimus, ejusque argumenta breviter recenſebimus. Comprehendit illa Conſilia ſive Reſponſa ad caſus octo ſpeciales & rariores Ampliſſimæ Juridicæ Facultati olim Tubingenſi propoſitos. In quibus in genere Autor ita verſatur, ut præmiſſa initio facti ſpecie, annexis poſtea dubitandi & decidendi ex legibus & Doctoribus petitis rationibus, tandem in illam partem, quo fortiora argumentorum pondera ducunt, confutatis contrariis, inclinet. Quorum Conſiliorum collectionem & editionem eo acceptiorem illis fore confidimus, qui, ut loqui amant, caſum in terminis invenire ſatagunt. Speciatim vero Conſ. I. affirmat: legatum nominis, poſtea a teſtatore, urgente ære alieno, alii in ſolutum dati, nihilominus adhuc deberi. p. 1.
Conſ. II. decidit: an exceptiones legati hujus petitioni ab hærede oppoſitæ, ad cognitionem executorum teſtamentariorum pertineant? p. 25. Conſ. III. tractat legata ex rebus feudalibus, & rebus fideicommiſſo ſubjectis, nec non allodialibus, filiæ relicta, variasque circa illa occurrentes quæſtiones decidit. p. 38. Conſ. IV. determinat annuorum redituum redimendorum caſum: num pretium ſit reddendum in valore monetæ juxta tempus contractus, an ſolutionis? & an creditor rem propter reditus hypothecæ ſuppoſitam, poſtea alienatam, prius actione hypothecaria, quam perſonali experiatur, perſequi poſſit? p. 144. Conſ. V. exhibet de debitis controverſiam, inter viduam illuſtrem, quæ omnia mobilia jure pactorum dotalium percipere, ſed debita nulla exſolvere cupit, & agnatos hæredes feudales, debita modo, quæ cum illorum conſenſu contracta, ſoluturos, ortam. p. 172. Conſ. VI. proponit utiles circa ſervitia & operas ſubditorum præſtandas quæſtiones, ut ſi determinata ſervitia ſunt, an ſubditi ad majora, ſi domino perquam neceſſaria ſint, cogi poſſint? & quali moderamine utendum? &c. p. 194. Conſ. VII. explicat varias juris quæſtiones de collatione, veluti, an prædia feudalia, quæ parens filio ceſſit & donavit, conferenda ſint? de æſtimatione rei conferendæ, de impenſis, quæ in eam factæ, detrahendis, de ſucceſſore feudali hæreditatem paternam reſpuente, &c. p. 213. Conſ. VIII. complectitur filii illuſoriam hæredis inſtitutionem, & inofficioſum teſtamentum in præjudicium feudorum confectum. p. 284. Inde quæſtiones variæ tanguntur: an feudum, quod filio aſſignatum, revocari, item an tuto vendi ac emi poſſit? & an tertius teneatur poſſeſſor? Ubi etiam quædam de re litigioſa interſperguntur.

Ent-

Digitized by Google

Entwurff einiger Tabellen / woraus die Geographia, Chronologia, und Genealogia, desgleichen die vornehmſte Hiſtorien / Staats-Gebiethe / und daher rührende Controverſien Groſſer Potentaten überhaupt zu erſehen / ꝛc.

Augſpurg / ausgefertigt von Johann Striedbeck / Juniore.

h. e.

Hypotypoſis Tabularum Geographico-Chronologico-Genealogicarum, in quibus ſumma hiſtoriæ civilis & notitia controverſiarum Principum ac Statuum Europæ exhibetur, *delineata*, & tabulis æneis inciſa, autore & ſculptore Johanne Striedbeck, Juniore, Auguſtæ Vindelicorum.

CUm tria inprimis adminicula in hiſtorica lectione neceſſaria ſint, Geographia, Chronologia & Genealogia; ea Autor ſupra nominatus, vir eximius & valde induſtrius, tabulis æneis inciſa ſolerter comprehendit: ut uno velut conſpectu cupidus harum literarum lector iſta noſcere queat. In tabula I. brevem ad legendas hiſtorias inſtructionem exhibet. In tab. II. delineationem Europæ juxta partes a Geographis deſignatas ſubjicit. Hinc in tab. III. typum Imperii Romano-Germanici triplicem, Geographicum, Hydrographicum & Politicum ſiſtit. Inde in tab. IV. ſynopſin Chronologiæ V. & N. Teſtamenti, juxta æras & epochas Chronologorum diverſas ſubjungit, ut ſecundum eas res in orbe geſtæ digeri poſſint. Poſtea in tab. V. indicem Imperatorum Romano-Germanicorum a Carolo M. usque ad Auguſtisſimum Imperatorem Leopoldum exhibet. Cui tabulam VI. ſubjicit, qua inſtructionem Genealogicam in uſum illiteratorum comprehendit. Tabula VII. eſt progonologica, cui adduntur tabulæ progonologico-Heraldicæ, quibus inſignia Principum ex Scriptoribus Heraldicis juxta areas deſignatas inſeri poſſunt.

His quaſi proœmialibus tabulis ſubjunguntur tabulæ Hiſtorico-Genealogicæ Imperatorum, Regum, Electorum, Principum ac familiarum illuſtrium ſpeciales, inſperſis notis, quæ ad hiſtoriam civilem in compendio noſcendam faciunt. COURS

COURS D' ARCHITECTURE &c.

i. e.

Curſus Architecturæ, continens Ordines Vignolæ cum commentariis, figuris & deſcriptionibus optimorum ejus & Michaelis Angeli ædificiorum, eorumque omnium, quæ ad Architecturam ſpectant, nec non luculenta artis hujus explicatione: Autore A. C. DAVILER, *Architecto.*

Pariſiis apud Nicolaum Langlois, 1691. & Amſtelodami apud fratres Hugetanos, 1694. in 4.

Conſtat Alphab. 5. plag. 7. & magno æ nearum figurarum numero.

J*Acobus Barozius, Vignola* vulgo dictus, ab oppido Bononienſis territorii, ubi patre Clemente Mediolanenſi, matre vero Germana anno 1507 natus fuit, in primis juventutis annis Bononiæ arti pingendi addiſcendæ navavit operam. In qua cum, magiſtro ſatis perito deſtitutus, non magnos faceret progreſſus, ad Architecturam vero addiſcendam toto ſe ferri animo perſentiſceret; omnes curas cogitationesque ſuas ad illam convertit, augurio quaſi capto ex deformationibus ædificiorum, quas multorum cum adplauſu perfecerat. Quoniam vero intelligebat optime, ſola delineandi arte, aut lectione Vitruvii, non poſſe perveniri ad illud faſtigium, quo enitebatur; Romam conceſſit, ut antiqua ejus inſpiceret monumenta, ex iisque regulas optimas depromeret. Ubi quidem illi cumprimis hoc commodum evenit, quod ab Academia Architectonica, cujus tum principes erant Marcellus Cervinus, Maffeus & Mazzuolus, adſcitus fuit eum in finem, ut quæ mente illa conceperat, penicillo deſignaret, & ædificia antiqua metiretur & deformaret. Qui labor illi tantum profuit, ut genuinam ædificandi rationem familiariſſimam ſibi redderet, ac plurima deinde ædificia Romæ, Bononiæ, Placentiæ, &c. arte politiſſima exſtrueret, tantamque ſibi compararet nominis famam, ut ab Hiſpaniarum Rege ad Eſcuriale ædificandum evocaretur: quam tamen provinciam ſibi delatam, ætate jam provectus, ſuſcipere noluit,

Digitized by Google

præcipue cum poſt Michaelis Angeli obitum, *Baſilicæ S. Petri* a Pontifice maximo architectus conſtitutus fuiſſet. Tantus igitur artifex circa extremos vitæ annos (obiit enim anno 1573 ſexageſimum ſextum annum agens, ſepultusque fuit in magnifico *D. Mariæ* templo, quod a *rotunditate* nomen habet) ea, quæ cum uſu & experientia, tum ſedula antiquitatis contemplatione didicerat, in regulas contraxit, quas amicorum adductus precibus, & Cardinalis Farneſii munificentia adjutus, edidit in lucem. Qui liber tanto placuit opere ſtudioſis Architecturæ, ut in omnes pæne cultioris Europæ linguas traductus fuerit. Quamvis enim *Scamozzius* & *Palladius*, poſtquam ſcripta ſua pereruditа cum publico communicarunt, plurimos invenerint aſſeclas, habuit tamen ſemper quoque *Vignola*, qui rationes ipſius ſunt ſecuti, cum ipſas regulis comprehenderit, quas operæ non difficulter aſſequuntur. Accedit, quod, judice peritiſſimo architecto *Auguſtino Carolo Davilerio*, in orthographiis maxime imitatus fuit antiquitatem, & ubi aliquid de ſuo admiſcuit, non longe receſſit ab archetypis. Quæ etiam potiſſima cenſeri debet cauſa, quod hunc præcipue ſolertiſſimus ille Vir elegit, quem commentariis illuſtraret, & acceſſionibus inſignibus, quæ ad artem architectandi pertinent, locupletaret. Gallicam enim verſionem ſub incudem vocavit, eique ſchemata adjecit nitidiſſima, quæque omnes partes diſtincte oculis exponunt. Vita Vignolæ & generalis de orthographia columnarum tractatio præfationem ſequuntur, in qua tyrones de Architecturæ excellentia inſtruit, eisque viam monſtrat, quam tenere debeant ad ejus contendentes culmen. Commendat vero inprimis antiqua Italiæ monumenta, queſtus, hoc ſeculo, ducibus Borromino, Petro Beretino de Cortona, Rainaldo, &c. multum deflexiſſe Italos a genuino veteribusque probato ædificandi modo. Præterea novas quamplurimas addidit figuras & præcepta, quæ attinent ad decorationem, diſtributionem, materiam & conſtructionem ædificiorum, artem item lapidariam, tignariam, ſcriniariam, ſerariam, horticulturam, & reliqua, quorum notitia ab architecto requiritur; ut non vane *Curſus Architecturæ* titulus fronti hujus libri præfixus videatur. Quoniam autem *Michaelis Angeli*, celeberrimi illius pictoris, ſtatuarii & architecti ædificia conjungi ſolent cum Vignolæ libro, hæc quoque non ſolum explanavit, ſed etiam vitam recenſuit artificis illius, qui nobili

familia,


Digitized by Google

TAB. I. *ad A. 1694. pag. 27.*



BASES COMPOSÉES et CHAPITEAUX SYMBOLIQUES

Digitized by Google



Digitized by Google

familia, in Aretino agro, patre Ludovico Simone Bonarota, anno 1474 ortus, & naturæ impetu ad pingendi & fingendi artem colendam abreptus, paria fecit cum veteribus, omnesque ſuæ ætatis longo poſt ſe reliquit intervallo; tandem vero, poſtquam templi S. Petri, quod auſpiciis Julii II A. 1508 cœptum erat a Bramante, architectus a Paulo III conſtitutus fuiſſet, variaque uſus eſſet fortuna, Romæ d. 17 Februarii A. 1564 octogenario major deceſſit.

Quoniam autem quævis ars conceptis quibusdam & ſolemnibus verbis res, in quibus verſatur, ſolet exprimere, quæ a communi loquendi more ſunt aliena; illa cum cura quoque collegit *Davilerius* & perſpicue explicavit, ita ut *Lexicon* illud *Architectonicum* dimidiam fere totius libri partem conſtituat.

Ut autem, prout noſtra fert conſuetudo, ſpecimen aliquod afferamus ex hoc Auctore, notum eſt diſceptari inter architectos, utrum novus aliquis ordo columnarum a reliquis diſtinctus excogitari poſſit, nec ne? Ad hoc ergo quod attinet, cenſet Davilerius, cum non qualiscunque, ſed proportionum mutatio ordines immutet, nec concinnior excogitari poſſit diſpoſitio, quam quæ in Corinthiaco obtinet ordine, etiamſi in capitulo quodam foliorum mutetur ſpecies, aut alia quædam varientur ornamenta, nihilominus tamen ipſum ad illum ordinem eſſe referendum; ita tamen ut nihil prohibeat, quo minus peculiare aliquod nomen ab ornamentis illis petitum eidem tribui poſſit. Quod ſi enim (vid. Tab. I. fig. 1.) foliorum locum plumæ occupent ſtruthiocameli ſuccinctæ vittis equitum S. Michaelis & S. Spiritus, galli vero gallinacei plumæ ornent volutas, caput autem ejus vel etiam Solis imago ſit loco floris, & tandem aſtragalo corona innitatur, capitulum tale *Regium* & *Gallicum* dici poſſe exiſtimat. Quodſi autem capitulum (vid. fig. 2.) inſtructum ſit palmæ foliis, & pro flore caput habeat arietis, cujus etiam cornua volutarum vice fungantur, *Sacrum* nominari poſſe arbitratur, & optime convenire Martyrum SS. templis, qui licet, ut arietes olim apud Judæos, aut victimæ, cæſi fuerint, victoriam tamen, cujus palma ſymbolum eſt, reportarint.

Tab. I. fig. 1.

fig. 2.

DELICIÆ QUORUNDAM POETARUM DANORUM, collectæ & in duos tomos diviſæ a Friderico Roſtgaard.

Lugduni Batavorum apud Jord. Luchtmans, 1693. in 12. Plag. 54.

PRæclaram atque utilem iis,qui humaniores literas colunt,cumprimis autem qui poetices ſtudio & carminum amore tenentur,operam præſtitit *Janus Gruterus*, dum plurium gentium poetas Latinos,qui hæc ſacra Muſarum moverant,collegit,& Germanorum, Belgarum, Gallorum ac Italorum poemata, ſive ſuis jam voluminibus edita, ſive per ſchedas ſparſa,diſtinctis faſciculis & quindecim tomis, *Deliciarum* nomine inſignitis, e trajectis literis formatum *Ranutii Gheri* nomen ſibi aſſumens,aſſervavit & poſteritati reliquit. Cujus induſtriam imitatus *Jo. Philippus Pareus*,quatuor Hungaricos poetas anno 1619 junctos edidit; eodemque conſilio *Jo. Scotus Scototarvatius* ſuæ gentis Scoticæ ſeptem & triginta eximios poetas Amſtelodami A.1637 excuſis duobus tomis evulgavit. A quo inſtituto nec alienum videtur propoſitum *Balth.Moreti*,qui Antverpiæ A.1662 typis ſuis ſeptem illuſtrium Italorum poemata publico dedit, a Dan. Elzevirio decem poſt annos recuſa Amſtelodami; & eodem collimare videntur *Lugdunenſes*,qui A.1688 elegantiſſimorum poetarum,Hosſchii,Becani & Wallia carmina, *Oxonienſes* item qui ſuperiori 1692 anno Anglicanarum Muſarum analecta dederunt, in iſtius anni Actis p. 83. memorata. Idem ſtudium quum in Danicæ gentis præſtantioribus poetis eorumque ingenioſis monumentis colligendis nemo hactenus poſuiſſet, poſteritati autem eas aſſervari lautitias æquum omnino videretur,quod non magis artibus aliis quam poeticis iſtæc gens excellat; ſex præ cæteris præſtantiores poetas Danos ſimul in conſpectum proferre,iſtorumque cultiſſimorum ingeniorum elegantes fœtus duobus tomis collectos in Belgio nitidis typis evulgare ſategit Frid. Roſtgaardus. Non quod tam exiguo numero abſolvatur poetarum Danorum chorus,quem longe ampliorem exhibet Olaus Borrichius in Diſſertatione de Poetis Danis, libro huic præfixa; ſed quod hi ſex præ cæteris hoc ſeculo carminum copia & numero floruerint.

Primum locum tenere juſſit HENR. ALBERTIVM, cujus poemata, quæ hic recuſa ſunt,octoginta tribus adhinc annis Gieſſæ ſub titulo *Muſæ adoleſcentiæ Veneris* prodierant, ipſaque inſcriptio juvenem admodum Muſis his operatum eſſe auctorem indicat; favore autem & amicitia doctorum iſtius ætatis virorum ipſum floruiſſe, e tertia parte Deliciarum poetarum Belgicorum patet,quam Grute-

Gruterus eidem inſcripſit, *elegantiſſimum* eum *poetam* ſalutans, *Germaniæ delicium, cujus mores ac ſtudia ita oppido facta ſint ab Humanitate ad humanitatem, a Muſis ad Gratias, ut ipſum omnes animæ non vulgares a minima ad maximam dilexerint, magni fecerint, amplexæ ſint.* In laudibus Regis & regiorum operum prima pars poematum verſatur, altera anagrammatibus evolvendis, tertia elegiis, quarta epigrammatibus, quinta odis abſolvitur. E quibus, ut ex ungue leo oſtendatur, iſtud apponemus, quo Muſas amore ſe complexum profeſſus eſt, epigr. 217.

Quisquis amat Venerem raro redamatur ab ipſa,
Fit ſociis crebro fabula nota ſuis.
Quisquis amat Muſas Muſis redamatur ab ipſis,
Et ſibi perpetuum nomen in orbe parit.
Qui ſapit, is Veneris Muſæ poſtponit amorem,
Stultus amat Cypron, ac ex Helicone fugit.

Secundo loco exhibentur JO. HOPNERI poemata, cujus vitam, (quæ anno 1675 deſiit, trigeſimum tertium ætatis annum vix ſupergreſſa) per liberalia literarum ſtudia præclare actam, elegantiſſima recitatione proſecutus eſt vir illuſtris Wilhelmus Wormius in elegantiſſimo programmate Rectoris Hafnienſis nomine ſcripto, ortum ejus, educationem, ſtudia, itinera & mortem diſertiſſime enarrans, quod præfixum Poematibus p. 160. legitur, additis duabus inſcriptionibus ſepulcralibus, e quibus munificentia ejus erga academiam Hafnienſem intelligitur. Inter poemata menſuram epici carminis digne implent gloriæ Chriſtiani V. p. 177. 232. 288. nuptiis Caroli Electoris Palatini p. 200. natalibus Friderici Hæredis regii p. 219. laudibus Petri Greiffenfeldi Cancellarii p. 258. ſcripta carmina.

Tertio loco conſpiciuntur CHR. AAGAARDI poemata, qui anno 1616 natus anno 1664 diem obiit, in Sorana primum academia doctoris munere functus, poſtea poeticæ arti tradendæ in academia Hafnienſi præfectus, tandem ſcholæ Ripenſis gubernacula poſtquam tenuiſſet, Paſtoratui eccleſiæ Wedſtedenſis regendo admotus. In ipſius poematibus eminet panegyricus de victoria Chriſtiani IV adverſus claſſem Sueco-Batavam reportata, qui titulum *Lauri Cimbricæ* A. 1644 contextæ gerit, p. 359; epicedium in exequiis ejusdem glorioſiſſimi Regis anno 1648 peractis, ſub elogio *threno-*

Digitized by Google

rum hyperboreorum evulgatum p. 421; nec non iſtud in funere filii ejus Chriſtiani V. electi Daniæ Regis, anno 1647 defuncti, quod *Manes Cimbricos* inſcripſit p. 402.

Quartum locum occupant, quæ in tomi ſecundi fronte conſpiciuntur VITI BERINGI carmina, venuſtiſſimi poetæ, oratoris & hiſtorici cultiſſimi ingenii fœtus. Vitæ ſuæ hiſtoriam ipſe contexuit, quam programmati academico in funere ejus evulgato inſertam Editor præfixit poematibus. Unde intelligimus, anno 1617 ipſum natum, in prima juventa Tychonis Brahei filiolo primordia literarum tradidiſſe, Tottii inde juvenis moribus ſtudiisque præfectum ejus peregrinationum comitem extitiſſe, & bis Belgium, ter Galliam, ſemel Italiam & Germaniam peragraſſe; Hafniæ poſtea poeſin, Soræ hiſtoriam profeſſum, in Scania rebus Danicis commemorandis operam dediſſe, Hiſtoriographi regii axiomate ornatum, Conſiliariis tandem ærarii regii, & ſupremi Juſtitiæ fori Aſſeſſoribus annumeratum fuiſſe, ac anno 1674 forti & conſtanti animo (quem eleganter exponit Wormius) vitam laudabiliter actam clauſiſſe. Scripta ejus tum typis excuſa, tum in ſcriniis hæredum latentia, recenſentur, & Pauli Vindingii elegans epigramma imagini ejus adſcriptum, duæ item ſepulcrales inſcriptiones marmori inſculptæ, in templo Hafnienſi D. Virginis conſpiciendæ, exhibentur. Poemata ipſa, ſi verum fateri volumus, reliquis cæterorum, quæ in hoc volumine continentur, vatum Danorum carminibus palmam præripiunt, venuſtate & gratia dictionisque elegantia iſtis ſuperiora. E quibus exempli loco iſtud epigramma adſcribemus, quod imagini Sereniſſimi Saxoniæ Electoris Johannis Georgii III, quum is Potentiſſimi Daniæ Regis Friderici III. filiæ Annæ Sophiæ matrimonio jungeretur anno 1667 affixit, apponemus p. 96,

Sic ſanguis Witikinde tuus, ſic Martia proles
Pingitur, & magnos ardua ſpirat avos.
Da dextram, da Saxo fidem, da pignoris arrham;
Quæ te felicem nos quoque cauſſa facit.
Lux eadem aſſulget geminis, ſors erigit una,
Spesque eadem ſecli pone ſequentis erit.
Oceano coit Albis, & aurea verſat in æquor
Flumina, & unitis fœdera jungit aquis,

Ingre-

Ingredere Arctoum auguriis felicibus orbem,
Saxonicæ o potior ſpesque decusque domus;
Quem virtus, quem dia fides, quem pronuba Juno
Nunc noſtrum faciunt, nosque amor eſſe tuos.
Hæc populi, hæc procerum vox eſt: hæc, maxime Princeps,
Quod cernis, cupiunt ipſa metalla loqui.

Quinto loco extant HENR. HARDERI carmina, quorum potiſſima pars epigrammatibus conſtat, tribus libris anno 1679 evulgatis, argutis profecto & terſis, quæque elegantia & ingenio nullis recentium poetarum cedunt; quod e ſequentibus manifeſtum redditur. Lib. I. ep. 62.

Suſanna ad laſcivos ſenes.

Non pudet æterna canos aſpergere labe?
Non pudet hac famam labe notare meam?
Monſtra ſenum! non hic amor eſt, inſana libido eſt,
Quam furor e Stygii ſuſcitat igne rogi.
Hic ut in irriguis ſe mundet & abluat undis,
Non ut commaculet, nuda Suſanna ſedet.
At neque fraude minisve labat mens integra, ſpernam
Tectos nuda, viros fœmina, ſola duos.

Ep. 72. de nomine Jeſu:

Omnia debebam, nec enim ſolvendo futurus:
Hoc nomen nomen me facit eſſe bonum.

Ep. 117. de vita & morte beata:

Vivere diſce, mori qui vis aliquando beatus;
Qui bene vis olim vivere, diſce mori.

Lib. II. ep. 5. de obſidione Hafnienſi ad Regem:

Hoſtis adeſt, ſpectat deſertam mœnibus urbem;
Dum parat ingreſſum, mœnia nata videt.
Dum ſtupet, urget opus noſtri ſolertia Martis,
Eluditque truces vis inopina minas.
Nunc Amphionios ne jactet fama labores,
Aut teſtudinea mœnia ſtructa fide.
Nam multo breviore mora, Rex magne, tuorum
Tu quoque ſtruxiſti mœnia tanta fide.

Ep. 47.

Ep. 47. Scientiæ genealogia:

Filia non temere Thaumantis creditur Iris;
Invenit hic certam fabula ficta fidem.
Quas ſcimus rerum fuit admiratio mater,
Illa cognitio nata parente fuit.
Naſcitur ex iſta rurſum admiratio doctis,
Mira eadem nata nata parensque ſua.

Ep. 68. de typographia:

Luce beo multos: doctorum ſcripta virorum
Quum potuere premi, non potuere premi.

Lib. III. ep. 27. Epitaphium cujusdam avari:

Hic ſitus eſt, qui quum per pharmaca vivere poſſet,
Parceret ut nummis maluit ipſe mori.
Nunc reor optaret vitam, ſi ſcire liceret,
Impenſas tantas funeris eſſe ſui.

Ep. 33. in Lucilium:

Oſtendiſſe novas antiquis vatibus undas
Bellerophontæi dicitur unguis equi.
Hic proprios rodit, quum verſum parturit, ungues.
Vix Aganippæas hic dabit unguis aquas.

Ep. 90. in mortem Archimedis Syracuſani:

Occidis in tenui dum pingis pulvere, vitæ
Ultima mors vere linea facta tua eſt.

Nec heroici carminis facultatem ipſi defuiſſe, ſed gravitate non minus epica, quam argutiis epigrammaticis ipſum excelluiſſe, argumento eſt inſigne & prolixum carmen, quo *Hafniam arctiore obſidione liberatam* anno 1660 decantavit; alterum item quo laudes Petri Greiffenfeldi magni Daniæ Cancellarii, qui gloriæ ſuæ ſuperſtes hodienum vivit aula pulſus, anno 1675 perſecutus eſt, numeros poeticos argumenti exæquans dignitati.

Agmen claudunt OLAI BORRICHII poemata, viri ut fama, ob eruditionem & exquiſitam in liberalioribus diſciplinis & arte medica ſcientiam, maximi, ſic ob recentem memoriam jacturæ, quam

quam ejus morte (quæ d. 3. Oct. anno 1690. ei contigit) res literaria fecit, deſideratiſſimi, & ob lautiſſima ſtipendia de ſtudiorum cultoribus deque Hafnienſi academia meritiſſimi. Omnes enim, quas amplas admodum honeſte comparaverat, facultates in pauperum ſtudioſorum utilitatem erogavit: cumque a conjugio tota vita abſtinuiſſet, adeoque cælebs moreretur, ex Muſarum filiis (ut inſcriptio ejus tumuli indicat) tot adoptavit liberos, quot in Collegio, *Mediceo* dicto, quod ipſe fundavit, in poſterum ad uberiora ſtudiorum incrementa præſidium ejus beneficio nanciſcentur. Sedecim ſemper ſtudioſis in iſtac magnifice exſtructa domo, quam opportunis cubiculis & exquiſita ſupellectile libraria ac laboratorio chemico inſtruxit, alimenta & hoſpitium, ut præberetur; ſed & aliis egeſtate & imbecilli valetudine oppreſſis ut ſubveniri poſſet, ingenti pecuniæ ſumma, quæ numerum viginti ſex mille & trecentorum Imperialium explet, in teſtamenti tabulis proſpexit, ſtudiorum non magis quam eorundem cultorum ex animo ſe curam geſſiſſe poſteritati oſtendens. In Poematibus ejus eminent tria epica; quorum unum *Amagria vindicata* titulo inſulæ iſtius a Suecis occupatæ liberationem; alterum *Arctos pullata* inſcriptum, exequias Friderici III. Regis; tertium *Arctos reſpirans* inſignitum, Chriſtiani V. inaugurationem eleganter & graviter decantat. Ex epigrammatibus iſtud apponemus, quo editorem ſex horum Poetarum, quos recenſuimus, (nam vivente adhuc Borrichio eorum in Belgio typis excudendorum initium is fieri juſſerat) fuit proſecutus, non minus elegantiæ auctoris quam præſtantiæ hujus inſtituti, præclarum teſtimonium:

Ergone, quæ ſparſis volitarunt carmina membris,
Neſcia fortunæ (ſors ita dura) ſuæ,
ROOSTGAARDE, Hafniaci decus & nova gloria Pindi,
Colligis, & fato nobiliore beas?
Macte inſperato, quo nil generoſius, auſu!
Quo patriæ in laudes ſanctius ire nequis.
Hæc pietas, hæc priſca fides, hæc dia voluptas,
Detrahere inſtanti ſemicremata rogo.
Vidiſti Hippolitos variis in curribus actos
In mortem celeres præcipitare rotas;

E *Vidiſti*

Digitized by Google

Vidiſti nullum, qua noſtri incuria ſecli eſt,
Siſtere cornipedes, & revocare gradus;
Unum te opponis, ne tantum injuria poſſit
Temporum, & hæc patria lumina obire vetas.
Hoc meritum ROOSTGAARDE tuum eſt, ut patria reddat
Et ſine nube dies, & ſine morte decus.

LA PHYSIQUE OCCULTE, OU TRAITÉ de la Baguette divinatoire, &c. par M. L.L. de Vallemont, Prêtre & Docteur en Theologie.

h. e.

Phyſica occulta ſeu Tractatus de Virgula divina, & ejus utilitate ad indagandum fontes aquarum, mineras, theſauros abſconditos, fures & ſicarios profugos; una cum principiis, quæ explicant phænomena naturalia maxime obſcura. Auctore L.L. Vallemontio, Sacerdote & Doctore Theologiæ.

Amſtelodami apud Adrianum Braakmann, 1693. 12.

Conſtat plag. 21. cum figuris æneis 24.

PErdifficilis eſt quæſtio, de qua ſumma jampridem Philoſophorum diſſenſione certatum fuit, ſitne vis aliqua virgulæ, quam divinam vocant, a natura inſita, ut latentes metallorum venas, aut abditos aquarum fontes commonſtrare poſſit? Ea vero nuper denuo agitari cœpta eſt in Gallia, cum anno 1692 d. 5 Julii Lugduni œnopola cum uxore in cella vinaria fuiſſet obtruncatus, & Jacobus Aymarus, Delphinas, agricola non tenuis fortunæ, ſingulare ſuæ virgulæ ſpecimen edidiſſet. Neque enim oſtendit duntaxat, inclinari virgam verſus illum locum, quo cadavera occiſorum erant projecta, ſed etiam alia omnia, quæcunque ſicarii contigerant, ipſaque illorum veſtigia; ita ut, cum illi profugiſſent, viam, quam inſtiterant, non difficulter indagaret ejus adminiculo, tandemque ſceleris ſocium Belicadri (Beaucaire) in Occitania deprehenſum ex fuga retraheret: qui etiam, faſſus immane illud facinus, ultimo affectus fuit ſupplicio. Variæ itaque fuerunt & valde diſcrepantes doctorum

Digitized by Google

rum virorum hac de re ſententiæ, quorum nonnulli Aymarum magicæ artis ſuſpectum habuerunt, alii vero illam ſuſpicionem a viro minime malo removentes, rem illam naturæ vires non excedere aſſeruerunt. Quam ſententiam etiam rationibus a vero non abhorrentibus defendendam ſibi ſumſit doctiſſimus Vallemontius, qui, poſtquam Aymarus Pariſios magni Principis juſſu venit, ſingulis diebus integri menſis per aliquot horas cum Aymaro verſatus eſt, ſingulasque circumſtantias ſolicite indagavit & notavit.

Atque hinc natus ipſi fuit de Virgula divina liber, in quo poſtquam de nominibus variis ejusdem,& incerto tempore, quo in uſum vocari cœpit,(fit enim ejus mentio jam in Baſilii Valentini, qui circa A. 1450 floruit, teſtamento) egit, ratus non eſſe improbabile, Ciceronis jam & Varronis tempore illam in uſu fuiſſe, cum hic Satyram, cujus titulus *Virgula divina*, ſcripſerit, Tullius vero lib. I. Officiorum Virgulæ quoque divinæ, qua omnia, quæ ad victum cultumque pertinent, ſuppeditantur, mentionem fecerit; ipſa ejus recenſet phænomena. Nimirum (1) ex ligno quocunque, modo leve & poroſum ſit, v. g. ex lauro, amygdalo, &c. præcipue corylo, fieri poteſt. (2) Parum refert, quocunque anni tempore decidatur ex arbore, modo hæc repleta nimium ſucco non ſit nutritio. (3) Non neceſſe eſt, biſurcata ut ſit, ſed ſimplex ramus quoque ſufficit. (4) Nulli requiruntur peculiares ritus, aut incantationes, ad ejus præparationem aut uſum. (5) Virgula, ſi in æquilibrio ſuſpendatur, non inclinat ſua ſponte in metallum, aut alia corpora. (6) Si autem vel utraque manu comprehendantur ejus ramuli, quando biſulca eſt, vel etiam manui inverſæ imponatur, ut in æquilibrio conſiſtat, vel tandem ſimplex ramus utraque prehenſus manu paululum incurvetur, convertit ſe ad aquam, humum ſuffoſſam, cadavera occiſorum, ſontium veſtigia, & quæ illi contrectarunt, nec non magnetis polos. (7) Non a quovis promiſcue detenta virgula ita movetur, ſed certis ſolum hominibus, neque his quidem omni tempore. (8) Homines illi dum loca multis exhalationibus fœta accedunt, interna quadam ſenſatione afficiuntur, languidiori quidem, cum ad loca, ubi metalla aut aquarum venæ latent, accedunt; fortiori, quando in locis, ubi homicidium aliquod commiſſum, verſantur: ita ut ſudore manent, pulſus arteriarum fiat celerior, ipſosque

Digitized by Google

dolor capitis, & cordis palpitatio invadat. (9) Iidem, ut legere poſſint veſtigia profugi homicidæ, neceſſe eſt, ut ad locum, ubi facinus eſt commiſſum, accedant, & interna illa ſenſatione primum imbuantur, quæ etiam durat, quamdiu ſontium premunt veſtigia.

Hæc ergo ut explicet, ex corpuſculari philoſophia, experimentis Boylei aliorumque munita, confirmat: (1) Effluere continuo ex corporibus particulas admodum exiles, quibus mediantibus in alia corpora a ſe remota poſſint operari; præcipue vero ex aquis, humo ſuffoſſa, metallis, & hominum corporibus, inprimis vehementi affectu percitorum. (2) Subtiliſſima illa corpuſcula non facile diſpergi ab aëre, cui innatant; (3) Retinere quoque, cæteris paribus, determinatam ſuam naturam, ut idem fere poſſint operari, ac corpora, ex quibus promanarunt.* (4) Naturam agere modis maxime ſimplicibus, nec majori uti circuitu ad ea efficienda, quæ mira nobis accidunt, quam quæ obvia nobis videntur; atque hinc ſi phænomeni alicujus cauſa deprehenſa a nobis ſit, eam legitime poſſe transferri ad effectum analogum illuſtrandum.

Quoniam ergo maxima intercedit affinitas inter inclinationem virgulæ & acus magneticæ, illam ita declarat: (1) A metallis, aquis, cadaveribus, &c. exſpiratos halitus, receptari ab hominum corporibus, & cum determinatam illi ſuam naturam retineant, ea ſi teneri ſint & exquiſiti ſenſus, peculiari ratione afficere, ut homines nonnulli de præſentia corporum, ex quibus vapores multi exci-tantur, poſſint eſſe certiſſimi, nec, ſi impreſſio hæc ſatis va[illegible] ſit, ulla egeant virgula divina. (2) Hanc vero, ſi manibus geſtetur, cum poroſa admodum ſit, facile penetrari ab illis effluviis ex hominis manu emanantibus, atque ita diſponi, ut ejusdem generis exhalationes illam promte ſubire poſſint; eodem fere modo, quo acus ferrea magnetis admota polo magnetiſatur. (3) Hinc ergo virgam ſolam æquilibratam non moveri, ſed cum ab homine tenetur, non quolibet, ſed tali corporis textura prædito, quæ ad exſpirationes illas rite recipiendas requiritur. (4) Tunc autem deorſum inclinari, quia effluvia ex aquis latentibus, cadaveribus, &c. adſcendentia verticaliter, in eum illam ſitum redigunt, ut fiat parallela lineis verticalibus, quas dum elevantur, deſcribunt; quemadmodum materia magnetica inclinat acum, dum eam parallelam reddit lineis,

in

Digitized by Google

in quibus circa terram movetur. (5) Proinde, cum interna illa ſenſatio admodum debilis eſt, ex inclinatione Virgæ certum capi poſſe de rei, magnam corpuſculorum vim exhalantis, præſentia indicium; ita tamen ut incertum ſit, utrum a metallis aut aquis &c. halitus illi procedant. (6) Homines, ut veſtigia legere poſſint alicujus profugi, in eum ſe debere conferre locum, ubi copioſa admodum ejus ſunt effluvia, ut certa ſenſatione afficiantur, quæ etiam certos ipſos deinde reddat, quamdiu viæ homicidarum inſiſtunt, non aberrare ſe, nec Virgulam ab alio corpore incitari. (7) Tandem cum peculiaris diſpoſitio in hominibus illis requiratur, & infinitæ pæne cauſæ ſint, quæ illam immutare poſſint, hoc quoque experimentum inter ea eſſe referenda, quæ non ſemper ſuccedunt.

Hinc autem porro efficit, Virgulæ motum non pendere ex pacto aliquo implicito cum Cacodæmone, præſertim quia nulli adhibentur ritus ſuperſtitioſi; nec ullum habere commercium cum Rhabdomantia, quam ſacræ execrantur literæ. Contendit contra, inter omnes reliquos modos, quibus latentes aquarum & metallorum venæ indagantur, optimum eſſe illum, in quo Virgula adhibetur, afferens catalogum plurium quam 150 venarum in Gallia detectarum virgulæ adminiculo a Germano quodam, & recenſitarum in libello ad Cardinalem Richelium, jam rariſſimo, cujus titulus, ***Reſtitutio Plutonis***. Qui auctor cum ſeptuplex virgarum deſcribat genus, & peculiarem aſtrorum requirat poſitum, ut virgæ ſingulæ certas mineralium ſpecies indicent; ex illo curioſitatis gratia proferuntur cœli themata, quæ requirunt: (1) Virgula lucens, quæ mineralibus Solaribus eſt propria; (2) Cadens, dicata Lunaribus; (3) Saliens, adhibenda Venereis; (4) Feriens, ſeu furcilla, indagans Jovialia; (5) Trepidans vel tremens, Saturnina monſtrans; (6) Cadens ſeu inferior, qua Martialia, & (7) Obvia ſeu ſuperior, qua Mercurialia exquiruntur.

Ultimo loco ſuffragia quamplurima doctorum virorum Vallemontius adducit, qui Virgulæ divinæ uſum valde probarunt, quorum ultimum eſt Abbatis Galleti, Eccleſiæ Carpentoractenſis magni Pœnitentiarii, cui & ipſa Virgula movetur, quique cenſet, ſanguineos & phlegmaticos homines ad uſum ejus eſſe aptiſſimos, quo-

E 3 niam

Digitized by Google

niam cholerici & melancholici (temperamenti quippe ſiccioris) vapores ſe circumſtantes emanatione contraria, h. e. ſicca, diſcutiunt, & motum illorum perpendiculariter adſcendentium interrumpunt. Quam in rem quoque Aymari affert Horoſcopum, nati A. 1662. Septembr. d. 7. h. 12. Elev. Pol. $\overset{o}{45}$.

HENRICI HULSII, THEOLOGI BRANdenburgici in Academia Electorali Duisburgenſi, de Vallibus Prophetarum Sacris, Liber unus.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans, 1693. in 4.

Conſtat 2. alphab. 10½. plag.

QUem de Vallibus Prophetarum Sacris a Clar. Autore ſedecim Exercitationibus abſolutum ſummatim recenſere inſtituimus Commentarium, non tam explicandæ vallium naturæ atque ſitui operam impendiſſe, quam potius circa viſa ad eaſdem Prophetis data & res iis præmonſtratas verſari, quivis, qui eum cum cura inſpexerit, nobiſcum fatebitur.

Id quod abunde ſtatim Exercitatio I. *de valle fluenti Cebhar* demonſtrat, in qua cum indicaſſet, ſe fluvium Cebhar vallibus ideo annumerare, quod flumen per ſe vallis ſit, & ab Ebræis fluvius ac vallis eodem nomine נחל inſigniantur, ſibique commodum videri, fluvium magnum Hiddeckel ſubintelligere, ad oblatum Prophetæ viſum de gloria Dei ſeu Chriſto ſe accingit. Partitur proinde caput I. Ezechielis, in quo illud viſum habetur, in quatuor membra, ac primo quidem ventum procelloſum nubemque vehentem eleganter ait depinxiſſe ea, quæ exitum Iſraelis e captivitate Babylonica promoverunt. Deinceps tam Cherubinorum loci paralleli Ezech. X. nomen, formamque, ac differentiam, qua diſcernebantur ab iis, quibus in Templo Deus inſidebat, evolvit, quam quatuor animalium ſignificationem ad omnes in Eccleſia univerſali ab orbe condito exiſtentes pertinentem inſinuat. Poſtea rotas, quæ Apoſtolos & docentes in Eccleſia reſpiciant; & tandem cum expanſum inſtar cryſtalli formidabilis, quod fideles a ſtatu beatorum ſeparet, tum ſolium, in quo Chriſtus cum igne zeli, iræ, paſſionum, & obedientiæ activæ ſedens conſpiciatur, ordine pertractat. Quibus ſub-

Digitized by Google

ſubjungit quatuor parallela, eaque pari ſtudio interpretatur. Primum ex Ezech. X. ait gloriæ Dei, hoc eſt, Chriſti, deſcenſum ſeu exinanitionem, & aſcenſum ſeu exaltationem, deſcribere. Apparere ante deſcenſum virum lino indutum, qui vel ex hominibus Joannes Baptiſta dici queat, vel ipſe Spiritus, qui ſignet in fronte, convertendo & illuminando; ſex viros armis inſtructos denotaſſe Romanos exitium Judæis ultimum afferentes. Dum iſte ignem conjicere in urbem jubetur, Chriſtum denotari, Joannemque & Apoſtolos, qui e ſcriptis Moſis atque Prophetarum ignem quaſi in urbem injecerint. Deſcendere Gloriam & ſedere ad limen in incarnatione & exinanitione, aſcendere eandem peracto munere; animalia cum rotis ſimul elata ſubſiſtere in janua Templi verſus Orientem, & poſt ex Aſia in Europam procedere Evangelii præconium. Secundum Ezech. XXVI, 12.13.14.&c. Tyrum denotare myſticam & papanam. Papam ſiſti menſurantem & definientem in credendis & faciendis. Ornatum eundem eſſe gemmis, quæ notæ Eccleſiæ ſint, quas ſibi tribuat. Verſari inter lapides ignis, qui fideles denotent, & ſubjici ſeſſionem ejus in templo, memorari flagitia, & indicari pœnas. In tertio parallelo Eſ. VI. repeti notat animalia in Seraphim, qui non ſint Angeli, qui corpora impura alis haud tegant, nec clamore Eccleſiam & domum adeo adimpleant, ut inde poſtes commoveantur, nec obeant purificationis & converſionis inter homines miniſterium, quemadmodum Eſaias Propheta per advolantem ad ſe Seraphinum purgatus fuerit. Tempus viſionis, quod ad mortem Uſiæ referri debeat, non tantum hiſtoriæ inſervire, ſed etiam ad id reſpicere, quod Deus extincta Davidis Regis linea e trunco ſucciſo Iſai verum Regem David ſit excitaturus. Dominum ſeu Chriſtum ſedere in throno alto, quo ſimul locus, ſimul dignitas, ſimul poteſtas ſedentis innuatur. Templum eſſe non Hieroſolymitanum materiale, ſed cœlum cum Eccleſia conjunctum. Fimbrias ſedentis Templum complentes, & conjunctionem eam denotare, qua Chriſtus ac cœleſtia Eccleſiam attingunt; & remotionem cathedræ veterum Doctorum ſubinnuere. Seraphim ſedentem in ſolio cingentes eſſe Doctores & Apoſtolos in miniſterio purificationis ſervientes, itemque ad Regnum ſimul evectam & tranſlatam Eccleſiam. Clamore eorum ter ſanctus! ſive hunc ad Trinitatem Perſonarum, ſive ad triplicem ſanctificationem

Digitized by Google

cationem referre quis velit, Chriſtum laudari, & eum quidem ab iis ad ſe invicem idcirco dirigi, quod veteres Prophetæ atteſtentur novis, & Apoſtoli cuncta ex V. T. confirment. Commoveri poſtes, dum cadant externa umbrarum & ceremoniarum retenta. Domum impleri fumo, qui vel de præconio Evangelii, vel de ſuffitu Sanctorum capiendus ſit. In parallelo quarto Apoc. IV. librum ſigillis clauſum dicit eſſe librum Teſtamenti, quo Pater Filii gloriam quærens primogenitum inter fratres ac Regem ipſum conſtituerit, atque huc ſpectare ſigilla & impedimenta ante regni conſpectum prius deſperante omni Creatura ab ipſo fracta & remota. In throno apparere Patrem, a Filio, qui ad eum ut agnus accedat, & Spiritu ſeptiformi diſtinctum. Viginti quatuor Seniores eſſe capita duodecim tribuum V. T. quibus ob umbræ & ſigni analogiam reſpondeat duodenarius Eccleſiæ novæ, qui conjungendus primo duodenario ſit. A throno exire tonitrua, ſententias, & mandata Dei; mare vitreum ſeu colluviem aquarum eſſe colluviem populorum, quos oporteat coram Deo apparere; quatuor animalia non quatuor Evangeliſtas, ſed Eccleſiam univerſalem exprimere, quæ partim compareat in medio throni, prout in cœlo jam triumphet, partim circa thronum, prout in terra adhucdum militare deprehendatur.

In Exercitatione II. tranſit ad vallem *Gibeon*, Eſ. XXVIII, 21. memoratam, qua Propheta ad hiſtoriam 2. Sam. V, 17. ſeq. itemque 1. Chron. XV, 8. ſeq. conſignatam reſpiciat, eamque Autor ad tempora N. T. transfert. Cum enim fama unctionis Chriſti perveniſſet ad aures Philiſtæorum myſticorum, videlicet Phariſæorum, inſurrexiſſe eos furibundos contra unctum Regem, ſed Chriſtum deſcendentem ſe defendiſſe fortiter ad mandatum Patris, Deum ipſum iis cladem intuliſſe, ſecutumque eventum feliciſſimum, quo Judæi diſſipati & eorum elementa mundi ceremonialia captivata fuerint. Concuſſionem mororum in apice eleganter depingere arbitratur ruptum fœdus populorum & ſimultates violentas, quæ inter Præfectos Romanos Proceresque Judaicos interceſſerint. Redintegraſſe prælium Judæos ſub Adriano & Juliano, ſed re infecta diſceſſiſſe. Hoc autem opus excidii Deo alienum & extraneum Eſ. XXVIII. nuncupari, quod nempe a Dei natura, fœdere, œconomia, & directione circa Iſraelem uſitata alienum, nec unquam in illo populo auditum fuerit.

Digitized by Google

fuerit. Poſtquam dein Chriſtus thronum in cœlo occupaſſet, invidiſſe nihilominus hoc incrementum Chriſto Philoſophos, Oratores, Imperatoresque gentiles, qui tamen ſimiliter profligati, & cum operibus ſuis ad incitas redacti cognoſcantur.

Miſſa valle Gibeon, deflectit Exercitatione III. ad campeſtria Moabitidos, ibique vallem ***Sittim***, ſeu a multitudine arborum, ſeu a declinatione a Deo ita dictam, apud Joëlem cap. III, 18.19. conſiderat, cumque Propheta ad Num. XXV. alluſerit, res ab Iſraelitis ibidem geſtas repetit,myſticamque expoſitionem adjungit.Peccaſſe docet Iſraëlitas graviter in Baal Pegnor, qui ab aperiendo & nudando dictus, Priapi, Dei impuriſſimi, formam præ ſe tulerit, & ſimulacrum fuerit Moabitarum, quo Solem coluerint. Inſtruxiſſe eos convivia in ejus cultu, ac turpiter fuiſſe ſcortatos. Scortationem vero myſticam hinc eſſe triplicem, politicam, mundanam, religioſam. Ultimam Apoc. II, 14. ad prima tempora N.T. a Joanne referri, ubi prima myſtica vallis Sittim deprehendatur, quæ & ſcortatione externa & ſpirituali ſeu eccleſiaſtica illuſtris ſit. Hac labe turpitudinis notatos Simonem Magum, Menandrianos, Saturninianos, Gnoſticos, Carpocratianos,Cerinthum, Nazaræos, (qui legis Moſaicæ cerimonias abſolute ad ſalutem neceſſarias crediderint,) Valentinum, eosque imprimis, qui cum Judæis & Gentilibus in ritibus commercium habuerint. Quibus ſi quis Nicolaitas Apoc.II, 6.15. adjungat, ſibi quidem paulo aliter videri, cum Nicolaum aliquem hæreticum non extitiſſe,ſed Nicolaitarum nomine veniſſe eos cenſeat,qui, ſeductione primitivæ Eccleſiæ,ad inſtar Bileami populum ſuperaverint ac ſtraverint, quia plura de Nicolaitis proprie dictis incerta aſſerantur, quod inſuper nomina Antipæ, Jeſabel, aliaque Apoc. II. myſtice veniant, & tandem Nicolaitæ cum Bileamitis ipſis v. 14. 15. aperte convertantur. Internecioni tamen dederunt hos ſcortatores,ex mente Autoris,Pinehaſi myſtici, Apoſtoli, Eccleſia, & Patres, qui vaſa,templa, ac bona Moabitarum gentilium idololatrarum juſto titulo rapuerint. Animadvertit autem,in præſenti Joëlis loco vallem Sittim alio modo ad ultima tempora & inſtaurationem, quæ tum expectabatur, referendam; quod Tyrus myſtica ut diruta exhibeatur, & conjungatur tempori, quo maxima Hieroſolymorum ſanctitas futura ſit. Scortationem, qua ſcortatur ultimi temporis Eccleſia

clesia

Digitized by Google

cleſia, pro varietate locorum & membrorum variam eſſe docet. Primam committi a Reformatis, imprimis Epiſcopalibus in Anglia, Univerſaliſtis in Gallia, nec minus ab iis, qui imperioſa autoritate dirigant Eccleſiam in Germania. Magis aperte ſcortatorium animum prodere Lutheranos, ſcortantes in regimine, in ritibus retentis, in doctrina, nempe in Electione ex fide prævifa, in Baptiſmo, in Cœna. Accedere ſcortantes Græcos. Quos omnes tanquam vallem Sittim irrigatura ſit aqua ſpiritualis, ut fructus ſuos felicius & copioſius aliquando proferant.

Vallis, in qua de Achano ſupplicium Joſua ſumſit, & quæ ob eam cauſam *Achor* dicta eſt, Joſ. VII, juxta Exercitationem IV, Prophetis myſtice notat locum reatus ſingulariter in exitu ad regna N. T. contracti, locum inſuper turbationis ac impeditionis hinc conſequentis, & anathematis in turbatione ſuſtenti; imprimisque ab Hoſea, c. II, 14. 15. & Eſaia, c. LXV, 9. 10. 11. in iſta cauſa adhibetur. Et cum eandem uterque cubile armenti ac oſtium ſpei futuram dicat, non tantum ad rem, ſed etiam ſignificationem nominis eos exiſtimat alludere; ſiquidem, quando una litera in alteram deflectitur, & ע nominis עכר in cognatam gutturalem א, כ in cognatum ח mutatur, verbum אחר, quod idem eſt, ac expectavit, inde reſultare annotat. Ut vero de locis his duobus conſtet rectius, & præcipue Hoſeanus ille eo, quo par eſt, modo capiatur, obſervandum eſſe monet, quodnam hujus Prophetiæ univerſæ argumentum ſit, & quomodo capita ſe invicem excipiant. Tria priora putat agere de fatis Iſraelitarum generatim; cætera usq; ad finem Prophetiæ de Iſraële myſtico & Chriſtiano gentilibusque jam immixto intelligit. Caput I. Hoſeæ fata mala Iſraëlitarum delineare, trinoque adulteræ filio trinum abjectionis & pœnæ gradum ob oculos conſtitui. Suaviora inſinuare caput II, & III, quæ nempe ſub initium & finem N. T. Iſraëli obventura ſint. Diſtinguere Hoſeam capite II. filios Iſraelis a matre; matrem, cum qua filiis ſit contendendum, eſſe Proceres, Hieroſolymam ipſam, & Judaicam Eccleſiam in genere. Filios vero matris multiplicandos, vocandos filios Dei, congregandos in unum, qui per templa peculiaria alibi extructa, per ritus variantes, per odia acerba, hactenus ſeparati & diviſi a ſe fuerint; aſcenſuros ex terra, omiſſuros cathedram & cli-

vum

rum templi, & perrecturos in loca adducendi Gentiliſmi. Cum denuncientur matri pœnæ variæ, exiſtentibus in Gentiliſmo filiis bona meliora concedenda. Deum ad cor eorum verbo non oneroſo jugi, ſed Evangelii, locuturum eſſe. Habituros hos in eo loco vineas, quæ & corporeum alimentum & fructum converſionis gentium affatim ſuppeditaturæ ſint. Vallem futuram oſtium expectationis; ibi in rei veritate implendum, quod in aſcenſu ex Ægypto in typo contigerit, & tunc futuram æternam conjunctionem deſponſationesque & benedictiones maximas, cum reſponderit Spiritus & influxus verbi divini voto cœli & Doctorum, cœlum in larga verbi irrigatione voto terræ, terra irrigata voto muſti ac olei, hoc vero Iſraeli. Non vero Iſraeli ex parte ſolum, ſed & omni, & in fine dierum convertendo, promiſſiones inſignes fieri capite III. Et licet ab initio capitis tanquam diligentes lagenas uvarum, in corde incircumciſo carnali, in terræ ſingulari amore & cupidine, in deſiderio mundani Regis ac Meſſiæ, in Sadducæiſmo futuræ vitæ delicias non quærente, deſcribantur, Deum tamen nihilominus eos amaturum, dum devinciret ſibi emendo populum repudiatum, cuſtodiret in longa rejectione, & in fine dierum gratiam generalis converſionis additurus eſſet. Quæ cum Autor, ut lux valli affulgeret, e contextu paulo adduxiſſet latius, redit e diverticulo in viam, & Judæam progredienti ad regnum Chriſto & Evangelio remoram injicientem conſiderat. Nimis gratam ait accidiſſe terram, populum, cathedram, templum, quibus adeo retenti & affixi Judæi fuerint, ut hinc legitima excuſationis fundamenta quoad neglectum regni cœlorum peti poſſe confidenter autumarent. Qui etiam converſi fuerint ex Judæis, eos adeo reſpexiſſe notat elementa prima egena, ut condeſcendere multum atque infirmis ſe accommodare Chriſtiani neceſſum habuerint. Hoc pacto Judæam fuiſſe vallem impedientem ac retardantem, ſed tamen ſimul factam oſtium apertum expectationis, non tantum negative, ut porro obicem ponere deſtiterit, ſed etiam poſitive, ut per id introitus & admisſio promota fuerit; id quod magis queat perſpici, ſi quis diſperſionem Judæorum per terras gentium, ſi converſionem maſſæ Iſraeliticæ electæ initio N. T. ſi ſepulturam cerimoniarum in Judæa factam, & denique Judææ per Romanos deſtructionem penſitaverit. Cum Judæa paria in Gen-

Digitized by Google

tiliſſimo facere Romam ac Babylonem myſticam, quæ ad iſtum modum vallis Achor exiſtat, non tantum impediendo, per ſapientiam fucatam, miraculaque conficta, perſecutiones, fraudes, cum ſub nomine Chriſtiano in ſpeciem recepto noceat; ſed etiam, dum immutetur in expectationis vallem, dum perſecutiones Romæ ſuſtentæ, fides ac pietas inſignis plurium, qui ibidem vixere, Principum ac Imperatorum converſio, Magiſtratus ſummi & dignitates Chriſtianis delatæ ſpem propagandi regnum Chriſti dederint. Eundem fere ordinem obſervat Autor, ubi quædam ad citatum ſupra Jeſaiæ locum commentatur. Oſtendit bina ultima Jeſaiæ capita eſſe reſponſiones Dei ad querelam Iſraëlis, ſeu Eccleſiæ Chriſtianæ ultimo tempore emergentis, easque in his conſiſtere: 1) Deum gentes in fœdus asſumſiſſe, quæ jam Eccleſiam & populum ſuum convenienter promisſioni conſtituant. 2) ipſum gratia ſua iis neutiquam defuiſſe, ſed 3) ſervaſſe actu ſibi ex abjectis ſemen, cui promiſſio & gratia omnis vere exhibita & præſtita fuerit, & 4) tale quidem eſſe ſemen, quod ſimul elongatos & diſſipatos fratres ad montem Dei & Hieroſolymæ in extremo dierum deducturum ſit. Exprobrari inſuper tria Eccleſiæ externæ peccata inſignia, & notari præ cæteris hypocriſin faſtuoſam & ſuperbientem, c. LXV. 3. 4. 5. innui reatum ſecundum v. 11. quod obliviſcerentur montis ſanctitatis ſuæ, inſtruerent Gad, i.e. ſtellis cœlorum, menſam, & implerent meni (quod de Luna intelligendum eſſe operoſe probat,) crama. Prædicari tandem de hypocritis, quod ſeipſos purificent poſt unum in medio, Eſ. LXVI, 17. quibus ii deſignentur, qui ſeipſos aut a reatu purgent, aut propria ſanctitate exornent, poſt unum in medio, h. e. Chriſtum, verum Sacerdotem, cujus eſt in medio ſtare, & a peccatis plene purgare. Niſi forſan Judæos atque Pontificios intelligas, qui ſuam propriam purificationem procurare allaborant, adhibito ſolum Sacerdote, qui pecude aut Miſſa propitiationem efficiat. Quoniam vero paucos quosdam ab his excipiendos c. LXV, 8. 9. 10. Propheta dicit, & ſimul hanc vallem cubile armenti futuram pronunciat, exponit Autor, quomodo regnum beſtiæ in Occidente, & Turcicum imperium in Oriente in cubilia armenti & Eccleſiæ Dei immutanda ſint.

Progreditur Exercitatione V. ad vallem *Midian*, Eſ. IX. & X. & non tantum, quæ de ea Jud. VI & VII. commemorantur, repetit,

Digitized by Google

tit, ſed etiam Prophetam ad tempora devicti & converſi Gentiliſmi, poſt exantlatas primo tempore moleſtias & perſecutiones acerbas, collimare demonſtrat. Mox typum evolvit, omniaque myſtice ad Eccleſiam ex Judicum libro applicat. Occaſionem pugnæ proponit: Eccleſiam nempe N. T. primam omiſiſſe charitatem, foviſſe diſſidia, eamque ob cauſam Midianitarum manui ſubjectam, furore indomito gentili & agonibus hæreſium fuiſſe obvaſtatam, ut in ea calamitate fuga ſibi conſulere, & Deum implorare coacta fuerit, qui Gideonem, Apoſtolos nimirum & præcones gentium, excitarit. Deinceps ad præparationem pugnæ ped m promovet, & ait, Deum adfuiſſe ſingulari modo Apoſtolis, confirmaſſe miraculis, ut quondam in Gideonis negotio, eorum opera, facta eſſe pugnæ præludia, altare vetus Moſaicum & ceremoniale dirutum, & idololatriam in Gentilismo abrogatam. Tandem ad ipſam pugnam propius accedit, & eam cum victoria plene exhibet. Milites fuiſſe paucos dicit, & eos tantum ad pugnandum aptos habitos, qui fortitudine polluerint, & mundum ejusque delicias contemnere didicerint. Hoſtes vixiſſe ſecure, & Gentiliſmum machinas Chriſti deriſiſſe. Panem hordeaceum a Midianitis in ſomno viſum, quomodo in tentoria devolutus eadem ſubverterit, notare verbum Evangelii, quod in gentilium mundum illapſum omnes ſpirituali modo ſternat & conficiat. Arma, quibus utantur præcones, eſſe tubam, Evangelii nempe prædicationem; lucentes hydras, corpora Confeſſorum & Martyrum, in quibus mentem & ſapientiam divinam gerant; gladium Dei illū, quo procedat Chriſtus; Gideonis, eſſe veritatem. Hoſtes excitatos e ſomno, cum Chriſtianos plane cæſos exiſtimarent; fugiſſe Reges ac ceſſiſſe veritati; ad Midianitarum exemplum mutuo ſe hoſtes ſuſtuliſſe ac confodiſſe, cum mutuo ſe tollerent hæreſes, ac una mania alteram abſorberet. Sequi victoriam, dividi ablata gentilibus ſpolia, & prout renuerit Gideon eſſe Iſraelis Rex ac Princeps, ita tunc nondum ſurrexiſſe Anti-Chriſtum hoc Principis nomen affectantem, tametſi in ſubſequentibus temporibus id non omiſſum fuerit.

Hinc Exercitatione VI. vallem *Gog* apud Ezechielem cap. XXXIX, II. viſitat, variasque de nominibus Gog, Magog, Meſech, Thubal, ſententias recenſet, & Judæorum de Gog & Magog nugas rejicit. Poſtquam autem tres opiniones conſtanti fere cum applau-

ſu receptas, quarum alia ad Syros tempore Maccabæorum devictos, alia ad Turcas, alia ad Anti-Chriſtum magnum reſpicit, notaverat; poſtquam inſuper nonnulla circa mentem Cl. Jurieux, qui inconverſos reliquos tempore millenarii regni ſuppreſſos, ſed ante mundi finem impetum inſignem & ultimum facturos, intelligit, monuerat, ſuam aliquot poſitionibus declarat ſententiam, quarum prima hæc eſt: Non tempus Teſtamenti veteris, ſed tempus Apocalypticum, quod eſt in N. T. Ezechielis Prophetia tangit. Secunda: Interim litera Prophetiæ fuit deſumta a locis & re, quæ tunc, & quidem circa Judæam, extitit & fuit, in terra quadam Magog appellata. Tertia: Non tamen ipſa terra hæc fuit id, ad quod Ezechiel & Johannes in ſenſu vaticinii reſpexerunt, ſed id Gentiliſmus hoſtilis ac vicinus eſt in genere, at ſub Duce & Primario quodam, qui priſci Gogi nomen mereatur, coactus. Quibus præmiſſis, notari dicit hoc: devincendum eſſe penitus Anti-Chriſtum, & dandum eſſe poſt id Regnum decantatum millenarium, quo finito, ſolvendum e carcere Satanam, ut contra urbem dilectam e quatuor terræ angulis cieat Gog & Magog. Hunc quietis turbatorem deſcripturus quinque proponit obſervanda: 1) eductionem in montes Iſraël, cujus tempus, cum populus quiete aget ac habitabit poſt eductam ex Babele Eccleſiam; locum, cum unde veniet, Aquilonem, (quo nomine monarchia adverſaria conſimilis Aſſyriacæ ad Aquilonem ſitæ deſignetur, quæ aut in poteſtate aut fœdere habitura erit gentes in quatuor terræ angulis;) tum, quo ducetur, (ad Eccleſiam e Babele eductam ac liberatam;) occaſionem ſeu ſtatum hujus populi, nempe quietem longam & ſecuram, explicat. 2) Succeſſum progreſſumque inſignem in montibus Iſraëlis; 3) Cladem violentam; 4) Conſequentia cladis, quæ futura ſint: terror univerſalis, cum everſione urbium & regnorum conjunctus; præda & disjectio munimentorum & propugnaculorum hoſtilium; ſepultura Magog, quæ non tantum ſit propria, ſed etiam Politica, quando natio & gens devicta obtegitur ac ſepelitur; Eccleſiaſtica, cum impuritas & idololatria a facie terræ removetur; ſpiritualis, cum concluditur poteſtas tenebrarum; quod denique Deus ab illo tempore nunquam porro faciem ab Iſraële abſconſurus, ſed hæc ultima Eccleſiæ calamitas & pugna extitura ſit. 5) Effecta cladis, quæ pariter in converſionem & adductionem ultimam ſperatam populo-

Digitized by Google

pulorum exeant. Deducta hac ſummaria & generali Prophetiæ expoſitione, ſpeciatim ſibi proponit vallem, in qua ejus copiæ ſepeliendæ ſint. Miſſis autem aliorum ſententiis a Junio commemoratis, non opus eſſe judicat, vallem aliquam profundam, declivem, ac proprie ſic dictam concipere, cum angulus aliquis mundi ſufficiat, in quem illæ depellantur. Iſtum vero locum vallis nomine inſigniri cenſet, tum, quod de ſepultura ſermo ſit, tum, ut ſtatus depreſſus & ſubjugatus, in quo futuri erunt devicti, ſignificetur. Hinc ea, quibus deſcripſit Ezechiel hanc vallem, accuratius inſpicit, expectandumque poſt illud tempus Eccleſiæ ſtatum exhibet. Affert parallelum ex Apoc. XX. 7 - - 10. monſtrataque Ezechielem inter & Johannem harmonia, diſquirit, utrum eadem ad Turcam applicanda ſit? & ut rem omnem ex apocalyptica ſerie decidit, ita de Anti-Chriſti caſu, Satanæ dejectione, regno millenario Eccleſiæ, & reſurrectione prima diſſerit. Atque hic filum abrumpimus, ne ultra modum prolixi videamur; breviores in recenſendis proximo menſe decem, quæ ſuperſunt, Exercitationum argumentis futuri.

NOVA LITERARIA

Excerpta ex Cl. Basnagii Hiſtoria Actorum Eruditorum, menſis Novembr. 1693. p. 120. ſqq.

PRodiit tandem in Gallia Catalogus Bibliothecæ Archiepiſcopi Remenſis, qui cum oblatus Regi fuiſſet, ſuæ quoque is Bibliothecæ Catalogum juſſit adornari, qui nunc viros doctos exercet. Recenſebuntur in eo non libri tantum typis excuſi, ſed manuſcripti quoq; codices, quorum prodigioſus in ea eſt numerus. Dn. ***Baudelot*** editurus eſt Diſſertationem de Sirenibus, in qua non idem ſentit cum Dn. ***Abbate Nicaſio.*** Dn. ***Paulian***, Nemauſi quondam Verbi Divini Miniſter, volumina duo Conſiderationum Politicarum ſuper converſione rerum in Anglia, prælo ſubjecit. Dn. ***De la Faille*** tomum ſecundum Annalium Tholoſanorum jam abſolvit, ſed nondum commiſit typographo. Celeberrima propediem eſt Henrici III. Hiſtoria a Dn. ***Varillaſio*** compoſita: prodibunt & ſex priores Vitæ illuſtrium virorum Plutarchi, a Dn. ***Dacerio*** Gallice verſæ, notisque illuſtratæ. Ediderat nonnemo e Societate Jeſu librum: ***le Neſtorianiſme renaiſſant;*** eoque ex verſione Gallica Homiliarum S. Chryſoſtomi

ſoſtomi in Epiſtolas Paulinas, non ſolum autorem ejus verſionis Dn. *Fontaine*, ſed &, quia hic olim Dn. *Arnoldo* & Dn. *Sacyo* velut a ſecretis fuit, Janſeniſtas generatim Neſtorianiſmi incuſaverat. Dn. *Fontaine* itaque, literis ad Archiepiſcopum Pariſienſem datis, agnovit erratum a ſe hinc inde fuiſſe, quod inter vertendum, non ubique ſatis attentum ſe præbuiſſet: horum vero erratorum neminem, præter ſe unum, inſimulari debere monuit: omnia denique, quæ fraudi eſſe Religioni poſſint, revocata ſe quam ſolenniſſime cupere profeſſus. Dn. *Roux* Fœderatorum Belgii Ordinum Secretarius & linguarum exoticarum Interpres, *Johannis Mariana* Hiſtoriam Hiſpanicam in Gallicum idioma convertere conſtituit, cumque Mariana primum Latino eoque conciſo ſermone Opus illud compoſuerit, poſtea vero & in Hiſpanicum converterit, tumque diffuſiori dicendi genere fuerit uſus, & Hiſtoriam quoque ipſam ulterius produxerit; editiones has, Latinam ac Hiſpanicam, ut Marianæ ſenſum exprimere rectius queat, ſtudioſe collaturus eſt, Conſiderationibus etiã politicis, Notis criticis, Animadverſionibus Geographicis, Hiſtoricis atque Chronologicis, denique Mappa Geographica exactiſſima Opus hoc exornaturus.

LIBRI NOVI.

D. Johannis Sauberti Opera poſthuma, edita a Johanne Fabricio D. ac Prof. Publ. Altdorfii 1694. in 4.

Joh. Marckii Textuales Exercitationes ad 50 ſelecta loca Veteris & Novi Teſtamenti. Amſtel. 1694. in 4.

La Vie de Corneille Tromp. A La Haye, 1694. in 12.

Memoires du Sieur De Pontis, Officier des Arme'es du Roy. A Amſterd. 1694. in 12.

Traité du Poeme Epique, par le R. P. de Boſſu. A Paris, 1693. in 12.

Hiſtoire de l' Edit de Nantes, Tome II. qui comprend ce qui s' eſt paſsé ſous le regne de Louis XIII. A Delft, 1693. in 4.

A Collection of curious Travels and Voyages, in tvvo tomes; by John Ray. Lond. 1693, in 8.

Synopſis methodica animalium quadrupedum & ſerpentini generis; auctore Joh. Rayo. Lond. 1693. in 8.

De Betoverde Wereld. Het derde en vierde boeck, van Balthaſar Bekker. T' Amſterdam, 1693.

Prodit una cum menſe hoc Januario Sectio III Tomi II Supplementorum.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno M. DC XCIV.

GLANDULA NOVA LACHRYMALIS una cum ductu excretorio in cervis & damis a D. Joh. Jacobo Hardero P. P. Baſileenſi anno proxime elapſo detecta & in binis literis ad --- deſcripta.

TEcum communicare volui, quæ cum ſalivæ ſcrutinio, tum etiam lachrymarum in cervis fonti, ab aliquot annis intento, anatomicæ luſtrationes mihi detexerunt, Actis Veſtris, ſi meruerint, inſerenda. De lachrymis cervinis equidem in Scholiis Obſervat. obiter quædam commemoravi. Ab illo tempore, *Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini Friderici Magni*, Marchion. Badenſ. & Hochbergenſ. Domini mei clementiſſimi gratioſiſſima liberalitate, capitibus cervorum cervarumq; compluribus potitus, in haſce ipſas inquiſivi, & aſſervatorium ſeu mavis receptaculum ipſarum examinavi, num forte vel glanduloſæ aut poroſæ texturæ ratione, concurrente vaſorum ſanguiferorum &c. diſſeminatione, taliter eſſet extructum, ut pro fonte primario commodum agnoſci poſſet. Aſt tunc temporis, præter ſubſtantiam denſam & ligamentoſam, diſtinctius nihil deprehendere potui; de qua pariter ac de muſculis in ejus ſeparatione ſatis conſpicuis, erudite jam diſſeruiſſe video, *Helvetiæ* noſtræ *Coum*, Celeberr. *Wepferum Obſ. 118. Ann. 6. Dec. 2. Ephemer. German.* cui incolumem ſenectutem animitus precamur. Inde magis incenſus fui ad fontem dictarum lachrymarum inquirendũ: præprimis quod in oculorum cervinorum anatome glandulam reperi inſignem, amplam latamque, & ex pluribus aliis conglomeratam, ſubrubram,

Digitized by Google

(ſecus ac reliquæ oculorum glandulæ) ſubſtantiæ friabilis ac mollicellæ, qua damæ gaudent pariter ac cervi, quæque ſita eſt in interiore orbita oculi, in peculiari cavitate pone muſculum oculi adducentem, occaſione cujus quid animadverterim, paucis addam. Menſe Octobri proximi anni, cum denuo hanc ipſam perveſtigarem, incidi in ductum ex hac ipſa, ſub glandula vulgo, ſed male, dicta lachrymali pergentem, quem cum glandulam verſus perſequerer, ejus inſignes ramificationes, ceu totidem ductus laterales diſtincte commonſtravi, exitum autem & terminationem certo oſtendere non potui. Poſtridie hinc cum ad alterius oculi examen pergerem, ductum eundem e glandula exorientem, ſub prædicta lachrymali glandula (citra ullam cum hac communionem) progredi, & circa initium membranæ, vulgo nictitantis, ſeſe orificio ſatis conſpicuo exonerare deprehendi, ceu etiam adjectæ figuræ docent, evidentibus in confinio poris excretoriis duobus e glandula lachrymali vulgari provenientibus. Cujus rei teſtes ſunt Viri clariſſimi & præſtantiſſimi, D.D. Eman. König, Acad. Cur. Soc. D.D. Stœhelinus, Dn. Köferlin, Dn. Feſſ, Dn. Spieſſius, Dn. Romberg, Dn. Weiſſ aliique Philiatri.

Inſequentibus diebus damæ capite potiti, ductum eundem, immiſſa per orificium ſeta, citra oculi exſectionem, adſtantibus demonſtravimus. Vergit iſtud orificium verſus canthum oculi interiorem, atque animali hoc pronis oculis pabulum quæritante, menſe præprimis Auguſto, quo lachrymæ cervinæ copioſiſſimæ deprehenduntur, commodum lachrymalem lympham ſtillare videtur, quæ mora in ſupra nominato receptaculo, in ejusmodi ceruminoſam materiam concreſcit: quam conjecturam adhuc magis veriſimilem depilis crena, cantho interno proxima, in ſuperiori receptaculi parte, ceu canaliculus ſtudio extructus, efficere poſſet: ipſo vero æſtivo illo tempore, ſi Deus vitam conceſſerit, fontem hunc lachrymalem denuo luſtrabimus. De ductibus quoque ſalivalibus inferioribus aliqua jam addemus. Ductus ſalivales inferiores bini ſunt, quorum alter Warthonianus, a glandula vulgo maxillari inferiori exoritur, alter vero ex ſublinguali glandula oblongiuſcula emergit, (ceu etiam Clariſſ. *Rivinus* veſter pridem notavit) uterque in vitulo peculiari oſtiolo ſive papilla ſeſe oſtendit: hosce ipſos autem in variis animantibus varie ludere deprehendi. Enimvero circa ſalivæ fontes in cervis occupatus reperi ductum

ductum ſublinguali glandulæ communiter addictum, cum altero ſocio e glandula Warthoniana exurgente conjungi, unciæ unius circiter diſtantia ab hujus terminatione, ſine papilla ordinaria, atque uno communi oſtio ſatis patulo utrumque ſeſe exonerare: quod ipſum etiam in lupis obſervavi, in quibus ductus e glandula ſublinguali ad radicem linguæ incipiente & ad hujus medium fere pertingente emergit, hocque ipſum emenſus uncias tres circiter a papilla communi diſtantia, ſive oſtio communi, in ductum Warthonianum inſeritur, ſecus ac in cervis, in quibus *glandula ſublingualis* duplex eſſe videtur, una *antica*, *poſtica* altera; ex hac ductus ſuum ſumit exordium, indeque protenſus per glandulæ anticæ uncias tres plus minus longæ medium pergit, modoque ſupra dicto cum altero combinatur, ductulos laterales haud dubie in itinere iſthoc nactus. Cæterum *ductus Warthonianus* amplus eſt, amploque principio e glandula, vulgo maxillari, inſigni prodit, quæ cum parotide conglomerata arcte ſatis eſt connexa, imo prout repetitum in cervis examen me docuit, glandulæ parotidi ſubſternitur, opeque plurimarum intercedentium membranarum nectitur, & verſus aures expandi cernitur; ſicque connexæ hæ glandulæ ductui ſalivali utrique, *ſuperiori* nempe *glandula ſuperior* ſive *parotis conglomerata*; *inferiori* autem *glandula ſubſtrata inferior* ſive *maxillaris* originem præbent.

Obſervationibus autem meis de glandula lachrymali nova in cervis & damis, quas transmiſi, ſequentia adhuc dum addenda habeo. *Glandulam* in dictis animalibus a me inventam, *novam & peculiarem* eſſe, vel hinc quoque eluceſcit, quod de *illa* Authores taceant, quodq; in aliis animantibus, quantum quidem ſcire datum eſt, non reperiatur, imo neque cum *glandula innominata*, neque cum *lachrymali vulgari*, quarum utraque cervi ac damæ gaudent, commercium habeat, ſed in inferiori orbitæ parte ſita, atque copioſa vaſorum ſerie inſtructa, per ductum exretorium proprium, quam ſecrevit lympham, eructet, & quidem eo copioſius, quo dictas binas glandulas magnitudine multum ſuperat. Lympham hanc magna ſui parte materiæ ceruminoſæ, in receptaculis lachrymarum contentæ, natales præbere, per conjecturam veriſimilem & maxime probabilem ſtatui, eo quod alius fons hactenus non fuerit detectus, forte etiam non detegetur. Neque obſtat, quod in ovium genere ſimilia receptacula

 ſive

ſive ſinus videre liceat, in quibus mucoſam materiam ipſe deprehendi, quæ tamen glandula ejusmodi carent: enimvero ſinus iſti parvuli ſunt & anguſti, neque video, undenam materia hiſce commodius ſuppeditari poſſit, ſi lachrymas per crenam depilem ceu canaliculum illuc ſtillantes exceperis; glanduloſi enim in illis nihil obſervatur, præter foraminula tantillum madentia, quæ autem radices potiſſimum fovere videntur. Quodſi ergo in ſinus dictos in ovium genere lachrymarum portio aliqua extillet, quidni copia longe major in cervis &c. quam peculiaris glandula ſubminiſtrat inſuper in receptaculum amplius & robuſtum? aut aliæ demonſtrandæ erunt viæ.

Tab. II. Fig. 1. Figura I. Glandulam Cervorum & Damarum lachrymalem novam exhibet, ab oculo ſeparatam.

A. A. glandula nova lachrymalis in cervis. b b b. ductus inſignis cum ſuis lateralibus e glandula emergens. c c. ſeta in orificium hujus ductus e tunica nictatoria exiens intruſa. d d. foraminula ad glandulam lachrymalem vulgarem ducentia. e e e. vaſa ſanguifera ad glandulam dictam pergentia.

Fig. 2. Figura II. Glandulam eandem cum Oculi bulbo delineat.

A A. bulbus oculi. b b. ſeta in orificium hujus ductus per tunicam nictatoriam c c c intruſa. d d. glandula lachrymalis vulgo dicta. e e. ductus e glandula nova emergens. f f f. glandula lachrymalis nova ex plurimis aliis conglomerata. g g g. muſculus adducens, quo agente glandula comprimitur. h h. nervus opticus.

JOH. PHILIPPI RINGLERI DE PACTIS Illuſtrium ſucceſſoriis Commentatio Juridica.

Francofurti ac Lipſiæ apud Joh. Jacob. Ehrten, 1693. in 4to. plag. 27.

Quemadmodum illa Jurisprudentiæ pars, quæ de meo & tuo tractat, multis controverſiis ſcatet: ita Succesſionis ab inteſtato materies litigiorum præ cæteris maxime eſt fœcunda. Illa enim in præſumta defuncti voluntate fundatur; hæ vero præſumtiones incertiores inter eos accidere ſolent, qui nullius plane imperio civili ſubjecti

Fi





Fig:





Digitized by Google

Digitized by Google

cti degunt; adeo, ut earum determinationem non raro gladii arbitrio committi videamus. Hiſce igitur litibus aliquando certis pactionibus occurrere ſtudent, quæ vel de unius ex paciſcentibus propria, vel de tertii cujusdam hæreditate concipiuntur. Circa quas, & potisſimum poſteriores, cum perſonarum in eminentiori gradu conſtitutarum, & eorum qui vulgi nota cenſentur, jura inſigniter varient, hinc ſpeciale pactorum de ſucceſsione in feudo regali argumentum, propoſitis ab utraque parte dubii pariter ac certi juris rationibus, ſibi ventilandum ſumſit Auctor doctisſimus. Ante omnia vero ſpeciem facti, cui totam ſuperſtruxit tractationem, præmittere neceſſarium duxit, quæ ſic habet: *Duo fratres, Primus & Secundus, fecerunt jurata pacta ſucceſſoria, de Tertii fratris antea mortui filii impuberis, & in tutela Primi conſtituti hæreditate. Illa poſt mortem Primi, ex utraque ſuperſtitum parte renovata, ac defuncto etiam Secundo, a Primi filio natu majori iterum confirmata ſunt. Hic officia adhibere promiſit omnia ad perſuadendum fratri natu minori, ut pactiones ſucceſſorias de integro approbaret, tametſi ille adverſus repetitam confirmationem proteſtatus eſſet. Mortuo Tertio minorenni, de cujus hæreditate quærebatur, inter Paciſcentes atque Agnatos, de pactorum validitate diverſa dubia ſuborta ſunt.* Et initio quidem illud: an per pactum iſtud ſucceſsio jure feudali & ſimultanea inveſtitura introducta immutari potuerit? negative Cap. I. Auctor reſolvit, exponens p. 2.
ſimul differentiam inter ſucceſsionem allodialem & feudalem, annexis quibusdam de feudorum regalium diviſione. Quanquam vero pacta de futura Tertii viventis, certi, nec conſentientis ſucceſsione regulariter invalida eſſe, ex jure divino, naturali, gentium, civili, canonico, & Saxonico Cap. II. declaret, in tantum, ut & juramentum tali p. 10.
caſu præſtitum nullum iis robur ſuperaddere valeat; ab ea tamen regula ex moribus Germanorum, ceſſante turpitudinis ratione, merito exceptionem faciendam eſſe putat, quando agnati feudales, & quidem perſonæ illuſtres, conventiones ſuper hæreditate tertii, præſertim juratas & ab Imperatore confirmatas, conficiunt, quibus valorem ſuum tum rationibus, tum exemplis pactorum Confraternitatis, Ganerbinatus, unionis prolis, feudalium, (quæ pro pactis de hæreditate tertii habet,) tum Doctorum auctoritate aſſertum it Auctor Cap. III. Cum autem in propoſito caſu Primi filius natu minor in p. 33.

 con-

confirmationem pactorum repetitam conſentire nollet, quæſtio porro naſcitur, num ille tanquam hæres Primi factum ejus quoad pacta ſucceſſoria præſtare teneatur? Et videri quidem poterat, quod non, ex generali potiſſimum hypotheſi Cap.II. adducta, ac ſi o-
p. 73. mnia pacta ſucceſſoria ſint invalida, (id quod Autor Cap.IV. perſequitur;) cum tamen hæc pacta a regula eximantur, per dicta cap.III,
p. 84. pro affirmativa ſtare ſententia Cap. V. non dubitavit. Porro occaſione verborum pactis illis inſertorum: Bey unſern Ehren/ oder an geſchworner Eydes-Statt/ inquirit: an illa in vim juramenti valeant, & an perſonæ illuſtres fidem ſub illis datam ſervare in conſcien-
p. 99. tia obligentur? Quod, refutatis Cap. VI. negantium argumentis, Ca-
p. 110. pite VII. omnino aſſerit, ubi ſimul clauſulam, *omni meliori modo*, Germ. In beſtändigſter Form Rechtens/ teſtamentis, contractibus, & pactis adjectam inſignis efficaciæ eſſe putat. Ulterius proteſtationis a fratre natu minori contra illa pacta interpoſitæ in allegata ſpecie facti mentio fit; hinc Auctor anſam nactus eſt de proteſtatione tum in genere, ejusdem ſcilicet uſu in cauſis privatis & publicis, tam primæ quam ſecundæ inſtantiæ, tum in ſpecie quoad præſentem caſum agendi, quam, utpote de ſuperflua ſaltem renovatione pactorum, a patre proteſtantis legitime initorum & ab ipſo etiam ſubſcri-
p. 126. ptorum, factam nullius effectus eſſe concludit Cap.VIII; quemadmodum etiam horum pactorum eſſentiæ neutiquam obeſſe ſtatuit, quod alter fratrum apud alterum officia ſua, ut ex integro ratihaberet, adhibere promiſerit, idque poſtea præſtare haud potuerit. Tandem
p. 145. cap. IX. coronidis loco de ſequeſtratione & generaliter agit, & in ſpecie ad præſentem caſum applicat, quod, partibus ſuper ſucceſſione agnati minorennis litigantibus, ſequeſtratio quidem voluntaria locum invenire poſſit; neceſſaria autem, quod agnati de feudo ſimultanee inveſtiti ſint, adeoque ex hac legitime ſuccedant, plane ceſſet.

D. JOANNIS SAUBERTI, THEOLOGI & Antiſtitis Altdorfini B.M. Opera poſthuma, videlicet: I. Selectiorum Scripturæ Sacræ Dictorum ſolida & accurata Explicatio. II. de Sacerdotibus & ſacris Ebræorum Perſonis Commentarius ſingularis. Edita a Joanne Fabricio, D. ac P. P.

Alt-

Altdorfi, typis & ſumtibus Henrici Meyeri, Acad. Typogr. A. 1694. in 4. Alphab. 2. plag. 4½.

Diem ſuum jam A. 1688. obiit vix quinquagenario major B. Joannes Saubertus, Joannis, Norimbergenſium quondam Paſtoris meritisſimi celebratisſimique, Filius, Hebrææ primum linguæ ac poſtmodum Theologiæ apud Helmſtadienſes, tandem vero hujusdem primarius Profeſſor, & Eccleſiæ Antiſtes Altdorfinus, qui ſolidam eruditionem ſuam dudum comprobavit per edita monumenta non una, Scripturæ imprimis Sacræ ſenſum curatius inveſtigantia, quæ cum applauſu neutiquam fuiſſe deſtituta recordaretur plurimum Reverendus Editor, indignum ratus eſt, committere, ut, quæ nunc modo exhibentur, Schediaſmata vel plane interciderent, vel ita certe poſteris relinquerentur, prout ex incuria deſcribentium (quandoquidem præcipuam harum Obſervationum partem Autor in calamum olim Helmſtadii dictavit,) mendis propemodum innumeris deturpata non ſine tædio repererat.

Et primum quidem ex his ſacrorum utriusque Teſtamenti dictorum apparatum bene numeroſum continet, in quibus transferendis non tantum plurimi Interpretes a genuino fontium Hebraicorum ſcopo abluſerint, ſed noſter etiam præcipue Lutherus humani aliquid perpeſſus fuerit, vel tritis anteceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, vel ſuo iſti principio nimium indulgens, juxta quod puncta Hebræi textus non eadem cum ipſis literis autoritate gaudere, nec e dictamine divino, ſed potius e Rabbinorum beneplacito manaſſe, perſuaſum ſibi habuit. Quæ παρορά-ματα dum indicare Noſter, & ex iſtis Bibliorum verſionibus eliminare niſus eſt, præter ea, quæ jam ab aliis in hanc medelam obſervata deprehenduntur, multa quoque abs ſe primum inventa cum Eruditis communicat; ac minus proin dubium videtur, quin hoc illius inſtitutum a curioſis Lectoribus dignum utique encomium haud difficulter impetraturum ſit. Utut autem plura in ejus rei fidem allegari poſſent teſtimonia, malumus tamen, ut hæc ex ipſa Libri inſpectione cognoſcantur plenius, cum vix quenquam abhinc citra jucunditatis haud pœnitendæ ſenſum abire poſſe confidamus. Hoc tamen unum annotare placet, (tametſi a commemorato hactenus Autoris propoſito videri iſtud queat aliquanto remotius,) quód pag. 257. magnum

gnum ſecretum pandere ſe profiteatur, artem videlicet, qua Judæi reſtinguere nitantur incendia, quamque illi Chriſtianis maximopere invideant, & eos ſolicite celent, ipſe vero ex Commentario Hebræo manuſcripto perdidicerit. Ait enim, eos pani, qui nondum cultro ſectus fuerit, creta inſcribere duplicatum triangulum, & ſingulis ſex angulis inſerere vocem אגלא, quam in medio iſtorum angulorum paulo majuſculis literis depingant. Singulas vero literas ſingula denotare vocabula: א ſignificare אתה, tu; ג notare גבור, i.e. potens ſive fortis; ל innuere לעולם, in æternum; denique ſub finali א latere nomen אדני. Unde hic redundet ſenſus: *Tu fortis in æternum, Domine.* Triangulo iſti duplicato eadem creta verſiculum 1. & 2. capitis XI. Numerorum vocibus & literis, prout in fonte habentur, Ebraicis ſubſcribi, panemque ita inſignitum in ignem conjici, & flammam iſto pacto relegari.

Opus alterum, quod ſequitur, in delineando Ebræorum Sacerdotio occupatum, inque duas partes diſtributum eſt, quarum prior ea, quæ generatim iſthuc ſpectant, exhibet, a Sacerdotio ante legem Leviticam inſtituto telam ordiens, ubi Moſis præcipue Pontificatus impugnatur. Poſt ad ipſum Sacerdotium Leviticum progreſſus Autor, Pontificem maximum in ſcenam producit, & quare Annas atque Caiphas Luc. III, 2. ſimul hoc titulo inſigniantur, disquirit; eam ſcilicet ob rationem id factum eſſe arbitratus, quod civilis rerum adminiſtratio a duabus perſonis in Synedrio magno ſuſcepta, alteraque harum Princeps Synedrii, altera Pater appellata fuerit, & quælibet ex his *ἀρχιερέως* nomen obtinuerit. Hinc de Synedrio magno pariter ac minori, & de triumvirali Judicio nonnihil annotat; quod Regni & Pontificatus conjunctio cœperit Hasmonæorum tandem tempore, declarat; Pro-Pontificem ſeu Pontificis maximi Vicarium, Sacerdotes item minores, ac Levitas ſtricte ita dictos memorat, & ubique curioſa nonnulla inſpergit, eandem operam in Nethinæos, Ædit uos & Janitores, Cantoresque impendens. Nec omittit Prophetas, & quomodo hi ſua vaticinia ſcripto conſignata ad fores Templi affixerint, obſervat, in quibus cum per dies aliquot patuiſſent, ablata a miniſtris & in theſaurum repoſita fuerint, unde poſt ex iſtis ſchedis in unum collectis libri, quos hodie habemus, confecti ſint, eademque de cauſa Prophetias turbato ſæpius ordine exhibeant.

Samue-

Digitized by Google

Samuelem ultra Prophetæ officium, Maximi etiam Pontificis munus geſſiſſe, penitus inficiatur. Scribas diſtinguit in ſacros & profanos, hosque iterum in ſuperiores ſive regios, & inferiores ſive plebejos. Iſtorum autem a Legisperitis differentiam in eo conſtituit, quod Scribæ magis in theoria & corrigendis Bibliorum codicibus; Legisperiti contra in praxi & practicis quæſtionibus verſati fuerint. Naſiræos utriusque ſexus dum contemplatur, per *ἀκρίδες*, quod alimenti genus iisdem tribuitur, locuſtas intelligit, & iis pariter Johannem in cibi locum fuiſſe uſum ſtatuit. Ad Sectas deinde Judæorum properans, Chaſidæos, Phariſæos, Gaulonitas ſive Galilæos, Sadducæos, Karræos ſive Karaitas, & Eſſæos breviter deſcribit; ac circa Herodianos recedit a Druſio, qui Herodem novam ex Paganiſmo & Judaiſmo religionem conflaſſe exiſtimat. Ipſe vero hominum hoc genus deducit a Menachemo quodam, (cujus Act. XIII. 1. fit mentio,) fidei ac doctrinæ Sadducæorum addicto, qui a Præfectura Synedrii magni ad famulitium Herodis Regis, una cum LXXX viris ſplendide veſtitis, & fortiter Herodis Tetrarchatum ſecum firmaturis, deceſſerit. Eorum autem dogmata cum fide Sadducæorum conſpiraſſe notat, niſi quod ipſi ad conciliandam Herodi autoritatem, populo inſuper perſuaſerint, quod is pro Meſſia votis adeo multis expectato agnoſcendus ſit. Denique priorem Tractatus hujus partem Sacerdotii Judæorum moderni memoria obſignat; & in ſecunda ipſas veterum Hebræorum perſonas ſacras ſigillatim aggreditur, earum primum requiſita, natalium videlicet puritatem, corporis habitudinem, ætatem legitimam, animi, vitæque, ac famæ integritatem, indicans. Poſthæc ritus initiandi Pontificem & Sacerdotem, veſtes utrorumque ſacras, tonſuramque Sacerdotalem, ſingulorum inſuper officium, ac tum ipſius Pontificis & Sacerdotum, tum & aliorum in hos non minus atque iſtum jurisdictionem, reditusque iis deſtinatos enumerat, ac ultimo tandem, ubi ad eorundem conjugia deſcendit, latam a Deo legem Lev. XXI, 7. interpretatur, & loco illius, quod in quibusdam verſionibus ſcorto adjungitur *proſtibulum*, ex Ebræi textus veritate *profanam* potius legendum monet, quidque vel ſcorti vel profanæ nomine indigitetur, declarat. De cætero, quod e Rabbinis, qui tam inſignem de Sacerdotio Hebræorum ſacrisque eorum perſonis materiam peculiari pertractarit Com-

H men-

mentario, unicum Jehuda ben Elai, cujus ſcriptum hac de re vulgo Jus Sacerdotale nuncupent Judæi; e Chriſtianis vero neminem habuerit, conqueritur.

PHÆNOMENON ANNUUM VESPERtinum, detectum Noriberga a G. C. Eimmarto.

EXhibuimus in Actis Eruditorum A. 1683. pag. 274. Phænomeni cœleſtis a celeberrimo *Caſſino* detecti deſcriptionem. Geminum iſti videri poteſt Phænomenon a nobilisſimo *Eimmarto* Noribergæ e ſpecula, quam inſtrumentorum apparatu inſtructisſimam habet, continuatis multorum annorum vigiliis obſervatum, ſed nuperrime demum ſub titulo, *Umnia Norica Strena ſacra Trianguli cœleſtis*, a M. C. I. Glaſero cum Aſtrophilis communicatum. Nobis dignisſimum hoc quoque viſum fuit, cujus notitia in Actis hiſce noſtris latius per Orbem Eruditum propagaretur; quem in finem & figuram exhibemus, & ipſa Eimmarti verba huc tranſcribimus.

TAB. II. Fig. 3. *Annus jam ſextus vertitur ſupra decimum, quo Umnia Norica ſacra facientibus apparere ſolet ſpectaculum cœleſte mirandum, paucisſimis cognitum, dignisſimum tamen, ut* lux ejus *tandem* aperiatur in luce, *& palam omnibus fiat, quibus opera DEI in ſuperioris Mundi machina incomprehenſibili, non tam ingenti puroque gaudio contuenda, quam ſolerti cura, pro modulo mortalibus conceſſo, perſcrutanda magni æſtimantur.*

Tractus eſt nimirum albicans, ipſis Kalendis Januarii primum conſpicuus, ab Horizonte occiduo oblique aſſurgens, figura plana trianguli ſcaleni, apice ſuo ultra cornua Arietis extenſus, qui langueſcente tandem lumine usque ad Plejades in latitudine paulo Auſtraliori excurrit, latere ſuo verſus Auſtrum, quoad extrema debiliori lucula indiſcriminatim diſſipatus, latere vero ad Boream ſatis candicante nota, a reliquo cœlo ſeparatus, & ſtringit eodem latere exacte duas ſtellas in Pegaſo, Markab & Algenib, cujus Horizontalis puncti ſectio ab Occaſu Æquinoctiali ad Boream, (quando ſtella Markab habet altitudinem circiter 10. gr.) divergit præterpropter 15. gr. ita, ut tunc ferme parallelum idem latus incedat Æquatori. Abhinc figuræ ſua latitu-

latitudine ad plurimos Horizontis gradus verſus Auſtrum, ubi tandem vaporibus, ut plurimum eandem plagam in Horizonte noſtro inſtar nebulæ occupantibus, cum termino valde dubio expanditur.

Ceſſante Crepuſculo, duas tresve horas aëre defecato ſuperſtes eſt, nec, niſi cum primo Mobili, iisque fixis, ubi in mucronem obtuſiorem deſinit, tenaciter adhæreſcens, occidere ſolet. Anno 1688, ut & 89, 91, & jam elapſo 93, diebus 12 & 14 Febr. ſereniſſimo cœlo, gliſcentibus aſtris innumeris, tanta claritudine Phænomenon hoc illuxit, ut non ſolum ſtellæ minutiſſimæ intra complexum ejus dilucide cernerentur, ſed & albore ac pelluciditate ſua Galaxiam longe ſuperaret, duravitque in tam ſaturo luminis vigore, usque ad extremum cuſpidis ſuæ, qua Martem anno 88 includebat, occaſum.

Cumprimis autem circa hoc Phænomenon notatu dignum fuit, quod proxime elapſo anno, die 29 Martii, Luna phaſi quarta creſcente, & in media tractus hujus albicantis area hærente, tum etiam ſatis luculenter ac terminate a reliquo Cœlo diſcernebatur, nec non die 11 Apr. adhuc evidenter cuſpis noſtri Phænomeni, ſuper arcum Crepuſculi prominentis, ad Jovem usque terminabatur. Præter quotidianum, communem ſive diurnum occaſum, durare ſolet hoc Phænomenon plerumque tres & amplius menſes conſpicuum, ſicuti præteritis annis 1681 & 82, ut & proxime præcedenti, ad Aprilis usque diem 12, ſupra convexitatem crepuſcularis luminis extantem cuſpidem albicantem contueri diſtincte licuit. Animadverſum eſt autem Phænomenon hoc, naſcente menſe Februario, ubi circa extrema debiliori radio viſui illabitur, & in mucronem evaneſcit, non ſemper unum eundemque ſitum ad vicinas fixas ſervare, ſed latus ſuum Boreale nonnihil mutando, quaſi ad motum Solis dirigeretur, propius ad Plejades, Boream verſus convertere, quod ſubſequentium tam dierum, quam annorum, iteratis ſæpiuscule obſervationibus, aſſeverantius confirmabatur. Namque circa medium Februarium illam ipſam luminis extremitatem, Borealem latitudinem, Plejadum reſpectu, tantam quidem, quantam prius Auſtralem habuiſſe, evidenter ſatis accurate deprehenſum fuit.

Hæc eſt fida Phænomeni noſtri cum ſuis circumſtantiis, quotannis ſimiliter ſemper obviis, teſtimonio aliquot fide digniſſimorum ſpectatorum corroborata enarratio.

Digitized by Google

VOYAGE EN DIVERS ETATS d' Europe & d' Aſie.

Hoc eſt,

Peregrinatio per diverſas Europæ Aſiæq; regiones.

Pariſiis apud J. Boudot, 1693. in 12. Conſtat plagulis 16. cum iconiſmis 8.

PRæſentis libelli autor, *Philippus Aprilis*, e Societate Jeſu, a Superioribus ſuis delectus commodiori viæ per mediterranea Aſiæ in Chinam, in qua deinceps Miſſionarii Apoſtolici munere functurus erat, inveſtigandæ; poſtquam voti ſui, Moſcovitis præcipue, per quos viam ad Chinenſes tentabat, obſtantibus, compos fieri non potuit, itineris tamen ſui rationes publico ſcripto reddere conſultum duxit: eum potiſſimum laborum ſuorum fructum carpturus, ut peregrinationis Sinicæ rite inſtituendæ diverſas rationes, a Ruſſis & Tartaris nonnullis, quibuscum conſuetudo & familiaritas ipſi interceſſerat, acceptas Europæis panderet. Cauſæ quærendæ viæ fuere difficultates innumeræ, quibuscum confligandum fuit Miſſionariis, propagandæ fidei Chriſtianæ identidem eo ablegatis; e quorum ſexcentis, ex ordine ſolum Jeſuitico in Sinam tendentibus, calculum cum fide ſubducente *P. Coupleto*, & ipſo per triginta annos Miſſionario, vix ſexta pars in Sinam pervenit, cæteri variis caſibus medio itineris ſui curſu occubuere: tum etiam prolixa ſpes religionis Chriſtianæ magis magisque proferendæ, ſi frequentior & expeditior eo commeatus eſſet. Huic deſtinato militaturus *Autor*, anno 1685 ex Galliis ſolvit, perque mare mediterraneum vectus, Syriam, Meſopotamiam, Armeniam, Mediamque pervagatus eſt: ſulcato deinde mari Caſpio Aſtracanum petiit, celebratiſſimum Europæ Aſiæque emporium, ratus hinc quam commodiſſimam ſibi occaſionem oblatum iri, cum mercatoribus Ruſſis per Tartaros Usbeccenſes in Chinam porro penetrandi. Atque hic a Tartaro quodam Bocarenſi (eſt autem *Bocara* caput Usbeccorum Tartarorum, prope latus orientale maris Caſpii ad fluvium Oxum ſita, *Avicennæ* olim patria, hodie Ruſſorum Tartarorumque commerciis inclyta) viam, qua per Bocaram in Sinam

Pag. 183. ſqq. 242. ſqq. 263.
3.
86.

nam ingreſſus patet, non adeo difficilem, atque mediterraneæ eo tendentes hactenus creditæ ſunt, edoctus; nuncioque accepto, Moſcoviæ, quæ regia Ruſſorum eſt, numeroſam coire mercatorum Sinenſium catervam, (*Caravanam* nuncupant Aſiatici) venia a Præfecto Aſtracanenſi poſt quatuor menſium moras difficulter impetrata, Moſcoviam, partim adverſo flumine Volga, partim per campeſtria Ruſſiæ traha vectus, non ſine plurimo diſcrimine contendit.

Hæc poſtquam duobus *primis Libris* Autor commemoravit, in ſequenti *tertio* præcipuum operis ſcopum adoritur, viasque ſigillatim delineat, quibus China terreſtri itinere, per Pruſſorum inprimis ditiones, adiri poſſit. Conqueritur in limine de veterum Geographorum inani labore in deſcribendo vaſto illo terrarum tractu, qui flumine Obi, mari Tartarico & decantatiſſimo muro Chinarum limitaneo circumcingitur. Eorum enim aliquos nihil omnino protuliſſe aſſerit; cæteros conjecturas ſuas, nullo nixas fundamento, chartis tanquam rem compertam illeviſſe: nec recentiorum induſtriam ulterius progreſſam, quam ut ampliſſima illa in mappis ſpatia infinitis teſquis & ſylvis, immanibusve deſertis oppleverit. Enarrat deinde, quomodo regiones illæ tenus fluvium Obi, quæ hodie *Siberiæ* nomine veniunt, a Zaporovienſibus Coſaccis, Ruſſorum, a quibus ſubacti erant, imperium dedignantibus, occupatæ; ſubſecuta vero mox colonorum horum ſpontanea deditione, a Ruſſis novis Dominis, divite pellium Zibellinarum commercio illectis, magis magisque excultæ ſint: donec finibus Imperii Ruſſici ſic ſenſim ad confinia regni Sinenſis prolatis, caſtra hinc inde excitata, & crebræ coloniæ eo deductæ, frequentia & ſecura negotiatoribus Rusſis commercia in Sinam effecerint. Aſſiduis autem martium Zibellinarum venationibus diverſas vias in Sinam deducentes ſtratas eſſe, *Autor* commemorat; earumque ut & binarum aliarum, quæ præter ditiones Moſcoviticas per mediam Aſiam in Sinam tendunt, pluribusque nationibus hucusque frequentantur, deſcriptiones, (quas ex archivis Cancellariæ Rusſicæ nactus eſt) commoda, incommoda, collatis ſingularum rationibus, non indiligenter exponit. Optandum vero eſſet, ut eo usque *Autor* apud Ruſſos profeciſſet, ut exactam Rusſici Imperii, quod hodie ad usque ſere murum Sinenſem protenditur, vicinarumque terrarum mappam geographicam publico impertiri potuiſ-

137. 138. 141. ſqq.

p. 202. ſet; ſaltim promiſſi ſui non dememiniſſet, de inſerenda Operi huic charta itineraria Ruſſo-Sinenſi, quam ex commentariis Nicephori cujusdam, Rusſici ad Monarcham Sinenſem Legati, auſpiciis Regis Poloniæ, apud quem idem poſtea gemino munere defunctus eſt, per Ablancurtium adornatam, ex regia indulgentia Noſter penes ſe habuit. Ejusmodi enim beneficio, ingrato quo Geographia adhuc laborat, defectu circa vaſtisſimas illas Orientis provincias quadantenus ſublato, Lectori diſtinctam notitiam præbuiſſet eorum, quæ utut optima fide ab *Autore* noſtro relata, caligine tamen non exigua adhuc involvuntur. Multorum enim oppidorum, fluminum, lacuum, populorum, quorum hic mentio eſt, nomina, ſitus, terminos in chartis, quæ hodie extant, fruſtra quæras; aut certe eo in loco, quem
145. ſq. *Aprilis* deſignat, non invenias. Quod vero gentes attinet, per quas tranſeundum eſt viatori, earum recenſum ab homine fide digno, ex ſupra dicta curia Rusſica ſibi communicatum, idem ſtudioſe exhibet: ſuntque ex maximam partem Tartari, interque illos præcipui Bogdoi, Mongulenſes, Calmucci; quorum regimen, ſtatus, mores & ſtudia, quatenus iter facientibus incommodant aut proſunt, breviter delineantur.

182. Cæterum quorum ſumma hactenus capita tantum recenſuimus, ſolicita ſibi circumſpectione a Rusſis haurienda fuiſſe, vitio gentis omnium ſuſpicacisſimæ, *Autor* confitetur: nec tantam ſibi forte libertatem in perquirendis iis futuram fuiſſe, niſi legatio a Magno Ruſſorum Duce ad Regem Galliæ, de ineundo contra Turcas fœ-
183. ſq. dere, tunc temporis adornata, Ruſſorum animos Gallo conciliaſſet. Hæc ipſa vero Legatio prætextui deinde fuit Rusſis, ut *Autori* tantopere quæſitum per Siberiam in Chinam tranſitum denegarent. Quod enim *Idem* cum ſocio, nullis a Rege Galliæ commendatitiis inſtructus, inſtituti itineris cauſas probare Rusſis nequiret, nemini exterorum per ditiones ſuas, niſi re probe perſpecta, liberum commeatum permittentibus: eidem reditum in patriam cum Legato ſuo perſuadere conati ſunt, cujus ſcilicet ſocia opera a Galliæ Rege tabulas viatorias, & quæ alia inſtituto ipſius promovendo conducerent, impetrare poſſet. Retractus ſic a curſu itineris *Aprilis*, variis deinceps fatis per Lithuaniam, Poloniam, Moldaviam, Bulgariamque jactatus, nequicquam tentato per literas Regis Galliæ interceſſorias, libero apud Ruſſos

Ruſſos tranſitu, tandem cum Conſtantinopolin appuliſſet, ſeque iti-
neri per Turciam in Perſiam porroque in Sinam pararet, hæmo-
toptyſi infeſtante, per mare mediterraneum in patriam remeare, me-
dicorum amicorumque conſilio, coactus eſt. Singula itineris mo-
menta varioſque caſus enarrare, præter inſtitutum noſtrum eſt; quæ
vero ad eruditionem aliquam ſpectant, in gratiam Lectoris compen-
dio referre non pigrabimur.

Pertinent huc, quæ de columbis tabelliferis Aleppi uſitatis: de Pag. 14.
modo & legibus peregrinandi cum Caravanis: de *Joannis Strauſii* er- 23.
rore, montem Ararat quinquaginta tantum leucis a mari Caſpio col- 58.
locantis, cum pluſquam 150 leucis ab eodem diſtet, eumque a ſe con-
ſcenſum gloriantis, cum penitus ſit inacceſſibilis: de mari Caſpio 73.
ſubtus terram in ſinum Perſicum ſe exonerante; cujus argumentum,
præter gurgites binos formidabiles prope Kilanum (veterum Hyrca-
niam) immani fragore aquas ſorbentes, ſunt folia ſalicis autumnali
tempore quotannis ſinui Perſico copioſiſſime innatantia, quæ arbor
meridionali Perſiæ penitus incognita, Caſpii maris litora Hyrcaniam
tenus frequentiſſime cingit: de negociis Ruſſos inter Aſtracanenſes 76.
& Tartaros Calmuccenſes intercedentibus: de erronea Chinæ lon- 89.
gitudine, quam Geographi veteres triginta tribus gradibus orienta-
liorem fecere, ac hodie eclipſes ſatellitum Jovialium a Jeſuita Gallo
ibidem obſervatæ, tum etiam intervalla itineraria viarum ſupra me- 151. ſqq.
moratarum evincunt: de Tartarorum Aſiaticorum ſupremo (ut *Au-
tor* appellat) Patriarcha, *Dalaë Lama*, quem ſucceſſorem famoſi il-
lius Presbyteri Johannis eſſe, fruſtra quamplurimis in Abyſſinia quæ-
ſiti, operoſe contendit: de itinere ex Moſcovia in Sinam ſpatio du-
orum menſium commode inſtituendo; ubi de vectura Ruſſicarum
traharum, quibus cervus curſorius (Rennthier) cum cane robuſto
ſocio jungitur, quæque terra nive, & fluminibus glacie inſtratis, ſe-
cundo vento expanſo velo propelluntur: de mercibus Tartariæ ori- 173.
entalis, inter quas pretioſum ebur animalis amphibii *Behemot:* de 175.
origine gentium Americæ ſeptentrionalis, occaſione venationum
hujus animalis: de impedimentis commerciorum Ruſſicorum per 187.
mare Sinam verſus inſtituendorum: de mercatura pellium pretioſa- 186.
rum, præcipua Ruſſicarum legationum ad exteros Principes cauſa: 240.
de herba Lithuaniæ, paris cum opio virtutis, cujus paſtu urſi tota hye-

me

304. me dormire creduntur: de Dardanellarum Turcicarum robore minime formidando, nec impedito per eas in Propontidem ingreſſu. Nec reticendum eſt, *Autori* propoſitum eſſe Hiſtoriam condere Moſcovitici Imperii, eamque ſuo tempore publici juris facere.

322. Juncta eſt libello appendicis loco narratiuncula de Jubilæo ab Alexandro VIII Pontifice anno 1691 publicato, & a Romano-Catholicis in Julfa, quod eſt ſuburbium regiæ Perſarum Iſpahan, ab Armeniis habitatum, celebrato; deque complurium Armeniorum ad ſacra Romanæ Eccleſiæ, ejurata avita religione, tranſitu: ex quo ſpem ſibi Autor facit, totam nationem aut ſectam Armeniorum brevi ad obſequium Romani Pontificis ſe compoſituram.

GEORGII ADAMI STRUVII, JCti, Centuria Deciſionum: Quænam res Feudales, quænam Allodiales? Cui annexa Semi-Centuria Obſervationum de Feudo Hæreditario.

Francofurti ad Mœnum, apud G. H. Oehrling. A. 1693. in 4. Plag. 17.

CUm in celeberrimi JCti, cujus obitum in Actis anni ſuperioris pag. 46. indicavimus, ſcriniis Reſponſa quædam, maximam partem ab Illuſtri Facultate Juridica, quæ Jenæ floret, & cujus Præſidem Struvius noſter per tot annos maxima cum laude egerat, data, & quibusdā annotamentis ab illo aucta extarent, quæ ad ſupplementū quoddam Syntagmatis illius Feudalis facere quidquam poſſe viderentur: publico illa invidere haud voluit, qui hanc Deciſionum Centuriam & Obſervationum Semicenturiam edere ſuſtinuit. In duas vero opuſculum digeſtum eſt partes. Prima Centuriam Deciſionum: quænam res Feudales, quænam Allodiales? continet, ex quibus quædam non ubique obvia excerpemus. Annulus ſignatorius Vaſalli ad hæredes ejus allodiales pertinet, ita tamen, ut inſignia & nomen

p.7 frangi debeant; Dec. 13. & 14. Immobilia civili æſtimatione talia, qualia ſunt bombardæ & tormenta bellica, ad defendenda caſtra comparata (conf. Dec. 60.) campanæ, calix, crux, ornatus eccleſiaſtici, rotæ & lapides molares, apud ſucceſſores feudales permanent; Dec.

Digitized by Google

Dec. 16. & 22. Bona, quæ capones loco cenſus dant, pro allodialibus reputantur; Dec. 38. Boves aratorii, item equi (niſi conſuetudine, ut in Marchia, aliud receptum) ad hæredes allodiales ſpectant; Dec. 61. 62. Columbæ pars feudi eſſe cenſentur, Dec. 64. In Ducatu Megapolitano, ſi pater decedit nullo relicto filio, uſusfructus feudi pertinet ad filiam, quæ dicitur eine Erb-Jungfer; (Videatur Obſ. 36.) Dec. 76. Vineæ fructus de Jure Saxonico, ad hæredes allodiales pertinent, quando vaſallus poſt diem Urbani deceſſit; idemque obtinet in provinciis Thuringiæ, nec requiritur ultima cura, (die Ruhre) contra quam B. Carpzovius ſtatuit; Dec. 88. Reliquas quod attinet Deciſiones, illarum nonnullæ confirmant, quæ jam in Juris Feudalis Syntagmate dicta ſunt. Veluti quæ ibidem Cap. 15. Aph. 16. n. 2. ſeqq. de fructibus, & quomodo pro eorum diſtinctione ſint hæredum vel allodialium vel feudalium, afferuntur, latius hic explicantur & præjudiciis firmantur; Dec. 5. 6. 7. 11. 12. 18. 19. 23. 81. 84. usque 96. Circa Cap. 4. Aph. 4. ſqq. quod pecunia ex feudo redacta vel ad illud emendum deſtinata, &c. feudalis non ſit, conferri merentur Dec. 29 -- 38, nec non Dec. 40. & 41. Porro dictis Cap. 6. A. 11. n. 6. & 7. parallelæ ſunt Deciſiones 42. & 43. Circa Cap. 16. A. 11. Dec. 75. Cap. 15. Aph. 18. Dec. 51. &c. Cap. 6. Aph. 12. n. 1. ſq. Dec. 16. & 60. videri poſſunt. Aliæ vero Deciſionum illarum ea,, quæ jam in Obſervationibus Feudalibus ad Syntagma Feud. propoſita ſunt, repetunt; in cujus probationem ſequentes adducere lubet: Sic Dec. 45. habetur Obſ. 7. ad Cap. 15. p. 126. Dec. 58. & 60. Obſ. 8. d. Cap. p. 127. Dec. 82. Obſ. 10. p. 128. Dec. 76. Obſ. 9. p. 71. p. 8. 9. p. 27. p. 28. p. 34. p. 44.

Altera hujus libelli pars comprehendit quinquaginta de Feudo hæreditario Obſervationes, quæ tanquam additamenta Cap. 4. Aph. 13. S. J. F. illuſtrantia hic ſubjunguntur. Exponitur vero illic tum quid Feudum hæreditarium non ſit, Obſ. 3. -- 9, tum quid ſit, Obſ. 9. ſqq. Scilicet Feudum hæreditarium eſt, ubi ſucceditur ſecundum diſpoſitionem juris communis, ita ut etiam fœminæ ſimul cum maſculis admittantur; quo differt a Feudo ex pacto & providentia, ubi norma in ſuccedendo, jure feudali præſcripta, ſervatur. Soli autem defuncti vaſalli hæredes (Obſ. 12.) & quidem ſimul adita hæreditate allodiali (Obſ. 13. & 32.) ſuccedunt, licet non ſimultanee inveſtiti fuerint (Obſ. 14.) Hinc quomodo differat a Feudo proprio

Digitized by Google

aut cum eodem conveniat, oſtenditur Obſ. 15. Poſt hæc de Feudo emto cum pacto retrovenditionis quædam Præjudicia adducuntur Obſ. 17. & 18. Intermiſſa renovationis inveſtituræ in feudo hæreditario petitione, illud aperiri Reſponſo Scabinatus Lipſ. confirmatur Obſ. 26. De dotalitio, quo ex Feudis proſpicitur fœminis, Reſponſa quædam notatu digna proponuntur Obſ. 27--30. Pecuniam ex feudo vendito reſiduam non pertinere ad uxorem, cui in iſto dotalitium conſtitutum, Obſ. 31: Mulierem ob delictum mariti, qui ab ipſa procurator (Lehnträger) fuit conſtitutus, feudo haud privari, Obſ. 33: illo mortuo debito tempore alium quaſi vaſallum ſive procuratorem (Lehnträger) ſub pœna privationis, domino feudi offerendum, Obſ. 35. docetur.

JOHANNIS SCHARFII MANUALE Logicum novis Annotationibus adornatum a M. Johanne Jacobo Stubelio, Rectore Annæmontano.

Lipſiæ & Francofurti apud M. G. Hübnerum, 1694. 12.
Conſtat alphab. 2. plag. 5.

LOcus hic nobis datur memorandi etiam B. JOHANNIS SCHARFII nomen, quod nec exteris ignoratum obliterari oblivione apud nos nunquam ſinent, ut alia opera Philoſophica & Theologica, inque his Anti-Bergiana potiſſimum, Anti-Crociana & Anti-Calixtina, in Memoriis Theologorum p. 1367. & Biologia ad A. 1660. d. VIII. Jan. quo vitam cum morte commutavit, ab Henningo Witten recenſita; ſic inprimis Manuale hoc Logicum, quod poſt Inſtitutiones & Tabulas Logicas a ſe publicatas, in ſcholarum uſum compoſuit, iterum atque iterum typis excuſum, ac in plerisque ſcholis harum ditionum, & illuſtribus illis tribus maxime introductum, nec deponendum temere. Ideoque diſtractis omnibus exemplaribus, ne penuriam eorum quererentur ingenui adoleſcentes, providit Bibliopola Dreſdenſis Martinus Gabriel Hübnerus, & ut nova prodirent, nec ſine nova quadam acceſſione, laudabili ſtudio curavit: uſus ad eam rem conficiendam opera Viri Clariſſimi M. JOH. JACOBI STUBELII, Rectoris Annæmontani, qui Annotationibus indi-

Digitized by Google

undique congeſtis, induſtriaque convenienti, & ſtylo, ut in his fieri poteſt, minime barbaro adornatis, textum Scharfianum, in uſum docentium pariter ac diſcentium, illuſtravit. Adhibuit autem, præter nobiliſſimos illos agri Logici cultores, quorum in Actis anni 1686 p. 268, & Supplem. T. I. Sect. VIII. p. 420 fecimus mentionem, in ſubſidium vocatos, Jacobi Saurii quoque, Antonii Itteri, Jac. Martini, Joh. Cæſarii, Theobaldi Billicani, Philippi du Trieu, Jodoci Willichii, Joh. Heinrici Alſtedii, Jacobi Thomaſii, Titelmanni, Dounæ, Derodonis, Lœberi, Spengleri, Sagittarii, Rudrauffii, Weiſſenbornii, Kœberi, Scherzeri, Weiſſii aliorumq; plurimorum ejus generis probatiſſima ſcripta. Ac ne in his ſolis eum exiſtimes acquieviſſe, libuit etiam quandoque in Ramiſtarum & Carteſianorum limites excurrere, atque ea deprædari, quæ vel Scribonius in Triumpho Rameæ Logicæ, oppoſitusque huic Piſcator, vel Everhardus Svvelingius in Clave Scientiarum, vel Claubergius in Logica Carteſiana, vel Anonymus ille autor de arte cogitandi; quique a præjudiciis ſe liberos profeſſi, Chriſtianus Thomaſius in Philoſophia Aulica, & Tzſchirnhauſius in Medicina mentis, & Caſpar Wyſtius Batavus, & ipſe Pfeifferus Erphordienſis ille, qui Manuale hoc impugnavit, aliique opportuna ſibi habere viſi fuere. Omnia præcepta plurimis exemplis, iisque lectiſſimis, e quibuscunque ſcientiis depromptis, & quæ vel ipſa novitatis gratia Lectorem capere queant, illuſtrata ſunt. Neque hoc diſſimulandum, quod ſpecies omnes Prædicationum, & doctrinas de Statu, Ampliatione ac Suppoſitione, quæque plura Scharfius vel ſicco prætergierat pede, vel levi attigerat brachio, in Modalibus, Locis Topicis, ipſa Demonſtratione cæterisque, Stübelium, quantum in hac brevitate licuit, diligenter perſecutum. Adjecta eſt opuſculo huic ab alio docto viro Praxis commoda e Matthæi cap. XXII. v. 23. ſeqq. & ab ipſo Stübelio ſubnexi ſunt indices LL. Scripturæ, Autorum & Rerum concinni & accurati.

HENRICI HULSII DE VALLIBUS Prophetarum ſacris Liber unus.

Lugd. Batav. 1693. in 4.

SEdecim Exercitationes Opus hoc complectitur, quarum ſex prio-

res proximo menſe Januario recenſuimus, reliquas decem nunc perluſtrabimus.

Exercitatione VII. de Valle *montium æneorum*, locum Zach. VI. 1-8. clariſsimus Autor illuſtrat, & hac occaſione ea, quæ capite præcedenti V. de Epha habentur, exponit. Poſtea ad egreſſum legis Chriſti & veritatis e Sion in præſenti Pericopa explicandum ſe accingit, quem varium eſſe notat ad Judæos æque ac ad gentes inſtitutum, alium plane dereliquiſſe Judæam, alium eſſe pœnalem, alium fugæ ex Judæa. Circa ipſam dein viſionem in ventos, currus & equos Dei & Chriſti inquirit, qui, ſi una ſumantur, Angelos, Apoſtolos, & Evangeliſtas cum miniſterio Evangelii typice exprimant, quorum progreſſum Deus variis modis promoveat: ſi vero ſigillatim, currus ad verbum Dei ejusque miniſterium; trahentes equos ad Apoſtolos; ventos ad Spiritum S. accommodat. Exponit porro binos montes æneos, e quorum medio ad curſum equi prodeant, quo ſub emblemate Judæa lateat, quæ montoſa admodum, & duobus famoſis montibus, Sinai nempe & Sionis, celebrata imprimis fuerit. Nec incommode eos quoque trahi poſſe arbitratur vel ad regnum Judæ & Iſraelis, unde Apoſtolici Viri iverint; vel ad templa, Hieroſolymitanum & Samaritanum; vocari æneos, ut duratio & firmitas montium indicetur. Ex illis procedere currus ad varia loca, ad aquilonem, ubi ſita Babylonia; ad meridiem, ubi Ægyptus; & ad ipſam Judæorum & Iſraelis terram, quam equi primo ſoli peragraverint, poſtea deflexerint ad loca diſperſionis, & tandem ſe ad gentes toti converterint. Illos equos ornatos eſſe verbo, ſancta vita, Spiritu miraculorum, ſignisque variis, & ſua peregrinatione effeciſſe, ut Spiritum in locis, ad quæ exiverunt, fecerint quieſcere.

Ab hac diſcedit Exercitatio VIII. ad vallem *Bacha*, & Pſalmi LXXXIV. v. 7. illuſtrat. Cum enim Deus priſcis temporibus peculiari modo habitaverit in Canaan, notat eum nunc dici habitare in Eccleſia N. T., quod neutiquam fiat habitatione externa, ut in monte Moriah, nec ut ſic domus, in qua publicus cultus ipſi debeat exhiberi, ſed beatiſsima ſedes Eccleſiæ N. T. Ad hanc ſedem referri vallem Bacha, quæ locum perplexitatibus, ſpinis atque dumis obſitum ſignificet. Quorſum tranſitus cum fit, non eſſe eum hujus vitæ monet, aut iter ad feſtum Hieroſolymitanum, ſed viam, qua ad mundum

dum occupandum, & ſedem in eo figendam ibatur in N. T. Gentiliſmum ſimul eſſe Bacha, & hinc de eo tria prædicari: 1) quod incultus ac ſpinis horrens locus ſit. 2) quod impedimenta & perplexitates remorantes transeuntibus exhibeat. 3) quod moleſtiam & punctionem ſpinoſam faceſſat. Tranſire hanc vallem Bacha & paſſionem Duces primos Chriſti, & qui Evangelium tunc in mundo prædicabant, eumque tranſitum notare mutationem loci & receſſionem præconum ex Judæa ad gentiles; functionem ipſam Apoſtolorum, quoad illi fixam ſedem non invenere, ſed mundum hinc inde peragrare neceſſum habuerunt; haud præpeditam obſtaculorum quorumvis ſuperationem; & denique felicem transeuntium egreſſum. Hunc non ſolum in Pſ. XXIX. prædictum, ſed etiam in itinere Iſraëlitarum per deſerta præfiguratum aſſerit, variosque transeuntium effectus in præſenti Textu notatos examinat, quorum primus ſit conſtitutio fontium, Apoſtolorum, Academiarum, Eccleſiarum; ſecundus piſcinæ per pluviam oppletio, quæ piſcinæ Eccleſias Spiritu copioſius dato & multis bonis in N. T. repletas deſignent; tertius proceſſus a robore ad robur, cui præmittantur miracula, ſubſequatur hæc doctrina & vita, & finem tandem imponat martyrium.

Pergit Autor in Exercitatione IX. ad vallem *Zalmavet* e Pſal. XXIII. 4. &, poſtquam docuerat, totum Pſalmum ad tempora N. T. ſpectare, illa vero, quæ v. 4. de Zalmavat proponantur, tempora Anti-Chriſti tangere, cum terra viventium Eccleſiam, & mortui Pſeudo-Eccleſiam Anti-Chriſti denotent; propius ad vallem ipſam luſtrandam accedit, judicatque, ſatis intelligi, cur Babel appelletur vallis, ſi quis Eſ. XIV. 13. cum cura inſpiciat, & attendat, umbram eſſe id, quod tenebras offundit, & lucem moratur, ut adeo regnum Pſeudo-Eccleſiæ regnum tenebrarum & umbræ ſit. Quamvis autem oves Chriſti longo temporis intervallo in hoc verſari, multas calamitates perpeti, & mortem non raro ſubire coactæ fuerint, ut ex Hiſtoria luculenter conſtet; ipſis tamen Deum ſpirituali ſceptro pedoque adfuiſſe, Epiſcopos dediſſe optimos, teſtes veritatis, martyres, confeſſores; excitaſſe Imperatores, & alios a partibus fidelium non abhorrentes; extitiſſe opuſcula variorum Doctorum, cantiones, prophetias, liturgias, & formulas conſolatorias. Unde nunc ſit evidens, quod merito faceſſat quæſtio, ubinam Eccleſia vera ante Wiclefum, Luthe-

rum, Calvinumque fuerit, cum certe inter medios barbaros & gentes, inOriente inter Græcos,in cœtu & eccleſia Waldenſium,& apud Parentes noſtros in medio Papatu extiterit.

Exercitatione X. vallem *Azal* Zach. XIV, 5. ad tempora ultima extendit. Neque enim heic Judæos admittit, qui hanc Prophetiam ad pugnam extremam cum Meſſia ben David, qua Armillus confodietur, referant; nec Pontificios, qui de Anti-Chriſto in fine dierum in monte oliveti trucidando explicent; nec alios, qui promiſcue de ſtatu N. T. adumbrato typis V. T. interpretentur: ſed Iſraëlem ſpiritualem & Chriſtianos eſſe reſpiciendos. Ubi fruſtra objiciatur, Prophetam,cum ad ſui temporis homines loqueretur,ad ævum tam remotum vix fuiſſe reſpecturum; cum certe Deus hoc pacto magis commendet verbum ſuum, & gloria Iſraëlis inde diſpaleſcat, quod adeo longe poſt futura prænoverit. Ut autem melius expendi præſens locus poſſit, non modo Capitum XI. XII. & XIII. argumenta enarrat, verum etiam in hujus Capitis ſcopum præcipue inquirit, in quo Propheta calamitates quidem haud exiguas, quæ ultimo tempore Eccleſiam prement, recenſeat, ſed inſimul tamen viam ſternat ad ingentes ejus felicitates & promiſſiones ordine ediſſerendas. Ubi non negligit calamitatem illam triplicem, quarum prima exhibetur v. 1. 2. 3. 4, ſecunda v. 5. ad 13, tertia, v. 14. usque ad finem, & harum unamquamque ex Hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtrare nititur. Hinc obſervat, vallem ipſam auxilium Dei oſtendere, & de autore vallis, qui Deus ad auxilium & prælium veniens; de loco, in quo vallis, monte oliveti ad Hieroſolymæ Orientem; de præparatione vallis ipſa, per fiſſionem hujus montis in partes duas, longitudine & latitudine pergente ab oriente ad occidentē ad Azal usque; effectis fisſionis ac vallis, metu ac fuga conſimili illi fugæ, quæ in terræ motu diebus Uſiæ contigit; de auxilio venientis Dei conſequente fiſſionem ac vallem, disquirit.

In Exercitatione XI. illuſtrat vallem *Jeſreel*, totamque Prophetiam Hoſ. I. 3 -- 11, & evolvit, quænam ſit inter Judæam atque Jeſreel convenientia, quæ cædes ibi pariter atque heic perpetratæ fuerint, & tandem Judæam ultimi temporis per Jeſreel denotari affirmat. Obſervandos proponit tres ſcortatricis partus, cum quoad literalem tum quoad myſticum ſenſum, ſortem poſthac Judæ & filiorum Jeſreel in die Jeſreel qua pœnas ac præmia futuram ſuo more examinans. Cum autem

autem tota Malachiæ Prophetia nonniſi catena quædam litium in valle Jeſreel diſceptandarum nuncupari mereatur, non abs re putat, illius ſeriem breviter ſubjicere. Tractari ibidem teſtatur octo controverſias, quarum I. agat de impletione promisſionis ac ſpei in Meſſia præſente, cap. I, 1–5. II. de fundamento vero ſatisfactionis, juſtitiæ, & expiationis coram Deo, cap. I, 6–9. III. de ceſſatione ſacrificiorum & cultus ceremonialis, cap. eod. v. 10–14. & c. II, 1–4. IV. de cathedræ ac fœderis cum Levi ac Iſraëlitis initi æternitate, c. II, 5–9. V. de duplici Judæorum perfidia, & ratione Sancti Jehovæ, quod profanarint, & ratione mulierum repudiatarum, cap. II. 10–15. VI. de peccati impunitate, c. II, 17. & III, 1–6. VII. de converſione, c. III, 7–12. VIII. de iſta accuſatione, quod dicat tacite Epicuræorum & Sadducæorum hæreſis, fruſtra Deo ſerviri, cum idem juſto & injuſto obtingat, c. III. a verſ. 13. usque ad finem Prophetiæ.

Vallem Jeſreel in Exercitatione XII. excipit vallis ***Harmageddon***, Apocal. XVI, 12–16. Zachar. XII, 10–14. 2. Chron. XXXV, 20–25. de cujus appellatione, ſitu, & ſignificatione ubi quædam adduxit Autor, monet, quomodo Johannes ea, quæ 2. Chron. XXXV. leguntur, ad ſuum inſtitutum accommodet. Quandoquidem vero imprimis loco huic Apocalyptico lucem affundere laborat, qui in ſexta phiala vallis hujus mentionem injicit, ideo phialarum omnium ſignificationem ſimul inveſtigat. Sed ſpeciatim circa ſextam hanc de Euphrate fluvio exſiccato, ſeu de Babelis potentia non uno modo imminuenda aut imminuta diſſerit, ſubjicitque effectus hujus exſiccationis, quod via paretur Regibus ab Oriente, via nempe ad regnum beſtiæ deſtruendum, via ad propiorem conjunctionem, via ad converſionem in montibus Iſrael procurandam. Explicat porro, quomodo eos, qui in regno beſtiæ exiſtunt, in timorem exſiccatio hæc poſitura ſit, & quomodo ſint ſubſecuturi Spiritus ſeu Pſeudo-Prophetæ draconis, potentiam draconis in faciendis ſignis & miraculis ſecum conjunctam habentes. Quomodo facturi ſigna & mirabilia, ſecundum fraudem mendaciumque & deceptionem Mirabiliariorum Pontificiorum; quomodo exituri ſint ad Reges terræ, liberos ubique aditus in aulas Principum & Magnatum, tyrannicamque in eorum conſcientias dominationem obtinentes, &c. donec adveniat dies magna Omnipotentis, dies nempe illa judicii, quo beſtia tolletur usque ad internecionem. Quod autem præcedentis belli locus appelletur

letur Harmageddon, id factum eapropter cenſet, quod ultimis temporibus idem circa Babelem eventurum ſit, quod olim accidit in clade Joſiæ in valle Harmageddon. De cætero, ne penitus omittat vallem Megiddo apud Zachariam, plura affert de excitato ibi planctu ſuper Joſia, eumque ad planctum ſuper Chriſto crucifixo inſtitutum accommodat.

Conjicit in Exercitatione XIII. oculos in vallem *viſionis*, Eſ. XXII, 1. qua Hieroſolyma notetur, & ut Sebna Præfectus alios Præfectos, Eliakim alios Eliakim præfiguret, ita & vallis viſionis ex illius mente non ſolum ad vaſtationem Babylonicam, ſed & ad ultimam, & hanc quidem imprimis, extendenda eſt. Speciatim deinde præcipua hujus Capitis enarrat, explicatque primo pœnas, autorem earum conſtituens Elam, eumque non tam Perſam, quam in genere Monarchiam tempori & ſtatui, de quo loquatur Propheta, accommodam, aut militem ſtrenuum, & ſagittarum abunde peritum. Fugere afflictos ait præ metu in tecta, h.e. ad Romanam potentiam & loca extra Judæam ſita; ſponte venientes conſtrictos eſſe, cum imploraverint Romanorum auxilium; dies eſſe tumultus, quo ſeditiones notentur; muros effodiendos, eosque e medio tollendos, qui munitionem præbeant; ſurgere clamorem, quo vociferentur ad montem, hoc eſt, gentile aliquod regnum, equites cubaturos in electis vallibus, cum urbs obſidione cingenda; ad quæ tandem varia mala ſubſecutura ſint. Deinceps de peccato, cauſa horum malorum, addit, quod noluerint incolæ reſpicere ad eum, qui iſta e longinquo pararit ac formarit, ulteriusque annectit alia, quæ converſionem & extirpationem totalem oſtendant, cum ne quidem ullus Præfectus in Politia Judaica relinquendus ſit. Tandemque finem Exercitationi imponit, poſtquam demonſtraverat, quod Eliakim Chriſtum, cum clavibus ſcientiæ & cognitionis; vaſa a clavo ſuſpenſa fideles in Chriſto ſubſiſtentes, ac ſpeciatim Miniſtros verbi, deſignent.

In Exercitatione XIV. perambulat vallem *Apadno*, Dan. XI, 45. & iſtud Danielis Caput illuſtrare ſuſcipit. Subjectum conſtituit ipſum Anti-Chriſtum, iis uſus rationibus, quod ille nuncupandus ſit inſignis vaſtator Eccleſiæ & terræ ſanctæ, quod ſingularia ei epitheta & formalia adſcribantur, quod terminus durationis huic Regi præfixus c. XII, 7. ſq. cum termino & duratione regni beſtiæ Apoc. XII & XIII, coincidat. Eapropter improbat Judæorum, Calvini, & Oecolam-

lampadii ſententias, & quæ apud Danielem de Anti-Chriſto dicuntur, uberius examinat. Cenſet enim, quod ſtet in ſede prioris, dum Romam incolat, & ſimul imperium exerceat in Reges terræ; quod ſit ſpretus, quia profeſſione Epiſcopus inermis, homo plebejus e fæce populi; quod irrepſerit per blanditias in pace, dum vicerit per doctrinam & obtentum pietatis ac religionis, & venerit pedetentim; quod brachia inundationis inundata coram facie ejus & fracta ſint, cum Reges barbari Italiam devaſtantes in converſione ipſi ſe ſubjecerint, & ab hoc de ſolio turbati fuerint; quod Princeps fœderis coram eo fractus, cum Imperatoris Romani potentiam Anti-Chriſtus per ſecula plura multum imminuerit; quod cum eo Principe fecerit fraudem, cum Papa poſt initam ſocietatem ſemper privato commodo magis ſtuduerit. Quantum dein ad incrementum attinet, commemorat, quomodo cum pauxillo gentis, nempe Clero, venerit in optimas provincias Europæ; quomodo contra morem anteceſſorum diſſiparit potentiam, autoritatem, & majeſtatem imperantium, imperium, provincias, nervumque ac opes; quomodo contra munitiones artes excogitarit, quæ ſint miſſiones in terram ſanctam, arcanæ commotiones, poteſtatis clavium abuſus. Quorſum referendæ pariter illius expeditiones, quarum prima verſus Auſtrum facta usque adeo fortunata fuerit, ut Rex Auſtri non ſtaret coram illo, cum Godofredus Bullionæus Solimannum in aditu Aſiæ vicerit. Deſeruiſſe in hac expeditione Regem Auſtri eos, qui panem ejus comedebant, cum non reſiſteret Calipha Ægyptius, ſed pacem peteret. Sediſſe duos Reges ad menſam unam, & locutos fuiſſe fraudem; quibus verbis ſignificentur tectæ ſimultates inter Sultanos ſeu Baſſas & Turcarum Imperium intercedentes. Interea, poſtquam ex hac victoria valde ditatus domum rediiſſet Pontifex, aliam eum expeditionem contra fœdus ſanctum paraſſe, & inchoaſſe perſecutionem Waldenſium affirmat. Tempore præſtituto, Reformationis puta, denuo ipſum invaſiſſe Auſtrum ſub Carolo V, ſed neutiquam pari cum ſucceſſu. Veniſſe tunc adverſus eum Chittæas naves, Eccleſias nempe Proteſtantes in Reformatione, & Reſpublicas hactenus ei ſubjectas, ut hebetaretur, & vires ejus rurſus inciderentur. Brachia ipſius, hoc eſt, poteſtatem eccleſiaſticam, in Concilio Tridentino omne fundamentum ſalutis abrogantem; & politicam, Eccleſias Reformatas & Proteſtantium ubique

K deſtru-

deſtruentem, ſtare ſupra ſanctum fœdus; facere eum, ut improbe ſe gerentes erga fœdus hypocriſi utantur: id quod duplicis generis hominibus conveniat, non his videlicet ſolum, qui rectiora his intelligentes ob dignitates & bona ſacra maneant in Papatu, ſed iis etiam, qui egreſſi ſemel e Babele, ob hæc commoda externa corpore, non animo, ad eam reverti minus dubitent. Sed aliter ſe gerere orthodoxos Deum cognoſcentes, qui confirmabuntur & rem perficient, ut prudentes in eo populo Deum cognoſcentes plures doceant, inſtituendo Academias cœtusque publicos, in quibus ſacra rite celebrari queant. Et qui ita confirmantur, eos quidem ait corruere in perſecutione per dies multos, ſed hanc utilitatem inde conſequi, ut magis magisque purgentur, conflentur, atque explorentur. Poſt expeditiones Anti-Chriſti dicit Danielem deſcribere propius formale illud characteriſticum, quod eum conſtituat intime & ab alio diſtinguat. Facere enim Anti-Chriſtum non perſecutionem, non hæreſin, ſed ejus proprium velut quarti modi eſſe hoc, quod ſe extollat ſuper omne, & in impotentiſſimo ſuo faſtu ſuper Magiſtratus, cathedram veterem, Angelos Elohim, & Deum vivum ac verum cœli terræque Creatorem ſeſe evehat. Loqui eum magna & blaſphema contra Deum in titulis ſibi arrogatis ac adſcriptis, in doctrinis nefariis, in diſpenſationibus, in poteſtatis & clavium exercitiis. Non habere deſiderium mulierum; per quod haud intelligatur cœlibatus Papanus, ſed Chriſtus, deſideratum illud ſemen ex muliere ſola oriundum, quod ſatis pateat, tum ex conjunctis Diis meris, in quorum medio deſiderium hoc ut ſimul non curatum conſtituatur; tum ex eo, quod deſiderium mulierum non curatum ad ſuperbam exaltationem & blaſphemiam referatur. Eum ex adverſo honoraturum Deum Magnuſſim, Deum roborum, quo denotetur divinitas ſeu monſtrum potius omnipotentiæ Papalis, qua & in temporalibus & ſpiritualibus ſe pro Deo venditet. Eum diſtribuere munimentis roborum, h.e. potentiæ ſuæ acribus propugnatoribus, præmii loco terras, provincias, dignitates, reditus. Nec ſilentio involvit finem & exitum Anti-Chriſti, quem etiam ex Daniele profert. Cum enim arietaverit cum ipſo Rex Auſtri & Aquilonis, (quod nomen ad Turcam Autor applicat) ipſum invaſurũ ait provincias Auſtri proprie dictas, & venturum in terram decoris & ſanctam, quæ Palæſtina, exceptis Edom, Ammon, Moab,

ab, ſeu, quod hæc loca montoſa acceſſuque difficilia, ſeu, quod vaſtata, operæque pretium non penſantia ſint. Occupaturum eum Ægyptum, venturum ad deſiderabilia Lybiæ & Cuſch, atque ita ipſi ex voto ſucceſſuram ſubjectionem transmarinam. Ibi eum conſternandum rumoribus ex Oriente & Aquilone, Imperio nempe Turcico, profectis. Tandem indicat, quæ loca tempore præfixo ad finem decurrente inhabitaturus ſit Anti-Chriſtus, quorum primus ſit mons decoris ſanctitatis, quo ſignificentur Hieroſolymæ cum monte Palæſtinæ, deinceps Eccleſiæ Græcæ & Chriſtianæ, quæ ſint in Oriente, ac tandem ipſa loca Evangelicorum. Per duo autem maria, ad quæ confugere poſt hæc dicatur, iſtud intimari, quod miſſo loco ſancto ordinario, vel in locis gentilium, vel inter diverſarum Religionum congregationes & populos ſedem fixurus ſit, poſtquam Spiritus immundi ſcortationem perſuaſerint Proteſtantibus. Tertiam ſedem facit tentoria Apadno, quæ vox ab aphad, Hebræis: *amicivit*, *circumcinxit*, *aperuit*; Arabibus *feſtinavit*, derivetur, & nihil notet aliud, quam diſtinctionem a loco ordinario & ſede fixa, itemque tentoria feſtina itineris ad habendum tegmen & operimentum. Poſt quæ omnia tandem interitus Anti-Chriſti totalis ſperandus ſit.

Properat dehinc ad vallem *Tophet*, Eſ. XXX, 30 – 33. quam Exercitatione XV. illuſtrat, & ad myſtica accommodat. Solicitus eſt primo omnium de temporibus, ad quæ hæc Prophetia ſpectet, & per Regem in Tophet ardentem Aſſurem ac Turcam intelligendum cenſet. Poſtmodum ſe confert ad argumentum hujus Capitis, & Deum ab initio illius ad verſum usque 8. proponere arbitratur peccatum Proteſtantium, qui adhuc deſcendant & abeant variis modis in Ægyptum ſpiritualem ſeu Papatum; dehinc usque ad v. 18. pœnas Iſraëlis; poſt hæc ad v. 26. promiſſiones ingentes; & tandem a v. 27. usque ad finem Judicium iſtud haberi, quod Deus populis ac Aſſuri Regi in fine paraturus ſit. Et quia ad hanc ultimam partem præſens Prophetæ locus ſpectet, nunc ordine de eo diſſerit, ac deſcribit iram Dei venientem, nec minus finem ejus inſinuat, una cum ſubjectis quatuor lætitiæ cauſis, in quarum ultima cum doceat, tamdiu futura eſſe agitationis prælia, donec in Tophet ſulphuris injiciatur Aſſur, inde ex Hiſtoria, quidnam Tophet ſit, declarat, & loci qualitatem effeciſſe ait, ut modo graviſſimum ac po-

tentisſimum ſupplicium, modo damnatorum locum, modo pœnas hoſtium Eccleſiæ, vox hæc ſignificet, quæ h. l. accipienda ſit cum Sanctio pro gravibus tormentis; & valli huic tribui profunditatem, quæ depreſſionem altam ac difficultatem ex ea emergendi notet, itemque latitudinem, quæ referenda ſit ad eorum copiam, qui hoc barathro abſorbendi ſint. Abundantiam ſulphuris & lignorum in Tophet quidem infernali eſſe infinitatem reatus, indeſinens peccatum, rationem & conditionem carceris; heic vero pabulum indeſinens ardoris, cum in hoſtibus maneat invidia ac ſtudium fruſtraneum res ſuas reſtaurandi; accreſcere enim in Eccleſia florentem vigorem, qui ſtimulos invidiæ altiſſime renovet; halitum Jehovæ Tophet accendere, dum provehat indies Eccleſiam ad majus incrementum, conſervetque eam Deus in ſtatu hoc felici perpetim, hoſteſque in ignem convictionis, deſperationis, perpetuæ cupidinis & famis, æmulationisque indeſinentis ac invidiæ conjiciat. Appendicis loco annectit Autor reſolutionem Prophetiæ Nahum, quæ iſthæc fata Aſſuris decantet & exhibeat. Capite I. verſibus 6. prioribus laudari Deum ait in anteceſſum, a juſta ſanctaque indignatione & vindicta ſua; v. 7. & 8. proponi moderationem iræ, quoad pios; v. 9 - - 15. ipſam conſummationem exſcindentem prædicari. Capite II. 1. 2. proponi generaliter pœnam Ninive in bonum Eccleſiæ inflictam; v. 1. 3. 4. 5. narrari expeditionem atque pugnam ipſam; a v. 6. usque ad finem Capitis, infelicem pugnæ cataſtrophen. Capite III, 1. - - 7. proponi mixtim peccata, tanquam cauſas, cum pœnis, tanquam eorum effectis; v. 8 - - 11. poni ob oculos poſſibilitatem hujus pœnæ, inſtituta collatione & comparatione ad pœnam, qua No Amon interierit; & v. 12. ad fin. ſubjici interitum ipſum, modosque, quibus ille promoveatur. Atque hactenus dictis nonnulla de facili Turciſmi & potentiæ Mahumedanæ caſu ex Itinerario Stochovei ſubjungit.

Obſignat hunc Tractatum Exercitatio XVI. de valle *Joſaphat*, ex Joël. III. eodem modo, ut priores, conſcripta. Et affert Autor ante omnia, quid de hac valle Judæi, Pontificii, & JCti ſentiant, tum de ſitu hujus vallis diſquirit, & dicit, generatim heic ſignificari locum, in quo Deus ſingulari modo judicia ſua exerceat; ſpeciatim vero talem, in quo ſimile quid illi accidat, quod 2. Chron. XX. in valle Joſaphat contigiſſe legitur. Cumque judicium in ea valle habendum ſit, declarat

clarat aliquot Poſitionibus, quid ſibi de eo videatur: 1) dicit, quod non certum, ſed univerſale judicium N. T. ſit, quod heic in valle Joſaphat exhibeatur. 2) Apparere hinc, quod nec primi temporis judicia, quæ proxime poſt Spiritus fuſionem & captivitatis reductionem contigerunt, intelligenda ſint. Inde 3) ſponte ſua conſequi, non locum unum & certū per vallem deſignari in Pericopa, ubi judicium hoc omne a Deo exercitum ſit. Notandum 4) non ad judiciū unum ſimiliter hæc referenda eſſe; ac proponi 5) diſtincte hæc judicia varia in ſerie juſta & ordine ſucceſſivo, non temere, indiſtincte, ac confuſe; non tamen judicandos 6) quaſi citatos & pulſos ad vallē iſthanc Joſaphat, ſed ſponte accurrentes ad eam, cum intentione pugnandi contra Hieroſolymam, & eam delendi. Poſt clarius de hoſtibus ibi judicandis, eorumque peccatis, diſſerit; ac primo Judæos trium criminum accuſatos ſiſtit; deinceps huc trahit gentiles, & pœnas, quibus ſubjiciendi ſint, examinat. Tum, quinam hoſtes ſub emblemate Zor & Philiſtæorum occurrant, diſputat; quod Tyrus regnum beſtiæ exiſtat, quod ea peccatorum graviſſimorum poſtulata ſit, quod de ejus judicio & planctu apud Prophetas & Johannem in Apocalypſi plura legantur, oſtendit, ſenſum ubique prolixe ſatis inveſtigans. Tandem locum deſignat, in quo vallis Joſapha, quoad regnum beſtiæ, pro pœnarum diverſitate collocanda ſit, & explanat, quomodo copiæ & turmæ omnes gentium ſint judicandæ, ac ea, quæ de valle Joſaphat in Chronicorum libris leguntur, ad judicia abs ſe cum cura hactenus evoluta ſub finem applicat.

HENRICI HULSII VERBA ITHIEL, Ucbal, & Lemoel, ſeu in ultima Parœmiaſtæ Salomonis Commentarius Propheticus.

Lugduni Batavorum apud Jord. Luchtmans, 1693. in 4. Alphab. I. plag. II.

INſtitutum quod Auctor in oraculis Scripturæ explicandis tenuit, ex Opere de ſacris vallibus, cujus recenſione, & ea quidem prolixe ſatis, defuncti jam ſumus, Benevolus Lector abunde dubio procul cognovit. Neque aliam rationem in præſenti libro, quo poſtrema

Digitized by Google

duo Parœmiaſtæ Salomonis capita Commentario Prophetico illuſtranda ſuſcepit, ſecutus eſt. Quamvis enim in Præfatione ad Lectorem haud inficietur, ſe a pluribus novitatis affectatæ reum conſtitui, ſuo tamen ſcopo hanc accuſationem fraudi non futuram exiſtimat: ſe enim firmiter apud animum ſuum conſtituiſſe, ſcriptis nunquam pertentare, niſi ea, quæ adhuc nondum tentata ab aliis, aut infeliciter tentata fuerint. Eum vero ſcopum quomodo in præſenti Opere conſecutus ſit, ex ipſa ejus perluſtratione a Benevolo Lectore malumus cognoſci. Compendio enim ſingula ita complecti, ut obſcuritas evitetur, perdifficile fuerit. Itaque id ſolum innuimus, ultima illa Parœmiaſtæ verba Auctorem de Chriſto & Eccleſia ſic exponere, ut ſententiam ſuam ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis illuſtret, & magnum ubique pro Reformata religione zelum prodat, non Papiſtis ſolum, ſed & Lutheranis paſſim haud leviter infenſus.

TRAITE' DES MOYENS DE RENDRE les Rivieres navigables &c.

Hoc eſt,

Tractatus de mediis, quibus fluvii navigabiles reddi poſſunt &c.

Pariſiis apud Stephan. Michallet, 1693. in 8.


Conſtat plag. 7. cum 12. tabul. æn.

QUamvis Architecturam, civilem pariter atque militarem, ad ſummum perfectionis apicem in Gallia perductam, doctisſimisque ſcriptis explicatam cenſeat Auctor hujus libelli anonymus, neglectam tamen eam queritur doctrinæ partem, quæ modum tradit aggeribus mare coercendi, amnes reddendi navigabiles, obices aquarios, & id genus alia exſtruendi, quamque proinde *Architecturam hydraulicam* novo nomine adpellat. Ea vero cum latisſime pateat, & unius non ſit hominis eam tradere; tanti vero momenti, ut ab Hollandis maximo ſuo cum emolumento ita ſit exculta, ut ad certa eam præcepta revocaverint: hanc præcipue partem, quæ amnes ad comportanda, quæ uſui ſunt, opportunos efficit, ex auctoribus Bata-

vis

Digitized by Google

Fig. 1.




Fig



Fig. 4.



Fig



Digitized by Google

vis explicandam ſibi ſumſit, machinas quoque proponens non vane confictas, ſed ipſo uſu in Belgio alibique comprobatas. Principio ergo *impedimenta*, quæ navigationi obſiſtunt, duplicia eſſe monet; quippe cum vel *in ipſo alveo fluminis*, vel *extra eundem* occurrant. *Hæc* a mala riparum diſpoſitione plerumque oriuntur, quæ inæquales aut anguſtæ nimis, arboribus aliisque rebus impeditæ, aut ſectæ foſſis & rivulis, ut homines aut equi navigia trahentes procedere ubivis libere non poſſint. *Illa* contra varii ſunt generis, v. g. latitudo alvei nimia minuens aquarum altitudinem, præceps fluvii ex alto lapſus, ſcopuli cœci oppilantes alveum, pali moletrinarum gratia in fundum depacti, eroſio riparum, exundatio, moles arenariæ, ſimiliaque accidentia. Quibus autem modis hæc obſtacula ſuperanda ſint, porro edocet doctiſſimus Auctor, & cum facile admodum ſit tollere, quæ extra fluminis alveum morantur navigantes, cædendo nimirum arbores, complanando viam, dilatando anguſtias, & foſſas rivuloſque pontibus jungendo; reliqua, majorem quæ requirunt operam, ſigillatim perſequitur, poſtquam monuit, ſi *littus in angulum nimis acutum excurrat*, in apice ipſius conſtituendam eſſe pilam cylindro verſatili inſtructam, cui funem tractorium aptare poſſis, atque ita cavere, ne ad littus navis allidatur. (Vid. *Fig. 1.*) Exponit enim luculenter, quomodo molibus adjectis *alvei tollenda latitudo*, & aquæ curſus inter anguſtiores coercendus terminos, duplici palorum ſerie in terram adacta, quibus rami arborum intertexuntur, ſpatio intermedio virgultorum faſciculis & lapidibus oppleto; deſcribens etiam machinas, quibus pali depangi ſolent in terram. *Alvei inæqualitati* & *cataractis* medelæ loco adhibet vel pontem, flumini aut navi, cujus carina plana eſt, inædificatum, & palangis teretibus ad naves provolvendas inſtructum, (Vid. *Fig. 2.*) vel ſi nimia ſit declivitas alvei, aquarũ receptacula portis munita ligneis, quibus aqua modo cohibetur, modo emittitur, Batavis *Sluyſen*, Gallis *Ecluſes* dicta; præcipue cum tales machinæ alios uſus non contemnendos habeant, ſi modo ad latus profluentis conſtituãtur, ne a rapido ejus curſu noxam concipiant. (Vid. *Fig. 3.*) Si *rudera* pontium aut *ſcopuli* faceſſant negotium, ſpatium hexagonum aut quadratum illa comprehendens, ab aquæ affluxu defendendum eſt machinis extructis, quas ciſtas (coffres) operarii vocare ſolent, ut poſt exantlatam aquam exſcindi ac removeri

TAB. III. Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

TAB. III. veri poſſint; (Vid. *Fig. 4.*) aut ſi *pali* obſtent, ſunt evellendi. Cum
Fig. 4. autem *littora exedit amnis*, ad quæ alliditur ſuo flexu, extruere jubet alas in flumen procurrentes, quæ impetum ejus excipiant, efficiantque, ut ad latus oppoſitum aquæ profluant, & ſabulum ibidem collectum ſecum abripiant, aut ipſa littora ſepimento ex palis firmiter
Fig. 5. infixis vallare; (Vid. *Fig. 5.*) vel tandem *novum effodere alveum*, in quo, circuitu omiſſo, majori cum impetu aqua profluat. Qua quidem in re architecti peritia vel maxime ſpectari poteſt, qui non ichnographia ſolum fluminis & littorum, ſed orthographia quoque, ſeu profilis aliquot inſtructus eſſe debet, ſolique quod perfodiendum eſt, naturam habere perſpectam, ſedulamque dare operam, ut utrumque oſtium canalis novi rite diſponatur; & illud quidem, per quod immittendum eſt flumen, eo in loco fiat, quo directe ac vi maxima pulſat littora, alterum vero, per quod emittendum eſt in alveum veterem, ita aperiatur, ut directe poſſit aqua in profluentem emanare,
Fig. 6. nec contra littora feratur. (Vid. *fig. 6.*) Ejusdem quoque eſt curare, ut ſi terra ſaxis abundet, novus alveus ad eam ſtatim altitudinem, quam requirit, inſtrumento, quod vel aratrum vomere inſtructum, vel etiam raſtrum navi affixum refert, excavetur. Porro de *inundationibus* agit Auctor, & ſi ventus a mari ſpirans eas concitaverit, receptacula a lateribus fluminis exſtructa, in quæ exonerare ſe poſſint aquæ, unicum innuit eſſe remedium; ſi vero ab aliis cauſis oriantur, tollenda eſſe cenſet, quæ curſum aquarum ſufflaminare poſſunt; præcipue vero efficiendum, ut ſi plures adſint pontes, aperturæ, per quas decurrendum amni, in ſingulis ſint æquales, arcusque ſatis alti, ut licet intumeſcat aqua, non tamen in anguſtius cogatur ſpatium, ac ſuper ripas effundatur. Præterea media quoque ſuggerit *expurgandi portus*, eosque reddendi profundiores, dum vel fluminum marisque aquæ obicibus retentæ, & præcipiti curſu, quando claræ ſunt, emiſſæ avehunt ſecum arenam collectam; vel (cum portus ſunt in fluminum oſtiis) non ſolum auferuntur omnia, quæ celeritatem perfluentis minuunt, ſed alveus quoque ſepe ex palis coagmentata in arctum cogitur prope oſtium, majori ut amnis proruat impetu, nec multum limi deponat; vel tandem (quando novus canalis ad oſtii latus effoſſus eſt) ala objecta flumini, qualis circa ingreſſum portus Trajani conſpicitur, plus aquæ cogit deflectere in canalem, per eundemque celerius

rius prolabi, quam alias fieret. Cæterum, quia ſucceſſu temporis ſemper aliquid limi ſubſidit, ac per vices tolli debet, ne portum corrumpat; hinc *machinas* deſcribit Batavis hunc in finem uſitatas, iisque tres alias conjungit, quarum prima ad exoneranda navigia conducit; ſecundæ ope trajici poſſunt ſine remis velisque fluvii rapidisſimi; tertia vero mediante, etiam ſine remis velisque, adverſo flumine tuto navigatur. Tandem coronidis loco modus deſcribitur *demerſas attollendi naves*, aut ſi id quidem alto in mari nimis ſit difficile, *extrahendi merces* quibus navis onuſta, pasſim quidem jam notus. In campana enim cuprea vir deſcendit, cadum pyrio repletum pulvere ſecum deferens, cui inſertus tubus eodem fartus pulvere, ſed altero ſui extremo ope dolii vacui extra aquam prominens, quem ita diſponit, ut accenſus navigii tabulatum excutiat, ipſeque denuo deſcendens ea, quæ extrahenda ſunt, funibus demisſis posſit alligare.

HISTOIRE DE L' EDIT DE NANTES &c.

i. e.

Hiſtoria Edicti Nannetenſis, res memoratu maxime dignas, quæ in Gallia ante & poſt illius publicationem, usque ad ejusdem abrogationem contigerunt, complexa.

Tomus I.

Delfis, apud Adrianum Beman, 1693. in 4. maj.

Alph. 3. pl. 14.

VAſtum hoc Opus, cujus nonniſi primum tomum nunc ſiſtimus, tribus partibus abſolvitur, quarum *prima* Edicti Nannetenſis ab Henrico IV conditi, *altera* ejusdem ſub Ludovico XIII variis modis infracti, *tertia* Edicti illius ſub Ludovico XIV omnino abrogati Hiſtoria ſic enarratur, ut ſimul ſatis ampla exhibeatur Apologia pro Reformatis in Gallia, adverſus adverſariorum criminationes. In Præfatione generali univerſo Operi præmiſſa, dignaque ut ab omnibus legatur, Auctor luculenter exponit tum cauſas, quibus ad componendam juſto ſtudio maximi momenti Hiſtoriam impulſus fuerit, tum rationem modumque, quem fuerit in ea elaboranda ſectatus. Præfatio-

ſationem hanc generalem alia excipit, quæ ſpeciatim ad primum tomum pertinet, & præcipue Reformatorum Henrico IV regnante facta, tum quoad Reformatæ religioni fuit addictus, tum poſtquam ad Romano-Catholicam ille religionem tranſiiſſet, tum poſt conditum Nannetenſe Edictum, a cenſuris & animadverſionibus adverſariorum vindicat. Hiſtoria ipſa primo hoc tomo comprehenſa, a primo reformationis in Gallia exortu natisque inde bellis civilibus, ad Henrici IV usque obitum pertexitur; quod ad rectum de Edicti Nannetenſis juſticia & robore ferendum judicium, & turbarum inteſtinarum originem ac progreſſum paulo altius repeti, & iſtorum inprimis temporum, quibus Edictum ſub incude quaſi fuit, ſtatum, quæque partium vires, ac animorum qui motus fuerint, accuratius noſſe, neceſſarium Auctor arbitraretur. Nobis ire per ſingula, amplisſimamque hiſtoriam compendio exhibere, tantamque rerum varietatem paucas intra pagellas, nullo Lectoris fructu, coercere non lubet. Quin potius in arcem totius rei ingrediemur, cumque præcipua proximis abhinc annis de eo contentio fuerit, & hodieque agitetur, num Nannetenſe Edictum ab hodierno Galliarum Rege revocari jure potuerit, ex Obſervationibus politicis, ab Auctore libro VII tomi hujus primi propoſitis & Hiſtoriæ ſuæ ſuperſtructis, quædam delibabimus, quæ circa gravisſimam hanc quæſtionem haud perfunctorie expendi merentur.

Tria evincenda doctisſimus Auctor ſuſcipit, Edicti Nannetenſis utilitatem, juſticiam, irrevocabilitatem. Quantum ad UTILITATEM, conſiderari jubet tum miſerandum Galliæ ſtatum & calamitates extremas, ex quibus per Edictum hoc fuerit erepta, tum proſperitatem omnigenam, qua gaviſa ſit, quamdiu Edicto qualiscunque conſtitit auctoritas. Civilium ait bellorum mala nemini ignorari: ea autem longe maxima atque atrocisſima Galliam expertam fuiſſe, continuatis tanto tempore inteſtinis concertationibus, & quorum immune nullum mortalium genus, imo neque Clerus, neque Reges ipſi expertes fuerint, regno jam exitio ſuo proxime admoto. Vicisſim poſtquam per Edictum Nannetenſe pax & tranquillitas reſtituta eſſet, dici non poſſe, quam brevi ſpatio cuncta meliorem faciem induerint, reflorueritque Gallia; ut magis ſalutaris Regno lex a nullo unquam Regum fuerit conſtituta. Equidem non deeſſe,

qui

qui clamitent, ſublato malo uno, natum fuiſſe per conceſſam Reformatis religionis libertatem aliud, idque forte majus; diverſitate enim religionis mire deformari rempublicam & immortalibus exponi factionibus: ſed adverſus hos facile evinci, nihil exinde ſocietati civili metuendum, modo tolerantia mutua legibus publicis & jure cuiq; parti æqualiter conſtituto muniatur; quemadmodum paterfamilias liberos ſervosque ſuos, etſi ingenio & temperamenti indole, vitæque inſtituto multum diverſos, legum œconomicarum prudenter ſancitarum autoritate facile in officio contineat. Galliæ ipſi intra annos quinquaginta, quibus utcunque Reformati fuerint tolerati, non obſtitiſſe religionum diverſitatem, quominus & domi tranquillitate frueretur, & ad formidandam toti Europæ potentiam aſſurgeret. Quod ſi in admittendis religionibus diverſis circumſpecte agendum, Reformatam certe ſine periculo admitti poſſe, cum, ſi vel maxime non agnoſcatur ex omni parte pura, citra calumniam tamen nec dogmata ejus ullius impietatis, nec diſciplina ſeditionis queat argui.

Ad JUSTICIAM Edicti comprobandam progreſſus Auctor, juſtum utique contendit fuiſſe, ut peſtes iſtæ humani generis, crudelitas & perfidia, quibus Catholici tanto tempore oppreſſum Reformatos quo jure quave injuria, incaſſum tamen, iverint, tandem aliquando deponerentur, ſuccederentque amor & ſincera fides; utque conſcientiæ ſuæ ductum ſequi permitteretur iis, qui ſub alienæ obſequium redigi tantis moliminibus non potuerant. Juſtum fuiſſe, ut Reformati, cum longe utilisſimam operam Regno præſtitiſſent, & Henrico quidem III Regi legitimo adverſus maximam rebellium Catholicorum ſubditorum partem ſuppetias bona fide tuliſſent, Henrico autem IV coronam ipſam, everſis Hiſpanicæ factionis & ſacræ, quam vocabant, Ligæ molitionibus, aſſeruiſſent, horum ſuorum meritorum capeſſerent præmia; ea minimum, quæ æquo eosdem cum Catholicis jure, parique ſecuritate frui paterentur. Quod ſi enim Principes fidorum ſervorum operam iis remunerari beneficiis ſoleant, quæ ſubditis promiſcue non debentur: multo magis juſtum fuiſſe, ut Reformatorum ſervitiis ea tribuerentur, quæ ſubditorum negabantur nemini. Utique tantum abeſſe, ut Reformatis prærogativa quædam præ aliis Regni incolis acceſſerit, ut ea potius, quæ conceſſa ſunt, ſuis fuerint limitibus circumſcripta, & ſi verum dicen-

Digitized by Google

dum eſt, non tam donata, quam relicta & ſervata, ipſo nimirum nativitatis jure acquiſita. Multo minus quicquam detractum Catholicis fuiſſe; quin ita potius eorum proſpectum juribus, ut juſtam conquerendi cauſam plane nullam habuerint.

Utilitate & juſticia Edicti hunc in modum aſſerta, IRREVOCABILITATEM quidem ejus ultro conſequi Auctor exiſtimat. Ad eam tamen liquidius evincendam, provocat porro ad *Edictum ipſum*, quod diſertis verbis *perpetuum* ac *irrevocabile* vocetur, cumque nihil injuſti, inhumani aut inhoneſti in ſinu foveat, nec a mera Principis gratia fuerit profectum, ſed poſt multorum annorum maturam deliberationem & negotiationes utrinque inſtitutas ſolenniſſime ſancitum, revera perpetuum & irrevocabile cenſeri debeat. Provocat ad Edicti *materiam*, ſeu libertatem conſcientiæ, ſeu ſecuritatem publicam, de quibus duobus inprimis cautum in eo Reformatis deprehenditur, reſpexeris. Conſcientiæ libertate nihil naturæ ipſi convenientius: a ſolo eam Numine Divino pendere, neque cogi ulla vi humana poſſe: ab iis, qui conſcientiæ vim inferunt, nihil effici aliud, quam ut vel innocuos homines diris cruciatibus affligant atque enecent, vel ut ad hypocriſin eos adigant, oreque compellant profiteri, quod toto pectore abominantur. Securitatem vero ſubditis præſtari, eo magis æquum eſſe, quia ejus cauſa in ſocietates civiles coire, communique imperio ſe ſubjicere homines ſuſtinuerunt. Provocat denique Auctor ad Edicti *formam*, quæ omnino proprie ſic dictæ conventionis characterem contineat. Generatim monet Edicta, quibus imperantes ſubditis protectionem pollicentur, pactorum inſtar obtinere, cum nonniſi repetitionem ac inſtaurationem originalis illius & fundamentalis, ſeu expreſſi, ſeu taciti pacti contineant, quo homines protectionem ac ſecuritatem ſtipulati, ſe ac opes ſuas ſummo Magiſtratui ſubjiciant, & ex quo omnis imperantium poteſtas reſultet. Speciatim Nannetenſe Edictum pro tranſactione reputandum, quod omnia ei inſint, quæ ad pacti proprie dicti ſubſtantiam pertinent, tametſi ſub Edicti titulo fuerit promulgatum. Ipſos Adverſarios fateri, aliquot annorum negotiationes & tractatus interceſſiſſe, antequam fuerit conventum. Hiſtoriam omnem deſignare partes diverſa prætendentes, per legatos utrinque miſſos de rebus arduis

Digitized by Google

arduis conferentes, diſceptantes, tandemque poſt juſtam deliberationem, bona fide, procul fraude ac violentia, tranſigentes.

Cum vero in hoc totius controverſiæ cardo velut verſetur, diſtinctius procedi, & pactionem hanc duplici reſpectu expendi Auctor cupit; tum prout inter Regem Henricum IV & ſubditos ejus Reformatam religionem profeſſos; tum prout inter Catholicos & Reformatos Regni incolas, diſſidia ſua Rege arbitro componentes, interceſſit. Priori reſpectu monet 1) Reformatos per viginti fere annos fortunas vitamque ſuam pro Rege adverſus hoſtes ejus expoſuiſſe. 2) armatos eosdem fuiſſe pro conſervatione ſui contra factionem, a qua tam longo tempore inique & crudeliter fuerint habiti. Itaque pactione iſta Regem partim remuneratum fuiſſe fida Reformatorum ſervitia; partim adverſus implacabiles hoſtes præſtitiſſe ſecuritatem, ſed quam ipſimet armis ſibi ac fortitudine ſua præſtare potuiſſent: ut adeo Reformati quodammodo arma ſua in manus regias depoſuerint, cum viciſſim Rex ad defendendos eos fidem ſuam obſtrinxiſſet. Si objicias, non dici poſſe Reformatos arma exuiſſe, qui tot urbes operibus ac præſidio munitas in poteſtate retinuerint; reſpondet Auctor, eas non niſi pignoris ſuo tempore reſtituendi rationem habuiſſe, quale paciſci ſibi Reformati ſummo jure potuerint, nondum ita firmata Regis auctoritate, quin metuendum eſſet, ne a factioſis, in quorum velut poteſtate fuerit, vel invitus ad vim novam Reformatis inferendam compelleretur. Id unum forte ſpecioſius opponi poſſe, quod pacta inter Regem & ſubditos iniri nequeant: ſeu quod imperantium erga ſibi ſubjectos obligatio non niſi ab eorum gratia vim nanciſcatur; ſeu quod ipſa inter eos inæqualitas conventionibus locum non concedat, quarum æqualis ſit ex utraque parte obligatio. Sed utrumque falſum eſſe Auctor contendit, ejusque generis dogmata non niſi iis probari, qui politicam auctoritatem in tyrannidem ament convertere. Deum ipſum, cujus in his terris imaginem referant imperantes, ſed cujus in hoc univerſum poteſtas infinitis modis major ſit, quam imperantium etiam in rebuspublicis mere deſpoticis in ſubditos, non dedignari pacta cum mortalibus, neque unquam ea ſub eminentiæ prætextu eludere. Tanto minus Principum dignitatem prohibere, quin paciſci cum inferioribus posſint, aut ad ſervanda pacta obſtringantur. Quin & ſupereſſe in-

ter imperantes & ſubditos æqualitatem quandam, eam minimum, quæ ad pacti validitatem ſufficiat, juſticiæ nimirum, æquitatis ac bonæ fidei debitum, quo utrique tenentur. In civilibus motibus rebelles ipſos, quorum arma injuſta ſint, capaces cenſeri tractatuum cum ſuperioribus ſuis ineundorum: itaque facultatem illam fidis ſubditis minime negandam. Quod ſi unquam ſubjectis fas fuerit per transactionem quicquam ab imperantibus impetrandi: utique Reformatos, quæcunque indulta iis in Edicto Nannetenſi fuere, ſummo jure fuiſſe conſecutos. Quod poſtquam uberius ex illorum temporum hiſtoria Auctor comprobaſſet, concludit tandem, transegiſſe per Edictum Nannetenſe Henricum IV cum Reformatis, partim tanquam caput alterius in Regno factionis, Catholicorum puta, quorum partes cum religione ipſa ſuſceperat, partim tanquam Regem. Priori reſpectu, quin pactum verum validumque cenſeri debeat, dubitari non poſſe: poſteriori reſpectu potuiſſe Henricum disſidiis inter ſubditos ita moderari, ut partem unam ab altera opprimi non pateretur, ſed controverſias, cum cognitione cauſæ, tanquam judex & arbiter legitimus decideret, latamque ſententiam auctoritate ſua tueretur.

Atque ita ad alterum caput Auctor delabitur, quo Edictum rationem habuit conventionis inter Catholicos & Reformatos initæ, Rege judicis perſonam ſuſtinente. Partium utique loco Catholicos & Reformatos fuiſſe, quorum disſidia ſopita per Edictum fuerint. Regem ut judicem ſpectandum, cujus auctoritate fuerint compoſita. Factam vero deciſionem cum cognitione cauſæ, quod utriusque partis prætenſiones probe ſibi cognitas diligenti ſtudio Rex expenderit. Nec difficulter partium conſenſum, quodque Regis ſe arbitrio ſubmiſerint, ex Hiſtoria evinci poſſe. De Reformatis non dubitandum, qui pro executione Edicti maximopere laborarint: nec minus conſenſiſſe tandem Catholicos, tametſi poſtulatis adverſæ partis multum diuque obſtiterint. Religioni Catholicæ conſultum hos iviſſe, ejusque in certis locis inſtaurationem petiiſſe: exercitium Reformatæ religionis non ſublatum, ſed limitatum voluiſſe. Neque vero judicem competentem alium, præter Regem, in Regno fuiſſe, qui Edicto concordiam inter ſubditos ſtabiliverit, eique auctoritate ſua inviolabilitatem conciliaverit.

Itaque de Henrico IV quidem, quod revocare Edictum non po-

potuerit, facile habiturus Auctor eſt conſentientes quam plurimos. Sed altioris indaginis quæſtio ſupereſt, annon aboleri potuerit a ſucceſſoribus, mutata rerum facie, & temporum circumſtantiarumque aliarum ratione diverſum ſuadente. Eam vero alibi a ſe diſcutiendam Auctor monet, in anteceſſum tamen obiterque obſervans, ſucceſſores ubi prædeceſſorum facta rata habent, pari cum iis obligatione teneri: neque mutatum rerum ſtatum cenſeri debere, ubi eadem durat humanitatis & juſtitiæ ratio; ubi utilitas eadem perſiſtit; ubi partes, quibus conſultum fuerat, exſtinctæ non ſunt, nec acquiſito jure per delictum exciderunt.

Poſtremo objectionibus, quibus oppugnari Edictum ab adverſariis conſuevit, breviter Auctor occurrit, quæ huc fere redeunt: Catholicorum præcipuos vocatos non fuiſſe; non auditum ſupremum Regni Senatum, quem Parlamentum vocant; Clero jura ſua, ut par erat, repræſentare non fuiſſe integrum; denique Pontificis Romani conſenſu Edictum non fuiſſe munitum. Reſpondet Auctor, ſi vera hæc omnia eſſe concedatur, nullius ea tamen futura momenti, cum ſolennitatũ defectus contractibus juſticia & neceſſitate ipſa ſubnixis præjudicio eſſe non debeat. Geſta omnia in Europæ conſpectu fuiſſe: multo minus Clerum aut Parlamentum latere potuiſſe, quæ in Gallia publice cum Reformatis fuere actitata. Itaque ſi non interceſſerint, affectatæ id negligentiæ & ignorantiæ malæ fidei tribuendum. Sed & falſa eſſe, quæ objiciuntur. Parlamentum enim omnino intercesſiſſe, re adhuc integra, & antequam Edictum vim judicati nactum eſſet: intercesſiſſe per Delegatos a Rege benigne & ſufficienter auditos: diſcuſſas juſto ſtudio ejus oppoſitiones: quin & ad ejus inſtantiam mutata haud pauca in Edicti formula fuiſſe, antequam in tabulas publicas referretur. Intercesſiſſe autem Clerum etiam, & præter exemptiones & gratias quamplurimas, obtinuiſſe, ut articuli quidam Edicti immutarentur; tametſi non omnibus poſtulatis ſuis Regem habuerit annuentem. Pontificem ipſum conſenſum præbuiſſe, qualis quidem requiri ab eo potuerit. Perſpectam certe eum habuiſſe totius negotiationis ſeriem, nec Regem cum in Eccleſiæ Catholicæ gremium recipi deſideraret, ad evertendos Reformatos obſtrinxiſſe, multo minus poſtulaſſe unquam (tametſi Concilii Tridentini decretorum publicationem in Gallia, & Jeſuitarum reſtitutionem omnibus modis procuratam cuperet) ut Nannetenſe Edictum abrogaretur. *MAR-*

Digitized by Google

MARCELLI CALÆ, JCTI NEAPOLITANI, de Articulandi & Probandi Modo, de Privilegiis item variandi & eligendi forum Tractatus.

Francof. & Lipſiæ apud Joh. Chriſtoph. Weidnerum, 1693. in 4. Alph. 3. pl. 3.

SEculum fere lapſum eſt, ex quo Opus hoc Germaniæ jam innotuit, Francofurti nimirum ad Mœnum & Spiræ Nemetum anno 1598 editum. Itaque cum tanto tempore verſatum fuerit Eruditorum manibus, non niſi nova hæc illius editio indicanda fuit, in eorum gratiam, qui ætatis illius JCtorum lucubrationes non dedignantur, & quantum ad argumentum ipſum attinet, in compendio legere cupiunt, quæ a *Maſcardo* fuſius traduntur, adornata. Sed de hoc legenda, quæ novæ huic editioni acceſſit, *Jo. Henrici Bergeri*, JCti & in illuſtri Academia Vitembergenſi Pandectarum Profeſſoris celeberrimi, doctisſima Præfatio.

JACOBI DöPLERI, Gräfl. Schwartzburgiſchen Hoff=und Cammer=Raths/Schauplatz derer Leibes= und Lebens=Straffen / welche vor alters und heute zu tage gebräuchlich rc.

id eſt,

Jacobi Döpleri, Conſiliarii Schwarzburgici, Theatrum pœnarum, ſuppliciorum & executionum criminalium, apud varias æque olim gentes uſitatarum, ac hodienum per univerſum terrarum orbem receptarum.

Sondershuſæ, ſumtibus Auctoris, 1693. in 4. Conſtat alph. 6. plag. 12.

IN irrogatione pœnarum, earumque juſtitia, præcipuam & difficillimam ſtudii juridici partem conſiſtere, majoremque in criminali quam civili proceſſu circumſpectionem & prudentiam adhibendam eſſe, vel inde apparet, quod corporis & vitæ major quam fortunarum habeatur ratio, ac perditas opes aliunde quis iterum acqui-

acquirere, vitam autem amiſſam nemo recuperare queat, indeque nullam de vita hominis deliberationem & cunctationem nimis longam eſſe Juvenalis exiſtimet. Quorum igitur arbitrio capita hominum commiſſa ſunt, & qui de vita eorum ſententias pronunciant, recte agunt, ſi vel in condendo jure, vel reſpondendo, aliarum ſimul gentiũ mores in conſiliũ adhibent, & qua ratione delicta eæ plectant, expendunt. Quo nomine utilis labor eſt Auctoris, qui omniũ populorum pœnas, delictis quas irrogarunt, ex veteribus & novis ſcriptoribus excerpſit, univerſum inquiſitorium proceſſum, jucunda hiſtoriarum adſperſione diſtinctum, judiciorumque ordinem apud varias gentes uſitatum, deſcripſit, reſponſa etiam dicaſteriorum criminalia haud vulgaria adjecit; ita ut ii, qui jurisdictioni exercendæ præfecti ſunt, actuarii item & ad tribunalia pertinentes alii, diſcere posſint, quod ex uſu ſit ipſis, & aliis gentibus uſu vel olim venerit, vel adhuc veniat. Nam & veterum Græcorum Romanorumque leges & ritus attulit; & barbararum gentium, Aſiaticarum & Americanarum, in pœnis irrogandis conſuetudines & decreta expoſuit, jucunda non minus lectu quam utilia. Cum autem pœnæ aliæ corpus modo vel exiſtimationem affligant, aliæ vita ipſa hominem privent; de iſtis modo in volumine hoc egit, mortem inferentes in alio expoſiturus. Ergo poſtquam de judiciis & eorum conſtitutione, præfectis, ſcabinis, actuariis, miniſtris, executoribus, *ſex* prioribus capitibus diſſeruiſſet; de ſuppliciorum locis, carceribus, latomiis & ergaſtulis *ſeptem* ſequentibus multa tradit. *Novem* autem & *quadraginta* capita variis ſuppliciorum generibus deſcribendis impendit: quorum quædã ignominiam ſaltem aut modicam corporis afflictionem inferunt; ut aulicæ illæ in culinis caſtigationes, Hiſpanici pallii, quod vocant, injectiones, ridicularum galearum impoſitiones, venatorio cultro quæ peraguntur caſtigationes, in cataſtis quæ fiunt fuſtigationes, collocationes in lapidem quem vituperii vocant, corollæ ſtramineæ geſtationes, deductiones cum tympano, furca, confinatio, exilium, deportatio in inſulam, detruſio in monaſterium, interdictio aquæ & ignis, damnatio ad triremes, catamidiatio, mitræ impoſitio, ad corbem & ad ſpeculũ adactio, nominis ad patibulum vel tabulam atratam, inve librum nigrum aut rubrum inſcriptio, pileorum viridium flavorumque, aut ejus qui Sambenito Italis appellatur geſtatio, equitatio ſuper aſinum

verſo ad caudam vultu, palinodia, oris proprii percuſſio, expoſitio ad palum aut in numellis, ſub jugum miſſio, clavium in ſepulcrum impoſitio, temporaria vel perpetua relegatio: quædam corpori dolorem graviorem inferunt, ut fuſtigatio, tratto di corda, ſtigmatis inuſtio: quædam parte corporis ſontes privant, ut oculorum privatio, narium, aurium, labiorum, linguæ, mammarum, digitorum, pollicum, manuum, teſticulorum, genitalium, pedum, capillorum barbæque reſectio, dentium excuſſio & malarum fractio, lumbifragium, ῥαφανίδωσις & παρατιλμὸς, crurifragium, plantarum in pedibus inciſio. De κυνοφορίᾳ etiam nonnulla addit, & degradatione eorum, qui extremo ſupplicio afficiuntur, ex ſcriptoribus variis depromta, inque ſua capita haud inconcinno ordine digeſta, ut non magis juridici quam hiſtorici operis nomen hic liber mereri cenſendus ſit, & optandum, ut alter tomus, qui ſupremorum ſuppliciorum notitiam tradet, publicam quoque lucem adſpiciat.

DISQUISITIO MODESTA AC PLACIDA de Efficacia & Utilitate Baptiſmi in electis fœderatorum infantibus, autore Hermanno Witſio, Profeſſore Theologo & Eccleſiaſte Ultrajectino.

Ultrajecti, apud Guil. van de Water, A. 1693. in 12. plag. 6.

NOn infrequens eſt eruditiſſimi Witſii in Actis hisce noſtris mentio, variaque paſſim ingenii ipſius monumenta jamtum exhibuimus. Hoc autem, quod jam recenſemus, opuſculum ea occaſione ab ipſo conſcriptum eſt, quod ex ſuæ religionis ſociis quosdam emerſiſſe cognoſceret, qui Baptiſmi efficaciam, contra doctrinam Reformatis alias probatam, extendere multum ac augere allaboraverint. Hinc ut priſcam Eccleſiarum ſuarum profeſſionem vindicet, ita procedit in quæſtione hac excutienda, ut ante omnia evincat, quod ſit hæc inſignis prærogativa infantium ex iis parentibus prognatorum, quos ſalutaris fœderis ſui communione ſupremum Numen dignatum fuerit, ut eos omnes tanquam electos intueri poſſimus, donec provectiores facti contrariis ſe indiciis prodiderint; id quod e dicto Apoſtoli

ſtoli 1. Cor. VII, 14. declarat. Atque hanc fœderalem ſanctitatem ſufficere ait parentibus, ut infantes ſuos ad ſacrum Baptiſmi lavacrum offerant; ſufficere eam non minus ephoris Eccleſiæ, ut eosdem oblatos myſtici fontis aqua tingant, tametſi omnis efficacia omnisque utilitas ſalutaris Pædobaptiſmi in electis ſolum poſtea quærenda ſit. Quamobrem prolixius impugnat ſententiam, quæ omnibus rite baptizatis regenerationem & juſtificationem ſignificari, obſignari, imo & conferri ſtatuit. Propius vero ad id, quod rei caput eſt, accedens, cum ex ipſius mente Baptiſmi efficacia generatim in bonorum fœderalium ſignificatione & obſignatione ſita ſit, inquirit primum in bona, quibus obſignandis inſervire dicatur Baptiſmus, & ea in communione cum Chriſto, in peccati ablutione, in regeneratione, tandemque in felici emerſione ex omnibus hujus vitæ calamitatibus, & ipſa adeo glorioſa reſurrectione abſolvi aſſerit. Iſtorum præterea ad Baptiſmum ordinem hunc conſtituendum ſibimet videri affirmat, ut, quæ de ſuperandis calamitatibus & de beata reſurrectione dixerat, in futurum ibi obſignentur, ipſa vero communio cum Chriſto in electis infantibus Baptiſmum antecedat, eique ut fundamentum ſubſtruatur, id quod non minus etiam de remiſſione peccati originalis ad hunc modum pronunciandum veniat. Quod vero ad regenerationem attinet, Deo non modo liberum eſſe ait regenerationis gratiam conferre electis infantibus ante Baptiſmi uſum, ſed & credibile, quod ordinarie id ita præſtet. Aliorum contra opinionem, quod infantes in futuram ſanctificationem baptizentur, refellit, ac præcipue Amyraldi hanc defendentis rationes examinat, quem, quod infantes præſentis regenerationis incapaces dixiſſet, exemplo Johannis Baptiſtæ in utero matris jam ſanctificati redarguit. Inde iis, qui in ipſa Baptiſmi adminiſtratione infantibus concedi regenerationem ſtatuunt, multum adverſatur, & diſtinctionem format inter geminam regenerationem ac juſtificationem, quarum alteram realem, alteram ſacramentalem nuncupat. Illam in ipſis electorum animis locum habere, hanc autem iſtius modo declarationem obſignationemque & profeſſionem in uſu Sacramenti eſſe dicit; quæ ſi accurate obſerventur, omnibus iis ſatisfaciant, qui ex ejusmodi Scripturæ dictis, in quibus Baptiſmo ſervari, ablui, & a peccatis mundari dicamur, ex iis item nominibus, quibus Baptiſmus ipſe vocetur lavacrum regenerationis ac

ac renovationis Spiritus Sancti,ſententiã adverſam roborare annitantur, cum ubique non prior illa, ſed poſterior,intelligenda ſit; prout & nonnullos e Patribus, ſpeciatim Chryſoſtomum ac Baſilium M. Baptiſmum regenerationis typum ac ſymbolum nuncupaſſe notat; nec obſtare Liturgiam. Gallicanam, cujus mentem ex Petri Molinæi & Jo. Calvini circa hoc negotium dogmatibus, & ipſo Liturgiæ contextu clariorem efficere conatur. Tandem confirmationis efficaciam non realem atque phyſicam, ſed moralem eo tantum ſenſu facit, quod gratiam minime producat aut efficiat, ſed ſolum obſignet ac ſignificet; tametſi negandum haud ſit, hanc aliquam rei ſignificatæ exhibitionem in ſe complecti, verum nonniſi talem, quæ cum Sacramentorum natura conveniat, nec uſu, quem ſimul exponit, deſtituatur. Utut igitur Lutherani ſecus doceant, & ab his parum hac in parte recedat Ludovicus le Blanc & Petrus Jurius, ipſe tamen in hoc poſtremo potiſſimum oppugnando pergit, & dicta Epheſ. V, 25. 26. Tit. III, 5. 1. Pet. III, 21. &c. ad quæ Jurius provocat, in ſuam mentem explicare ſtudet. Patres ad iſtum modum ſcribentes aut erroris ingenue inſimulandos, aut benigna interpretatione juvandos eſſe cenſet. Jurio Burmannum opponit. Praxin Eccleſiæ, quæ Baptiſmum ad certa tempora alligarit, multum huc facere opinatur, cum, ſi ea tantam Baptiſmi crediddiſſet efficaciam, non certe circa ſtatos dies in Sacramenti hujus adminiſtratione obſervandos decretum iſtiusmodi conditura fuiſſet, quod hoc pacto durum valde & iniquum, quinimo tyrannicum impiumque ac ſacrilegum dici mereretur, quandoquidem apud infantes non paucos cum extremo privationis periculo conjunctum videri poſſet. Sed & plura, quibus hæc opinio laboret, incommoda commemorat, hisque omnibus hac ratione deductis ſolicite monet, cum ita in modo ſaltim operandi atque tempore diſſenſus aliquis obveniat, non eſſe illum tanti momenti, ut eapropter parti alteri hæreſeos dica impingi, vel Eccleſiæ pax turbari queat. Pontificiis autem non ſuppetere, quod propter iſthanc diſcrepantiam in damnum Reformatorum urgeant, cum ipſi certe quoad præſentem quæſtionem multo inter ſe magis diſſidere deprehendantur. Tandem de conſenſu theſium ſuarum cum celeberrimi Claudii epiſtola, quæ eſt in poſthumis illius decima ſeptima, impenſe ſibi gratulatur.

ADAMI.

Digitized by Google

ADAMI RECHENBERGI, IN ACAD. *Lipſ. P.P. Lineamenta Philoſophiæ Civilis.*

Lipſiæ, apud Jo. Heinichen Hæredes, 1693. in 12.
Conſtant plag. 12.

CUm Civilis Philoſophiæ duæ præcipue partes ſint, quarum *una* de vita honeſte tranſigenda, *altera* de ſtatu reipublicæ agit; Autor hujus libelli clariſſimus in prima ejus parte, cum varios ante modos tractandi moralem diſciplinam expoſuiſſet, ſummam Ariſtotelis Ethicæ primum, deinde Stoicorum tradit; ſimul doctrinam de affectibus, quos circa inprimis in ſuis decretis & præceptis Stoici occupantur, paulo fuſius exſequens. Hinc vero *officia hominum*, juxta triplex obligationis humanæ objectum, illuſtrem Pufendorfium ſecutus, ex lege naturæ ſuccincte deſcribit; iisque traditis, de *decoro* in converſatione ſociali ſervando, capite peculiari agit. Hujus tractationis ſuæ cauſam in præfatione ipſe reddit. Inde ad *alteram* libelli *partem* digreſſus, *doctrinam politicam* in duas partes ſcindit: in *priori*, de origine, indole civitatis, itemque diverſis formis ac juribus imperii, nec non officio tam imperantium, quam parentium in univerſum tractat. In *altera parte Politices*, quippe *ſpeciali*, ſtatum Imperii Romano-Germanici inde ab origine delineat, ea, quæ vulgo Juris publici nomine veniunt, in epitomen redigens, ut tirones civilis prudentiæ habeant, unde ad altiora, ſine confuſione, in hoc diſciplinæ genere proficere poſſint.

GODOFREDI KIRCHII CALENDARIUM *cœleſte novum.*

NOn ſemel ſagaciſſimi hujus Aſtronomi ſolertiæ in Actis hisce cum laude meminimus. Nec reticenda nobis impræſentiarum eſt ejus opera, quam in concinnanda nova Calendarii forma, ab hactenus uſitatarum, Julianæ & Gregorianæ, defectibus immuni, & motibus luminarium exacte conſentiente, quam diligentiſſime collocavit. Cum enim orbe Chriſtiano indignum reputaret, temporum computum Judæis, circa res Aſtronomicas tantopere alias caliganti-

bus, exactius conſtare, atque nobis, in tanta ſideralis ſcientiæ luce hodie verſantibus: ſtudioſe conſultis luminarium motibus, & anni civilis rationibus ad eosdem dextre accommodatis, *Novum Calendarium Aſtronomicum* adornavit, quod cœlo examuſſim conveniret, nec ulla poſterorum temporum correctione indigeret. Calendarium vero hoc ſuum a cyclorum involucris (quibus negotium hoc pro eo ac decet perfici non poſſe, ipſi eorum autores confeſſi ſunt) ad calculum Aſtronomicum revocavit, eumque difficultatibus, quibus juxta receptas methodos involvitur, compendiis a ſe excogitatis ita expedivit, ut ad conſummationem ejus nihil ſibi videatur reliqui. Nec dubitavit ejus aliquem guſtum anno 1678 & 1693 in Calendariis Chriſtiano-Judæo-Turcicis, qualia quotannis edit, publico præbere, eorumque, quorum hæc ſcire intereſt, vel accendere cupiditatem, vel judicium provocare. Anni ratio longe *Autori* facilior, & intercalatio commodior, ac quæcunque alia hucusque propoſita. Hujus enim periodus perpetua eſt 128 annorum, inter quos Bisſextiles ſunt 31; intercalatione octava, 16ta, 24ta & 31ma in quintum a priori annum incidente, cæteris quarto quoque iteratis. Paſchalis autem computi rationem, tum tabulis ad eundem neceſſariis, tum propoſitis aliquibus exemplis, in memoratorum Calendariorum poſteriore expoſuit. Speramusque eum, ubi laborem ſtudiumque ſuum, præſertim Eruditis, acceptum deprehenderit, non gravate accuratam hujus inventi ſui deſcriptionem propediem publicaturum.

LE DICTIONNAIRE CHRETIEN.

i. e.

Lexicon Chriſtianum.

Pariſiis apud E. Ioſset, & Bruxellis apud L. Marchand, A. 1693. in 8. Alph. 2. plag. 9.

Nihil eſt in rebus creatis, quod non meditationum ſacrarum materiam præbeat, ſeu in Divini Numinis notitiam deduci, ſeu de moribus Chriſtiano homine dignis inſtrui cupiamus. Quod cum reputaret animo præſentis libri Autor, rerum naturalium ſat magnum, & ordine quidem alphabetico (unde Lexici titulus) contexuit catalogum,

logum, & quomodo illæ tum Spiritui S. in ſacris literis, tum ſanctis Patribus, ad ſalutaria dogmata per emblemata & figuras lectorum animis inſtillanda inſervierint, declaravit. Quod Opus uti commendari omnibus meretur; ita inprimis uſui eſſe iis poterit, qui ad populum verba facturi norunt, quantam in commovendis auditorum animis vim habeant ſimilia & parabolæ rite & cum judicio adhibitæ.

SCHAT-KAMMER DER ZINNE-BEELDEN en Voor-beelden.

i. e.

Hieroglyphicorum & Emblematum ſacrorum Theſaurus, ordine alphabetico adornatus ab Henrico Grœnevvegen.

Hagæ Comitum, apud Meinardum Uytvverf, 1693. in 4.
Alph. 1. pl. 22.

QUod operoſe ſatis ac ſtudioſe admodum Gallico idiomate præſtitit recenſiti jamjam Operis Auctor: idem Belgico idiomate, nec infeliciter tentavit *Henricus Grœnevvegen*, Verbi Divini apud Enckhuſanos in Hollandia Miniſter non incelebris. Cum enim optari a multis intellexiſſet, ut Syſtema aliquod Emblematicum, ſeu Lexicon Hieroglyphicum extaret, in quo typorum & dictionum metaphoricarum ratio exponeretur, tali adornando impigre ſe accinxit. Sed hic quidem opus imperfectum reliquit, nonniſi ad literam Alphabeti F perductum, facili tamen negotio ex altero illo Gallico continuandum ac ſupplendum. Primum enim, cum *Balthaſaris Beckeri* decantatiſſimum illud Opus, quod ſub *Mundi Faſcinati* titulo editum tantas in Belgio turbas dedit, in lucem prodiiſſet, ſuarum quoque partium duxit, orthodoxam de Spiritibus eorumque vi doctrinam adverſus paradoxa dogmata Beckeri aſſerere, adeoque ſepoſito tantisper Lexico ſuo Emblematico, opus aliud Beckero oppoſitum, ſub titulo: *Pneumatica, of te Leere van de Geeſten*, i. e. *Doctrina de Spiritibus*, compoſuit. Tametſi vero, poſtquam abſolviſſet hoc & publicaſſet, priſtinum in Lexico illo adornando laborem reſumpſerit,

quo-

Digitized by Google

quominus tamen ad umbilicum perduceret, morte interveniente fuit præpeditus.

HISTOIRE DE HENRI II, ET DE FRANÇOIS II. &c.

i. e.

Hiſtoria Henrici II & Franciſci II Franciæ Regum, auctore Varillaſio.

Amſtelod. apud Abr. Wolfgang, 1693. 12. Alph. 2.

VArillaſii, Hiſtoriographi Gallici celeberrimi, frequens in Actis hisce mentio occurrit, ut repeti hoc loco neceſſe non ſit, quæ vel ad laudem ejus ſpectant, vel in commentariis ejus hiſtoricis deſiderata a multis fuere. Morem priſtinum in præſenti quoque Opere eum tenuiſſe Lector facile deprehendet, cujus etiam judicio relinquere malumus quam definire ipſi, num in omnibus fidem mereatur, ingentibus licet manuſcriptorum monumentorum, ad quæ in Commonitione Hiſtoriæ ipſi præfixa provocat, voluminibus inſtructus. Hiſtoria etiam rerum, quæ in Regum horum tempora inciderunt, tam ampla eſt, ut in compendium redigi non queat. Unum eſt quod diſſimulare non poſſumus, iniquiorem ſe Varillaſium præbuiſſe, quam par erat, *Mauricio* Electori ac Duci Saxoniæ, cujus actiones acerbe perſtringit. Sed tanti Herois vindicias, facillimo quidem negotio adornandas, aliis relinquimus. Non exactam tamen rerum Germanicarum notitiam Auctori fuiſſe, vel hinc patet, quod in Commonitione (*Avertiſſement*) ſupra dicta, Mauricium ſummæ ingratitudinis accuſaturus memorat, apanagio eum gaviſum fuiſſe ab Electore Johanne Friderico liberaliter conſtituto, (*il avoit tiré de lui les moins de ſubſiſter en Cadet de Maiſon Souveraine ;*) item quod Villacum, quo Carolus V Imperator a Mauricio tantum non oppreſſus Oeniponte fugit, urbem vocat Venetis ſubjectam. Nam Mauricius ditiones ſuas a Majoribus acceptas, proprio nomine, & pleno, quam vocant, ſuperioritatis territorialis jure adminiſtravit. Villacum vero urbs eſt Carinthiæ, non Venetis, ſed Epiſcopo Bambergenſi, ſub Domus Auſtriacæ ſeu protectione, ſeu ſupremaṭu ſubjecta.

(o)

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Martii, Anno M DC XCIV.

GENESIS, EX TRANSLATIONE JOH. CLERICI, cum ejusdem Paraphraſi & Commentario Philologico &c.

Amſtelodami 1693. in fol.

OPeris totius, quod ad omnes Scripturæ V.T. libros ſe extendet, Prolegomenis menſe Januario exhibitis, noſtri nunc promiſſi memores, ex ipſo *in Geneſin Commentario*, qui ſolus hactenus lucem publicam adſpexit, nonnulla ſaltim quoad priora tria capita (quis enim integri exhauriat latifundia?) unde de reliquis ſibi quid promittere debeat, judicium facile ferre poſſit curioſus lector, excerpemus: deinde *Appendicis* brevem annectemus ſummam. Nimirum Cap. I. v. 3. verum quidem illos tueri dogma dicit, qui materiam mundi ex nihilo creatam ajunt, ſed non ideo id hoc in loco doceri, aut ex nativa ſignificatione verbi ברא poſſe deduci. Hebræos enim veteres, dum hocce uterentur vocabulo, non cogitaſſe de creatione e nihilo, ſed idem cogitaſſe, quod animo Latine aut Græce loquentium obverſatur, ubi utuntur vocibus *κτίζειν* & *condere:* quæ verba modo formationem rei, quæcunque tandem ſit; modo, ubi de regione aut urbe agitur, coloniæ deductionem aut quiddam ſimile denotent. Sic Ezech. c. XXIIX. 13. de urbe Tyriorum legi: *Deliciæ tuæ in te paratæ fuerunt, die qua creata es,* (הבראך) h. e. ab ea die, qua exſtructa & civibus impleta es. Hoc forte ſenſu vocem ברא exponendam primo Geneſeos commate, ut Moſes terram vacuam ac deſertam fuiſſe innuat, priusquam a Deo parata colonis excipiendis, iisque inſtructa eſſet. f. 3.

Ib. v. 2. Vocibus תהו ובהו ſignificari putat hiatum illum cæcum & immenſum, qui globo terraqueo ſuperincumbebat primo cre- f. 4.

Digitized by Google

ationis die, ſeu inanitatem aeris tenebricoſi, terræ omni ornatu deſtitutæ incubantis. Idque confirmat ex Job. XXVI. 7. ubi Deus *Aquilonem extendiſſe* dicitur על תהו, & *ſuſpendiſſe terram ſuper nihilo*, i. e. aeris terram ambientis inanitate.

f. 5. Ib. v. 3. obſervat, apud veteres Hebræos, ob nexum cogitationum & verborum, qui tantus eſt, ut etiam taciti cogitationes, quas animo verſamus, verbis veſtiamus, ſæpe *animi conſilia*, ſermone licet nequaquam indicata, voce אמר exprimi, v. g. 2. Sam. XXI. 16. ויאמר *Et dicebat* (LXX. καὶ διενοεῖτο) i. e. *cogitabat*, ſeu *volebat percutere Davidem*. Moſen igitur in hoc capite toties repetito ſuo ויאמר nihil aliud velle, quam Deum de creandis operibus conſilia agitaſſe, & ſtatim, ac voluit, hæc prodiiſſe.

f. 6. Ib. v. 5. diem primum immenſa nocte, quæ lucem anteceſſerat, & luce duodecim horarum conflatum fuiſſe cenſet, quod in nocte illa quantumvis longa, nulla cujusquam rei viciſſitudo fuerit, qua in certas dividi potuerit partes. Et hinc *veſperum*, quod prior extitiſſet, a Moſe & Hebræis, in dierum numeratione, præpoſitam fuiſſe arguit: quin & *unum* dictum eſſe diem illum, non *primum*, ob noctis, quæ mundi creationem anteceſſit, prolixitatem, in qua non plurium dierum, ſed infinitarum myriadum annorum intervalla quærere quis potuiſſet, ſed quæ inſtar unius noctis, in quatuor vigilias trium horarum dividendæ, habita fuerit, quod nulla eſſet menſura, qua in plures dies, nedum annos, divideretur.

f. 7. Ib. v. 6. voce רקיע (quam LXX. Interpp. conſtanter vertunt στερέωμα, *fundamentum*, a radice רקע, apud Syros *firmavit, compreſſit*,) id intervallum aeris hic appellari ſcribit, quod a telluris ſuperficie ad nubes extenditur, hoc enim interſtitio ſeparari *aquas inferiores* maris, lacuum, fluminum, & fontium, ab *aquis ſuperioribus* nubium, quæ cum ſuperficiem terræ lamberent, ac æterna quaſi nebula velarent, calore aliquo (forte lucis primo die creatæ) ad nutum Dei fuerint evectæ, quo ſerenior aer terræ incumberet. Sed comm. 14. voce hac multo remotiorem partem, eamque vaſtiorem ſpatii, nos undequaque circumdantis, ſignificari, cum in *firmamento* non Luna modo & Sol, ſed etiam ſtellæ remotiſſimæ collocentur. Cum vero hoc *Firmamentum* ab altero peculiari non diſtinguatur nomine, quaſi unum, cujus duæ ſint partes, inferior & ſuperior, ſpectari. Igitur

Digitized by Google

tur *Firmamentum*, perinde ut *Cœlum*, vocari immenſum illud ſpatium, quod undequaque terram noſtram cingit, & ad ſtellas fixas porrigitur. Rationem appellationis veteres Hebræos deſumſiſſe credit a ſyſtemate mundi, quale ab Orientalibus, maxime Chaldæis, intelligebatur, terram exiſtimantibus in medio mundo eſſe, quo in loco contineretur, vi incumbentium undequaque cœlorum. Hisce quaſi veris ſuppoſitis, merito cœlum *ςερέωμα* dici, quandoquidem, ut terreſtria ſint *ςερεὰ*, *firma* & *ſolida*, efficiat.

Cap. II. v. 4. obſervat hic primum occurrere vocem eam, quæ Dei Iſraelis proprium nomen eſt, juxta Exod. III. 15. Hoc jungere Moſen voci אלהים per *appoſitionem*, ut intelligat lector, eum Deum, quem *mundi Creatorem* deſcripſerat, eundem eſſe, quem Iſraelitæ colerent. Monet inſuper, ſe hic & alibi ſemper uſum fuiſſe voce *Jehovah*, non quod veram hanc eſſe vocis pronunciationem exiſtimaret; ſed quia, cum non ſatis nota ſit, commodius eſſet voce uti fictitia, nec veris vocalibus inſtructa, quam voce *Dominus*, quæ ambigua eſt, aut alia quapiam. f. 16.

Ib. v. 8. De ſitu Paradiſi, qui *Hortus in Hedene* dicitur, ſententiam ſuam contra P. D. Huetii diſſertationem Gallicam adſtructurus, poſtquam tractum in *Syria* eo nomine dictum, ex 2. Reg. XIX. 12. Eſa. XXXVII. 12. probavit, ne quis forte dubitet, eundem fuiſſe, qui hic memoratur, ſequentibus argumentis oſtendit. Primo ait locum Hedenis, in quo Adam collocatus, non procul ab Euphrate fuiſſe, uti nec eum populum, cujus Eſaias l. c. Ezech. XXVII. 23. XXIIX. 13. XXXI. 9. XXXVI. 35. & Amoſus c. I. 5. meminere, quippe qui in Syria fuerit. Secundo, ut prima ſedes Adami in amœno nemore: ita eam regionem conſitam fuiſſe arboribus in fertiliſſimo tractu, quod manifeſto appareat ex Ezech. XXI. 16. 18. Tertio, inde factum, ut is locus vel terrarum tractus a Prophetis dicatur Paradiſus Dei, Eſa. LI. 3. Ezech. XXXI. 8. 9. Joel. II. 3. Quarto, ne hi Prophetæ meris alluſionibus ad locum hunc Geneſeos uti, aut regionem ipſorum tempore amœnam & florentem reſpicere videantur, præter allata teſtimonia, obſtare etiam ſcribit veteres Ethnicorum Geographos, Strabonem L. XVI. Ptolemeum L. V. c. 15. Plinium L. V. c. 23. inter urbes Syriæ *Paradiſum* recenſentes. Si quis cum aliis, qui primi hominis ſedes in Babylonia collocatas malunt, objiciat, Moſen poſtea Euphratis & f. 17.

Tigridis, quaſi fluviorum Hedenis meminiſſe, quod Syriæ non conveniat, quæ ad Euphratem tantum porrigatur; facile ſolvi eam objectionem ait, ſi reputemus, etiamſi Hedenis & Paradiſi nomina ad loca quædam haut ampla Syriæ poſteris ſeculis pertinerent, antiquiſſimis tamen temporibus ea potuiſſe vaſtas regiones complecti, ut quæ à Syriaco mari ad Tigrin vergunt, præſertim initio rerum, quo incultis regionibus nulla erant nomina. Ex nomine alicujus partis ſæpe patentiſſimas appellari regiones, quæ aliis poſtea nominibus veniant, ut priſcum exiguæ tantum parti nomen hæreat. Deinde non poſſe quenquam a ſe poſtulare, ut Paradiſi, qualis erat Adami ævo, ſitum, cum fluminum, qualis poſtea fuit, curſu conciliet; cum nemo neſciat, *Euphratem* & *Tigrin*, poſtquam juncti ſunt, alveum communem in quatuor non dividere ramos, & reliquos duos fluvios, qui ex eodem alveo erumpentes regiones *Chus* & *Havila* permeabant, nusquam certo inveniri poſſe. Adhæc eluvionibus & motibus terrarum, fluviorum curſus ſæpe mutatos fuiſſe.

f. 19. Ib. v. 11. fluvii *Phiſchon*, flexuoſo curſu alluentis totam regionem Chavilæ, putat veſtigium aliquod in *Chryſorroa* inveniri poſſe, qui, teſte Geographorum tum veterum tum recentiorum choro, incipiens ab urbe & regione Damaſcenorum, in varios ramos ſcindatur, inque rivos fere conſumatur, tantamque ſuggerat Damaſci aquæ copiam, ut unicuique domui cum intra ædificium, tum in horto, ſuus ſit fons. Hæc autem optime convenire ait cum nomine Hebraico פשון, quod deducatur a radice פשה *diffuſus fuit*. Græce dici hunc fluvium *χρυσοῤῥόας*, quia ramenta auri, quod præſtantiſſimum in regione Chavila fuiſſe nos docet Moſes, ſecum devehebat. De cætero Chavilæ ſitum alium, quam hodie creditur, ſaltim Moſis tempore fuiſſe exiſtimat, viciniorem nempe Judææ, non procul a Cœlo-Syria. Probat hoc ex 1. Sam. XV. 7. ubi Saul dicitur ferro & igne vaſtaſſe Amalekitas *ab Chavila, donec venias Sur*, quod eſt e regione Ægypti. Igitur *Sur* & *Chavilam* fuiſſe quidem Amalekitarum fines colligit, ſed ita ut *Sur* ad Auſtrum, *Chavila* ad Septentrionem fuerit. Deinde Veteres docet, non procul Libano aut Anti-Libano, ſedes *Chablaſiis* aut *Chaulothæis*, quæ nomina ἀντὶ τοῦ *Chavila*, vel *Chavilath* in regimine, haut multum abludant, attribuiſſe inter *Nabathæos* & *Agræos*. Agræos autem ſeu Agarenos coluiſſe regionem ad Orientem Galaadi

laadi ſitam, 1. Paralip. V. 10. Nabathæos vero Ægypto propiores fuiſſe.

Ib. v. 13. Quemadmodum ex ſitu terræ Chavilæ, veluti palpando, τοῦ Phiſchon fugientia quæſivit veſtigia: ita hic ex ſitu terræ *Chus* inveſtigandum eſſe cenſet flumen *Gibhon*. Credit autem nominis *Chus* veſtigia eſſe in duplici *Caſio* aut *Caſſio* monte, quorum unus in Madianitide ad mare rubrum, alter in *Caſſiotide* Syriæ regione fuerit. Atque hoc in loco non *Chuſanitidem* ad mare rubrum ſpectari, ſed Caſſiotidem Syriæ, & Orontem quidem fluvium, ut poſtea dictus eſt *Gibhon*, deſignari. Caſſiotidem enim totam alluere Orontem, juxta Strabonem & inſpectas Ptolemei Tabulas. Favere etiam conjecturæ ſuæ priſcum nomen Orontis, qui prius, ut Græci narrant, vocatus fuerit Ῥηξαυθερος, quod magno impetu erumpat, cum e fontibus, tum e terra, ſub qua aliquandiu elapſus iterum emergat; quod optime exprimatur voce גירחן ἀπὸ τοῦ גרח *cum impetu erupit, effuſus eſt*. f. 20.

Ib. v. 19. in animalium denominatione locum habere ſcribit Rabbinorum axioma: *Loquitur Lex, ut Filii hominum*. Deum enim Adami nomenclatione non indiguiſſe. Forte etiam hæc uno die abſoluta non eſſe, ſi ſaltim omne genus animalium luſtrarit Adamus; ſed nec credibile eſſe, omnes non modo piſces, ſed etiam feras terreſtres, quæ in omnibus terris viſuntur, ad Adamum fuiſſe adductas. Americanas certe feras & aves, quibus in Aſia nullæ ſimiles ſunt, non videri ad Adamum, ut nomina acciperent, iviſſe: uti nec quisquam omnes piſces majores ac minores ſe ei obtuliſſe dixerit. Vocem *omnis* ad certas ſæpe ſpecies, non omnia genera ſignificandas adhiberi. Frequentiora ergo in Syria animalia & mitiora videri, Hevæ conſenſu (nec enim ſermone Adamum ſolum eguiſſe) certis nominibus ipſum appellaſſe. Videri itaque hic ordinem, ut paſſim, neglectum: & quæ paucis verbis narrentur, ideo intra paucas horas facta fuiſſe cenſeri non debere. Igitur non opus eſſe cum nonnullis Interpretibus eo devenire, ut dicamus divina potentia, extra ordinem naturæ, omnia animalia, quibus Adamus nomen impoſuit, agmine facto ad illum, ut nomina nanciſcerentur, iviſſe. Paulatim forte vocabula inventa, & prout primis Parentibus obverſabantur animalia, aut de iis ipſi colloquebantur, impoſita eſſe. Forte ſubinnuere hic voluiſſe f. 22.

Moſen linguæ, qua uterentur primi homines, inventionem, inter primas primorum Parentum fuiſſe curas; vix enim quidquam magis uſui initio illo eſſe potuiſſe. Fortaſſe etiam ſimul imperium hominis in bruta nomenclatione iſta deſcribi.

f. 23. Ib. v. 23. ut in plerisque rerum vocabulis, quorum nullus erat Protoplaſtis uſus, linguam non niſi ſenſim inventam exiſtimat Clericus; ita in ſumme neceſſariis non putat Deum linguam iis maxima cum moleſtia inveniendam reliquiſſe; ſed cum adulti uterque eſſent creati, creatum ſimul in illis loquendi habitum, ſaltem in præcipuis; quod haud multo aliter eveniſſe credit, quam cum Apoſtoli linguis, quas antea ignoraverant, loqui cœperunt. Eum linguam dici callere, qui animi ſenſa verbis ea lingua uſitatis efferre poteſt, quod longo uſu ſoleat adquiri: ſed Apoſtolos in ſe id ſubito divinitus inveniſſe, quod non niſi tempore alii homines conſequantur; quo pacto etiam Adamus & Heva creati ſint cum eodem loquendi habitu, quem nos aliquot annis contrahamus. Qui ergo mentem humanam & mirabile corporis opificium formare potuit, eundem, cum probe ſciret, quid requireretur, ut ſermones inter eos haberi poſſent, quod uſus in aliis creat, primis parentibus ſine mora dediſſe. Ac ſane absque hoc dono Deum ipſos alloquentem intelligere non potuiſſe, nec reos fuiſſe ſpreti divini moniti, quod non magis quam bruta intelligendo potuiſſent aſſequi.

f. 26. Cap. III. 1-6. de modo ſeductionis Protoplaſtorum per ſerpentem, ſex recenſitis diverſorum interpretum ſententiis, nullam quidem earum damnare ſuſtinet, in re tamen obſcura tutisſima ſibi videtur ingenua ignorantiæ confesſio, modo ſumma rei teneatur iſta: primos ſcilicet humani generis Parentes initium feciſſe peccandi, unde innumera mala ipſis eorumque poſteris incubuerint. Conſtare certe, humanum genus nunc & a multis ſeculis corruptisſimum fuiſſe; nec initium ejus labis ullum infra orbis originem deprehendi poſſe. At quomodo peccatum in orbem ingreſſum ſit, adeo ut primi peccati circumſtantias perſpicue & ſine ulla dubitandi ratione intelligere posſimus, indicare eorum eſſe, qui rei interfuerunt, ſi reviviſcerent.

f. 29. Ib. v. 7. qui hic *nudum* proprio interpretantur ſenſu, eos ſe inextricabilibus induere nodis monet. Cum enim ſoli eſſent Adamus &

Heva, non magis potuiſſe eos nuditatis ſuæ pudere, aut eam non ante animadverſam deprehendere, quam priusquam peccatum admiſiſſent. Si dicas, arboris illicitæ fructum eos ad Venerem concitaſſe, motusque indecoros in eorum corpore feciſſe; Reſpondet, primo inanem hanc eſſe conjecturam. Deinde quoad collectiones hinc inſtituendas quærit: an is ſit vitioſus viri erga uxorem appetitus, quem ipſa natura animalibus ingeneravit? An potuerit eos magis pudere, quod nudi poſt peccatum eum ſentirent appetitum, quam antea? Cum terrarum orbem ſoli incolerent, eundem ipſis thalamum eſſe potuiſſe æque pudicum, ſtellis apertum, ac tecto, muris, laquearibus & aulæis abſconditum. Certe eos ejus rei pudere non potuiſſe, propter quam erant non minus ac reliqua animalia creati. Neque nos hodie ejus rei, niſi coram teſtibus, propter incommoda, quæ inde evenirent, pudere. *Nudum* ergo hic dici oſtendit ſenſu figurato, qui violati præcepti divini reus, adeoque iræ divinæ obnoxius eſt. Perinde, ut qui nudus cernitur, pudore ſuffunditur, ſic etiam qui pudenda facit, *nudum* aut *retectum* videri. Ita Moſen narrari, poſt conflatum & conſecratum vitulum aureum, *vidiſſe populum nudum* (פרע) *quia eum nudaverat Aaron inter hoſtes ſuos.* Sed & in N. Fœderis Libris γυμνὸν paſſim pro *peccatore* ſumi, ut Apoc. III. 17. XVI. 15. XVII. 16. Juxta hæc, verba *ſe nudos eſſe cognoverunt*, ita exponit: *ſe peccaſſe animadverterunt.* Item verſ. 10. *quia nudus ſum, timui;* i.e. *quia te offendi, timui iram tuam.* Nec non verſ. 11. *quis nudum eſſe te*, i.e. me tibi iratum eſſe, *tibi dixit?* ſeu, *te in eo ſtatu eſſe, in quo iram meam pertimeſcas.* In eadem ſermonis figura pergere Moſen ſcribit verſ. 7. & quia modo dixerat, Protoplaſtos deprehendiſſe ſe eſſe nudos, mox eos inducere quaſi zonas ex arborum foliis ſibi facientes, cum propter rationes modo allatas veſtibus non magis, rei facti, quam innocentes, indiguerint. Credibile igitur eſſe, ſub hiſce veſtibus ſeu cingulis aliquid aliud latere, nimirum *ſcenam* quampiam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam ſe abdiderint. Ac ſane חגרות poſſe æque ac *cingulum*, quod corpori ſuperinjicitur, quidvis aliud ſignificare, quo circumdamur, quale eſt *ſeptum* aut *tectum*. Hinc ficum electam eſſe ad tegendam *ſcenam*, propter foliorum latitudinem & umbram. Siquidem hanc arborem Theophraſtus Hiſt. Plant. Lib. IV. c. V. dicat

γίνεσθαι

Digitized by Google

γίνεϑαι καϑάπερ σκηνὴν, ὑφ᾽ ᾗ καὶ εἰώϑασι διατρίβειν, *fieri inſtar tabernaculi, ſub quo & ſolent degere.* Nec miram videri debere deſcriptionem ſcenæ ſub imagine veſtis, ſi meminerimus Paulum 2. Cor. V. corpore, quod vocat *σκῆνος*, *ἐνδύσαϑαι* indui nos dicere. Durius certe non eſſe, cingula ficulnea vocare ſcenas ficulneas, quam corpus humanum dicere *ſcenam* eſſe, qua ſumus induti. Si quæras: quare tam dura phraſi uſus ſit Moſes, cum non deeſſet facilis & commoda, ſi pro חגרות dixiſſet סכות? Reſpondet, quia de nuditate locutus eſt, metaphora, licet duriore, ex re, cujus cogitatio eſt cum nuditate conjuncta, veſtibus ſcilicet, petita uſum eſſe. Sic multa occurrere captatæ durioris, ex occaſione ſuperiorum ſermonum, metaphoræ exempla in Evangeliis, v.g. Joh. VI. 32. coll. 53.

f. 32. Ib. v. 15. in verſione LXX Int. *ἀυτός σου τηρήσει κεφαλὴν καὶ σὺ τηρήσεις ἀυτοῦ πτέρναν*, *ipſe ſervabit caput tuum, tu autem ſervabis ejus calcaneum*, rejicit emendationem Iſ. Voſſii, non dubitantis, quin prius ſcriptum fuerit *τρήσει* & *τρήσεις* *perforabit* & *perforabis*, ab inuſitato *τρέω*. Nam primo hanc emendationem contra omnium Codicum autoritatem eſſe ait. Deinde ne quidem neceſſariam videri, cum, ut recte obſervarit F. Caſtellus, hæc radix in Arabica lingua *obſervare, ſpectare*, ſignificet, ad quam ſignificationem reſpicere potuerint LXX. Sic etiam Pſ. LVI. 2. 3. verbum שאף, quod huic affine ſit, non inepte a D. Kimchio exponi הביט *ſpectavit, obſervavit*, ſi qua nocendi detur occaſio. Nec ſpernendum eſſe ſenſum, ſi meminerimus *τηρεῖν* interdum eſſe *occaſionem captare, obſervare quippiam attente.* Ita ex LXX. Int. ſententia hanc divinorum verborum mentem fuiſſe: *Illud capiti tuo, tu vero ejus calcaneo inſidiaberis: Vos invicem obſervabitis; illud, ut conterat tibi caput; tu, ut talum, quo te conculcabit, mordeas.*

f. 33. Verſ. 16. Hebræum תשוקתך a radice שקק quod eſt *currere* aut *curſitare* derivans exponit: *curſus tuus ſc.* ad Virum tuum: metaphora a ſervis circa heros concurſantibus ducta. Nimirum, ut ſervi circa heros pro horum imperiis curſitant, ſic obedientiam eorum, qui aliis ſubjecti ſunt, nomine *curſus* exprimi ſcribit, & *curſus ad eos* eſſe dici, quibus obſequium ſeu ſpontaneum, ſeu ex lege, exhibetur. Hunc horum verborum ſenſum eſſe, oſtendere *πρόσϑεσιν ἐπεξηγητικὴν*, quæ ſequitur, *& dominabitur tibi.*

Verſ.

Digitized by Google

v. 21. Quemadmodum *perizomata ficulnea* ſupra tabernaculum interpretatus eſt, ita hic non veſtes, ſed tabernaculum pellibus conte-ctum intelligendum ſuſpicatur. In agro Babylonico, ubi tepidiores hyemes, non indiguiſſe veſtibus pelliceis, quæ calidiores ſunt, primos Parentes: tecti alicujus, quo ardorem Solis ac pluvias arcerent, uſum potiorem fuiſſe, quod præſtare ſat commode potuerit tabernaculum pellibus tectum. כתנות etiam *tunicas* ſignificare, ſed antea ſe rationes attuliſſe, ob quas primas mortalium domos veſtium nomine deſcribat Moſes: atque ut apud Romanos *veſtis* quemlibet pannum; ita forte apud Hebræos כתנת velum quodvis, quamvis exempla nunc deſint, ſignificaſſe. f. 34.

Innumera hujus generis alia in ſubſequentium capitum Exegeſi induſtrio lectori ſeſe offerent, quæ omnia ſi huc transferre anniteremur, non unius ſed plurium menſium pagellas excerpta noſtra ſibi vendicarent. Interea hæc pro inſtituti ratione, ad pernoſcendam hujus Commentarii rationem ſufficere poſſe arbitramur. Progrediemur nunc ad APPENDICEM, quæ præter *Diſſertationes duas*, unam de *Sodomæ finitimarumque urbium ſubverſione*, alteram de *ſtatua ſalis*, complectitur *Tabulas Chronologicas in Hiſtoriam Libri Geneſeos*.

In *prima* Diſſertatione, priusquam de clade ipſa agit, Sodomæ vicinarumque urbium ſitum paucis conſiderat, quippe qui non parum conferat, ut qua ratione pulcherrimæ regioni infelix ſucceſſerit lacus, intelligi poſſit. Præmiſſa igitur deſcriptione Moſaica ex Gen. XIII. 10. primum hinc colligit, eas urbes ad Jordanem fuiſſe hinc inde ſitas in maxima planitie, quam LXX Interpretes *τὴν περίχωρον τȢ Ἰορδάνȣ*, alii *μέγα πεδίον* magnum campum, nec non *αὐλῶνα vallem* dixerint. Deinde obſervat, hanc Aulonis oram meridionalem totam, ſeu infimam planitiei Jordanis partem, qua Tſoharem itur, inſtar Paradiſi Jehovæ, aut Ægyptiæ terræ, *irriguum* fuiſſe: dum aquæ Jordani influentes, propter montes perpetuos, quibus coercetur ab ortu & occaſu, nulla ex parte effluere potuerint, ſed cum ejus aquis in meridianam plagam delatæ fuerint. Tertio animadvertit ex Gen. XIV. 10. etiam antequam lacus Aſphaltites enaſceretur, bitumen ex ejus ſoli puteis erupiſſe, & hauriri illinc ſolitum. His rebus factum eſſe ſcribit, ut poſtquam juſtitia divina conſceleratis moribus permota aliquot urbes in extrema Jordanis planitie ſitas omnino delere, & impios in-

colas πανωλεθρίᾳ delere decreviſſet, tractus iſte Aſphalto ſeu bitumine plenus, cum facile flammam conciperet, fulmine cœlitus delapſo accenſus, flammaque non modo in terræ ſuperficie conſpecta fuerit, ſed etiam ſubterraneas ſulphuris & bituminis venas ita pervaſerit, ut abſumta ea materia, terra ſubſiderit, alveumque influentibus illuc aquis præbuerit. Deum nempe *depluiſſe ſulphur & ignem*, quæ ſit circumlocutio *fulminis*, ut videre eſt Pſal. XI. 6. Ezech. XXXIIX. 22. Fulmen autem dici *ſulphur & ignem*, quaſi ſulphur ignitum vel accenſum. Et quamvis Moſes non adjiciat, qua ratione fulmen devotarum urbium agros ſubverterit, tamen cum fulminis meminerit, vix aliter rem intelligi poſſe, quam ut fulmine in puteos bituminis magna copia delapſo accenſæ ſint ejus materiæ venæ, incendiumque in intima bituminoſi ſoli viſcera penetrarit, tremoreque & ſolo ſubſidente ſceleratas urbes ſubruerit. Agris Jordani vicinis ea ratione ſubſidentibus, neceſſe fuiſſe, ut aquæ illuc influentes tanta copia ex paludoſis antea locis, una cum bituminis laticibus, qui ſemel e terra eruperint, aut aquæ ſeſe miſcuerint, efficerent lacum Aſphaltitem, æternum cladis monumentum. Si forte jam quærat aliquis, miraculone an ſolitis duntaxat naturæ viis incenſum & ſubrutum eſſe id ſolum cenſeat Clericus? reſpondet, rem quidem ipſam ſeorſim a circumſtantiis conſideratam, ſolitas naturæ vires ſuperare non videri, id quod variis motuum terræ exemplis, maxime illius, qui menſe Januario anni ſuperioris 1693 totam Siciliam mirum ac miſerabilem in modum concuſſit, oſtendere ſatagit. Poſſe ſcilicet in bituminoſo ſolo concuti, quicquid ſuperimpoſitum eſt, & ſubito hiatu abſorberi. Poſſe cadere fulmina, quibus ſulphuris & bituminis incendantur venæ, quæ poſtea erumpentes aquisque admixtæ in valle ſubſidente lacum Aſphalto turgentem conficiant. Sed ſi hæc facta ſint in præſenti clade, nondum ſatis ad effectum edendum diſpoſitis naturæ cauſis, nec tunc eventura fuiſſent, niſi extraordinaria Dei aut Angelorum acceſſiſſet opera, *miraculum* iſta haberi debere non minus, ac ſi ſeorſim ſpectata plane ſolitum naturæ ordinem excederent. Atque hoc modo rem accidiſſe, duos Angelos a Deo miſſos eorumque ſermones ſuadere. Videri etiam hoc indicaſſe iſtum Angelum, qui antequam res fieret, Abrahamo eam prænunciavit Gen. XIIX.

In Diſſertatione *ſecunda* primo originem opinionis de Lothi uxore

uxore in ſtatuam ſalis converſa a Judæis deducit. Deinde verbis Moſaicis, Gen. XIX. 26. paulo altius expenſis, vulgarem inde ſententiam colligi non poſſe oſtendit, cum duæ hic ſint voces ambiguæ, quæ perperam intellectæ errorem pepererint, נציב & מלח. *Illam* non modo *ſtatuam* aut *columnam*, ſed & tralatitio ſenſu *immotum* quidpiam & *durum*, columnæ & ſtatuæ inſtar, ſignare; hanc autem, præter ordinariam *ſalis* ſignificationem, interdum etiam *tempus diurnum* notare. Mox ejus opinionis abſurditatem vel inde patere ſcribit, quod, ubi ſimile quiddam in Sacris literis narretur, (v.g. de virga Moſis in ſerpentem mutata) rationes adſint certæ, ob quas ejusmodi miracula, non alia, edantur; hic autem nihil tanto miraculo dignum reperiatur. Satis fuiſſe, uxorem Lothi cunctationis ſuæ pœnas morte dediſſe; nec aliud quidpiam minatum fuiſſe Angelum v. 17. neque ut occideretur, ullo miraculo opus fuiſſe. Cumque alii alios tradant hujus metamorphoſeos modos, multis eos abſurdis aliis laborare oſtendit. Quando autem opponitur veterum ſive Judæorum ſive Chriſtianorum auctoritas, ejus rationibus deſtitutæ nullum eſſe pondus ait: poſſeque Joſephi, & aliorum teſtium oculatorum omnium teſtimonia hoc uno reſponſo confutari, ſi dixeris, omnes, qui ſe vidiſſe ſtatuam ſalis ſcripſerunt, a locorum incolis falli potuiſſe, qui aut lapidem, aut ſimile quid oſtenderint, quod ſtatuam eſſe uxoris Lothi narrarent. Unde enim, ſibi verum narrari, potuiſſent cognoſcere? Itaque multo prudentius iſtos acturos fuiſſe, ſi ſcripſiſſent, ſe vidiſſe columnam, ſtatuam, aut ſimile quidpiam, quod ab incolis *ſtatua ſalis* diceretur, ſed verene eſſet, ſe neſcire. Longe cordatiores & veri amantiores eſſe Chriſtophorum Furerum, Petrum Belonium, Nicolaum Melchiorem Thevenotium, & Nicolaum Chriſtophorum Radzivilium, qui nihil quicquam hac de re in Itinerariis ſuis jactitarint. His addere non veretur Hieronymum, qui tot annis in Palæſtina vixerit, & ejusmodi rerum non modicus fuerit jactitator, nec tamẽ usquam ſtatuæ ſalinæ meminerit, quamvis de Sodomæ ſubverſione, Lotho, imo etiam ejus Uxore verba fecerit. Hinc multo veroſimilius eſſe judicat, mulierem, cum patria cœli & terræ ignibus arderet, cœlum fulminibus concuteretur, fragore horrendo tremeret ſub veſtigiis humus, & oculis ſuorum omnium, marito duntaxat & filiabus exceptis, obverſaretur calamitas, metu diriguiſſe, & cum nemo ſuppetias ferret, præ dolore

O 2 ani-

Digitized by Google

animam efflaſſe: aut, dum non tantum oculos ad patrium ſolum retorſiſſet, ſed etiam, Angelis abeuntibus, rediiſſet, ut propius incendium ſpectaret, vapore ſulphuris aut bituminis ſuffocatam fuiſſe. Hoc poſterius non abſurde colligi poſſe ſcribit ex verbis Chriſti Luc. XIIX. 32. ubi, poſtquam dixiſſet: *nemo retrorſum revertatur*, Hieroſolyma nimirum, inſtante obſidione, egreſſus, illico ſubdat: *mementote uxoris Lothi*, ſcilicet regreſſæ, forte ut videret, an ex ſupellectilibus aliquid præterea auferre poſſet. Nec videri Angelos vetuiſſe Lothum, ne reſpiceret, quaſi retortorum duntaxat oculorum pœnas, ſubita morte, Deo daturus eſſet; ſed ne moraretur, ut faciunt, qui præ deſiderio loci, quem relinquunt, ſæpe reſpiciunt, aut qui volunt, urbe peritura, quid futurum ſit propius videre. Sequentia enim verba, *neque in tota planitie conſiſte*, videri ἐπεξηγήσεως ἕνεκα addita eſſe. Angelos ergo *feſtinarent* monuiſſe, quia malo ſerpente poterant, ſi vel ſpectandi, nedum opum auferendarum cauſa, quod facere forte conata ſit Lothi uxor, morarentur, cum cæteris abſumi. Cum autem eo, in quem collapſa eſt, loco in perpetuum manſerit, ipſam inſtar *ſtatuæ* in illo *ſalſo* loco dici *fuiſſe*. Nec eſſe, quod ἔμφασιν quiſquam urgeat, cum de re minori ſimilis occurrat locutio, 1. Sam. XXV. 37. ubi de Nabale: *Et mortuum eſt cor ejus in illo* (והוא היה לאבן) *& ille fuit in lapidem*. Cum ſcilicet Abigail uxor ei narraſſet periculum, quod evaſerat munere oblato, virum ſtolidum ſeu metu, ſeu avaritia ita ſtupefactum fuiſſe, ut *lapis* videretur, & intra decem dies obierit. Ut ergo propterea, quod Nabal dicatur *lapis factus*, nemo dixerit hominem in lapidem μεταμορφωθῆναι: ita nec uxorem Lothi cenſendam eſſe ſtatuam ſalinam evaſiſſe, quod dicatur *fuiſſe ſtatua ſalis* vel *in ſale*. Sic etiam locutos in ſummi ſtuporis expreſſione Latinos Poetas.

Tabulas Chronologicas quod attinet, ipſe Clericus *Notulis in easdem* monet, ſibi non animum eſſe, quæcunque ad libri Geneſeos Chronologiam pertinent, poſt tot de hiſce Virorum doctiſſimorum labores excutere, quippe cui perſuaſum ſit, nihil pene niſi conjecturas aliorum inventis addi poſſe, præterquam quod hic alterum volumen denuo ſibi conſcribendum eſſet, ſi rem ſubtiliter perſequi aggrederetur: ea duntaxat, ſine quibus Moſes, aut annotata ſua, ſatis intelligi non poſſent, aut quæ alioqui ſingulari attentione digna videantur, huc congeſſiſſe. Ante omnia neceſſario obſervandum, *annos* in to-

Digitized by Google

ta hac Moſis Chronologia intelligendos videri *Ægyptiacos*, & quales quidem tempore hujus Scriptoris erant: neque enim unam fuiſſe ſemper anni Ægyptiaci rationem, nec iſtiusmodi ſupputationem aliunde addiſcere potuiſſe Moſen niſi ab Ægyptiis. Nam qui Abrahamum rerum Aſtronomicarum peritum faciant, & Ægyptiorum ipſorum Magiſtrum, poſt Joſephum, eos nimis facile jactationibus Judaicis credere. Ex hiſtoria autem diluvii apparere, Noachum in arca non 365, ut vulgaris computus habet, ſed 370. diebus manſiſſe. Atque hoc veriſimilius videri, cum a 17. ſecundi menſis anni 1656, quo arcam ingreſſus eſt, ad 27. ejusdem menſis anni ſequentis 1657, quo exiit, ſint exacte 370 dies, ſi ſingulos menſes, ut in priſco anno Ægyptiaco, 30 dierum ſtatuamus. Quod ſi Ægyptiaci anni formam ſecutus ſit Moſes, in alia tempora initium & finem diluvii, quam a doctis fieri ſolet, eſſe rejicienda. Initium Chronologiæ, h. e. Mundi, quod attinet, cum alii vere, alii autumno circa æquinoctia illum creatum eſſe velint, Ægyptios 12. Julii, cum ſignum Leonis ingreditur Sol, mundi natalem conſtituiſſe, & hanc ſententiam æque veriſimilibus argumentis, ac alias, defendi poſſe docet. Cum LXX. Interpretes ſtatim in anno Adami, quo Sethum genuit, numeros Hebraicos augere incipiant, pro centeſimo trigeſimo habentes τριάκοντα καὶ διακοσία ἔτη: ſimiliter quatuor ſequentibus, & Henocho ſeptimo, centum annos addant; hæc omnino Clerico, Samariticorum codicum conſenſum cum Hebræis hic ſpectanti, videtur eſſe Græcorum Interpretum emendatio, quidquid dicant, qui contra ſentiunt. Quando autem pro 35. anno, quo in Hebraicis Codd. Arphachſadus genuiſſe dicitur, in Samariticis & Græcis codicibus ſint 135. & annis etiam, quibus ſequentes Patriarchæ genuiſſe produntur, ad Serugum usque, addatur in utrisque ſeculum; credit Noſter, & Græcos Interpretes & Samaritas Criticos judicaſſe, ex Hebraici codicis calculo nimis breve eſſe ſpatium a diluvio ad generis humani per omnes terras diviſionem: neque enim tantillo tempore potuiſſe ſat hominum progenerari ad amplisſimam urbem atque altisſimam turrim condendas. Verum duo ſimul hic animadvertenda eſſe monet, primum, ut rationem allatam producendi hujus intervalli habuerint Samaritæ & Græci; contra Judæis, ejus contrahendi nullam fuiſſe. Nam quæ de differendo Mesſiæ adventu, contractis prioribus temporibus, nuper ſunt a Viris doctis excogitata, ea prorſus

Digitized by Google

inania eſſe, alios oſtendiſſe. Alterum, multitudinem Babelem condentium magnam, & urbem amplam *pro temporibus* fuiſſe: itaque non eſſe animo concipiendam hic tantam multitudinem aut tantam urbem, quantæ nunc *Magna* dicerentur. Adhæc diſperſionem per omnes terras non illico factam eſſe, ſed eo tempore cœpiſſe, ac paullatim per terras humanum genus ſparſum eſſe. Plura hic reperiuntur, quæ Lectori curioſo ſalivam movere poſſunt, ſed quia noſtrum non eſt huc omnia tranſcribere, propriæ cujusvis induſtriæ in ipſius Autoris inſpectione adhibendæ relinquimus,& nunc quoque *manum de tabula* (chronologica) retrahimus.

G. G. L. DE PRIMÆ PHILOSOPHIÆ Emendatione, & de Notione Subſtantiæ.

VIdeo plerosque,qui Mathematicis doctrinis delectantur, a Metaphyſicis abhorrere, quod in illis lucem, in his tenebras animadvertant. Cujus rei potiſſimam cauſam eſſe arbitror, quod notiones generales, & quæ maxime omnibus notæ creduntur, humana negligentia atque inconſtantia cogitandi ambiguæ atque obſcuræ ſunt factæ; & quæ vulgo afferuntur definitiones, ne nominales ſunt quidem, adeo nihil explicant. Nec dubium eſt in cæteras diſciplinas influxiſſe malum, quæ primæ illi atque architectonicæ ſubordinantur. Ita pro definitionibus lucidis natæ nobis ſunt diſtinctiunculæ, pro axiomatibus vere univerſalibus,regulæ topicæ, quæ ſæpe pluribus franguntur inſtantiis, quam juvantur exemplis. Et tamen paſſim homines Metaphyſicas voces neceſſitate quadam adhibent, & ſibi blandientes, intelligere credunt, quæ loqui didicere. Nec vero ſubſtantiæ tantum, ſed & cauſæ, & actionis, & relationis, & ſimilitudinis, & plerorumque aliorum terminorum generalium notiones veras & fœcundas vulgo latere manifeſtum eſt. Unde nemo mirari debet, ſcientiam illam principem, quæ Primæ Philoſophiæ nomine venit, & Ariſtoteli dicta eſt deſiderata ſeu quæſita (ζητȣμένη) adhuc inter quærenda manſiſſe. Equidem Plato paſſim in Dialogis vim notionum veſtigat; idem facit Ariſtoteles in libris qui vulgo Metaphyſici vocantur; multum tamen profeciſſe non apparet. Platonici poſteriores

Digitized by Google

riores ad loquendi portenta ſunt lapſi; Ariſtotelicis, præſertim Scholaſticis, movere magis quæſtiones curæ fuit, quam finire. Noſtris temporibus viri quidam inſignes etiam ad Primam Philoſophiam animum adjecere, non magno tamen hactenus ſucceſſu. Carteſium attuliſſe aliqua egregia negari non poteſt, & recte inprimis Platonis ſtudium revocaſſe abducendi mentem a ſenſibus, & Academicas dubitationes utiliter ſubinde adhibuiſſe; ſed mox inconſtantia quadam vel affirmandi licentia ſcopo excidiſſe, nec certum ab incerto diſtinxiſſe, & proinde ſubſtantiæ corporeæ naturam in extenſione præpoſtere collocaſſe, nec de unione animæ & corporis probas comprehenſiones habuiſſe; quorum cauſa fuit, non intellecta ſubſtantiæ natura in univerſum. Nam ſaltu quodam ad gravisſimas quæſtiones ſolvendas proceſſerat, notionibus ingredientibus non explicatis. Unde quantum abſint a certitudine Meditationes ejus Metaphyſicæ, non aliunde magis apparet, quam ex ſcripto ipſius, in quo, hortatu Merſenni & aliorum, Mathematico eas habitu veſtire voluerat fruſtra. Video & alios viros acumine præſtantes attigiſſe Metaphyſica, & nonnulla profunde cogitaſſe; ſed ita involviſſe tenebris, ut divinare magis appareat, quam demonſtrare. Mihi vero in his magis quam in ipſis Mathematicis, luce & certitudine opus videtur, quia res Mathematicæ ſua examina & comprobationes ſecum ferunt, quæ cauſa eſt potisſima ſucceſſus; ſed in Metaphyſicis hoc commodo caremus. Itaque peculiaris quædam proponendi ratio neceſſaria eſt, & velut filum in Labyrintho, cujus ope non minus quam Euclidea methodo ad calculi inſtar quæſtiones reſolvantur; ſervata nihilominus claritate, quæ nec popularibus ſermonibus quicquam concedat.

Quanti autem iſta ſint momenti, inprimis apparebit ex *notione ſubſtantiæ*, quam ego asſigno, quæ tam fœcunda eſt, ut inde veritates primariæ, etiam circa Deum & mentes, & naturam corporum, eæque partim cognitæ, ſed parum demonſtratæ, partim hactenus ignotæ, ſed maximi per cæteras ſcientias uſus futuræ, conſequantur. Cujus rei ut aliquem guſtum dem, dicam interim, notionem *virium* ſeu virtutis, (quam Germani vocant Krafft / Galli *la force*) cui ego explicandæ peculiarem *Dynamices* ſcientiam deſtinavi, plurimum lucis afferre ad veram *notionem ſubſtantiæ* intelligendam. Differt enim vis activa a potentia nuda vulgo ſcholis cognita, quod potentia

tia activa Scholaſticorum, ſeu facultas, nihil aliud eſt quam propinqua agendi posſibilitas, quæ tamen aliena excitatione, & velut ſtimulo indiget, ut in actum transferatur. Sed vis activa actum quendam ſive ἐντελέχειαν continet, atque inter facultatem agendi actionemque ipſam media eſt, & conatum involvit; atque ita per ſe ipſam in operationem fertur; nec auxiliis indiget, ſed ſola ſublatione impedimenti. Quod exemplis gravis ſuſpenſi funem ſuſtinentem intendentis, aut arcus tenſi, illuſtrari poteſt. Etſi enim gravitas aut vis elaſtica mechanice explicari posſint debeantque ex ætheris motu; ultima tamen ratio motus in materia, eſt vis in creatione impreſſa, quæ in unoquoque corpore ineſt, ſed ipſo conflictu corporum varie in natura limitatur & coërcetur. Et hanc agendi virtutem omni ſubſtantiæ ineſſe ajo, ſemperque aliquam ex ea actionem naſci; adeoque nec ipſam ſubſtantiam corpoream, (non magis quam ſpiritualem) ab agendo ceſſare unquam; quod illi non ſatis percepiſſe videntur, qui eſſentiam ejus in ſola extenſione, vel etiam impenetrabilitate collocaverunt, & corpus omnimode quieſcens concipere ſibi ſunt viſi. Apparebit etiam ex noſtris meditationibus, ſubſtantiam creatam ab alia ſubſtantia creata non ipſam vim agendi, ſed præexiſtentis jam niſus ſui, ſive virtutis agendi, limites tantummodo ac determinationem accipere; ut alia nunc taceam, ad ſolvendum illud problema difficile, de ſubſtantiarum operatione in ſe invicem, profutura.

INVESTIGATIO MOMENTORUM, quibus gravia tendunt deorſum, autore Jo. Franc. Vannio e Soc. Jeſu, &c.

Romæ apud D. A. Herculem, 1693. in 8. Plag. 7.

Autor Clarisſimus librum ſuum Illuſtrisſimo Viro, *Johanni Ciampino* dedicans, inter cætera ejus in rem literariam & publicam merita memorat, quod Ephemerides Literatorum primus Romæ publici juris fecerit; & quod mox Præſulis dignitate ac pluribus muneribus auctus Academiam apud Collegium Urbanum de propaganda fide, in qua de rebus eccleſiaſticis accuratisſime diſſeratur, alteramque in ædibus ſuis, quæ Phyſico-Mathematica nominetur, condiderit. Additque in hac ſuam hanc de momentis philoſophiam audientia facta

facta vitali aura ac ſpiritu frui cœpiſſe. Cæterum quod materiam libri attinet, notum eſt dudum vel ex Actis noſtris, Autorem ſcriptis quibusdam editis impugnaſſe receptam doctrinam de momentis gravium præſertim in planis inclinatis, ingenioſisque in eam inſtantiis uſum. Adverſarios vero nactus eſt aliquot Viros doctos, qui juſtis ſcriptis doctrinam communem defenderunt, atque illuſtrare ac promovere ſunt niſi, quibus hic reſpondetur; nimirum Viris clarisſimis, Profeſſoribus Matheſeos publicis, Vitali Jordano Romæ, Alexandro Marchetto Piſis, & Franciſco Spoleto Patavii. Et Jordano quidem ac Marchetto pasſim, Spoleto vero p. 91. Quin & p. 94. reſpondetur iis, quæ R. P. Adamus Adamandus Kochanskius in noſtris Actis objecerat: pasſim etiam diſputatur contra Galilæum, & ſpeciatim p. 108 contra quædam ejus dicta in libro de inſidentibus humido. Sed & a Stevini p. 105, & Torricellii p. 72. argumentis ſe expedire conatur; quam feliciter, nos nobis judicium non ſumimus. Ex propria etiam Societate (ne Adamandum repetamus) impugnat Zuchium p. 40, Eſchinardum p. 42 & alias, & Caſatum p. 99. Phraſibus ſibi peculiaribus ſubinde utitur, videturque quædam profunde in hoc argumento meditatus, ut optandum ſit ad ſcientiæ pomœria proferenda ingenium ejus porro converti. Pappi propoſitionem 9. libri octavi culpat, eamque, licet a Guidone Ubaldo de Monte in Mechan. prop. 2. de cochlea admiſſam, tamen a P. Nic. Cabeo lib. 4. Philoſ. Magneticæ c. 20. ad abſurdum fuiſſe deductam; quin & aſſumtum Pappi a Galilæo reprehendi in lib. de Scientia Mechanica monet. Cæterum proportionem momentorum, quæ gravia exercent in planis inclinatis, cum Cardano metitur angulis planorum ad horizontem, non vero angulorum ſinubus cum Tartalea, cui jam præiverat Jordanus ſuo ævo celebris Mathematicus, Stevinusque ac Galilæus & plerique omnes ſunt ſecuti. Argumentum in his Actis oppoſitum, (quo etiam Torricellius jam uſus hic refertur) quod gravia tunc cenſenda ſint eſſe in æquilibrio, cum commune eorum centrum gravitatis deſcendere non poteſt, eo effugere ſatagit Vannius, quod duo gravia, filo connexa & in duobus diverſis planis deſcendere conantia, communi gravitatis centro (ut ipſe arbitratur) careant.

P GUI-

Digitized by Google

GUILIELMI GROTII ISAGOGE AD Praxin Fori Batavici, illuſtrata Paraphraſi ac Supplemento, auctore ABRAHAMO DE PAPE, JCto.

Lugd. Batav. apud Corn. Boutefteyn, 1694. in 4.
Conſtat alphab. 2. plag. 2.

DUæ Jurisprudentiæ judicialis ſunt partes, una quæ interpretari leges docet, altera qua easdem ad facta obvenientia applicare diſcimus. Quemadmodum vero leges civiles pro varietate rerumpublicarum & provinciarum maxime variant, ita applicatio earum non eſt eadem, ſed quilibet fere populus peculiarem hic procedendi rationem ſequitur. Hinc non defuerunt JCti magni nominis, qui hanc Jurisprudentiæ partem præcipue ſibi excolendam ſumſerunt, & quænam fori praxis obtineat in provincia, in qua degebant, ſcriptis tradiderunt, inter quos Guilielmus Grotius haud poſtremo loco nominandus eſt. Quod enim Germanis Carpzovius, Italis Maranta, Gallis Imbertus, Brabandis Chriſtinæus, id Batavis præſtitit Guilielmus Grotius, vel ex Enchiridio, quo principia Juris naturalis conſignavit, ſatis clarus, & cui ſingularis ille contigit honor, quod magnum illud eruditorum ſidus, Hugonem Grotium, fratrem ciere potuerit. Tametſi vero hicce Grotii fœtus ante non paucos annos lucem viderit, adeoque curatius, quid in ſinu foveat, exponere noſtri ratio inſtituti prohibeat; cum tamen novo jam indutus habitu prodeat, eruditorum eundem conſpectui ſubducere noluimus. Scilicet cum, docente Præfatione, vir clariſſ. Abrahamus de Pape aliorum hac de re ſcripta ad cujusque tantum loci mores accommodata, ac ſibi concivibusque parum utilia, plurima vero a Grotio vel prætermiſſa, vel levi ſaltem brachio tractata animadvertiſſet, conſilium cepit, operi huic admovere manum, & non tantum quæ deerant, addere, ſed & nondum expoſita ex ipſis Juris civilis fontibus explicare, inſimulque ea, quæ & olim & hodie in uſu, addere operæ pretium duxit. Omnia vero ſolidis & perſpicuis confirmare rationibus, ſe laboraſſe dicit, cum illud, Αυτὸς ἔφα, in religione, non autem in artibus & ſcientiis locum habeat. Et cum multa juris capita abſque antiquitatis ſubſidio rite intelligi haud queant, illa

illa quoque ex hiſtoria Romana illuſtravit, in gratiam antiquitatis Romanæ ſtudioſorum, non, ut ait, pragmaticorum & forenſium rabularum, quibus humaniores literæ frivolæ videantur, quique omnem ſcientiam in clamore & multarum legum non intellectarum interpretumque allegatione putent eſſe poſitam. Hæc ſunt, quæ Auctor circa hanc Grotii praxin ſe præſtitiſſe profitetur, quibus etiam merito acquieſcimus, & in ſpecialiora deſcendere ſuperſedemus.

BENNO EPISCOPUS OLIM MISEnenſis Redivivus, ſeu Vita Bennonis, ex probatæ fidei monumentis & codicibus MSCtis eruta, autore M. Martino Heidenreich, Leiſnic. P. L. C. & Eccleſ. Thalheim. Paſtore.

Dresdæ & Lipſiæ, impenſis Chriſtoph. Hekelii. A. 1694. in 8. plag. 13.

INter Hiſtoricos, qui ſeculo poſt Chriſtum natum undecimo floruerunt, non ignotum adeo nomen eſt *Bennonis*, Eccleſiæ Romanæ Archi-Presbyteri & Cardinalis, qui vitam ac res geſtas Hildebrandi ſeu Gregorii VII Papæ duobus libris conſignatas reliquit, quos non ſeorſim modò anno 1581 Francofurti ad Viadrum, ſed apud Orthuinum quoque Gratium in Rerum expetendarum Faſciculo, itemque apud Illyricum in Catalogo teſtium veritatis, ac inter varia opuſcula Anti-Gregoriana a Melchiore Goldaſto collecta, editos habemus. Ejusdem cum hoc nominis ætatisque ac nationis, (ambo enim e Germania originem traxerunt,) ſed ingenii longe diſparis fuiſſe conſtat Miſenenſem hunc Epiſcopum, quem in præſenti tractatu doctisſimus Autor velut redivivum exhibet. Ut enim ille erga Hildebrandum ſeu Gregorium VII Pontificem ſe gesſit infenſisſimum; ita hic e contra in odium Henrici IV Imperatoris Papalem auctoritatem acriter tueri eſt annifus. De cætero, quantum ad noſtrum hunc attinet, notari merentur diverſa hominum & contraria de eo judicia. A Romano-Catholicis enim inter Sanctos colitur, in quorum numerum ab Adriano VI Pontifice ſolenni canonizatione A. 1523 fuit relatus. Ab aliis autem pro portento potius ſeculi ſui, quam ornamento ſacri quo fungebatur muneris fuit habitus; ut beatus etiam Lutherus no-

ſter, cum canonizationem ab Adriano VI decretam cognoviſſet, non dubitaverit invectivam adverſus eum, velut *novum idolum & veterem Dæmonem Miſnenſem*, Germanico idiomate publicare. Neque adeo mirandum, quod, quem a ſanctimonia inſigniter quondam commendavit Hieronymus Emſerus, Autor noſter magicarum artium inſimulet. Et Emſerus quidem integrum vitæ ab ipſo tranſactæ curſum exigui libelli jam A. 1512. apud nos expreſſi, & Georgio Duci Saxoniæ nuncupati, ſpatiis incluſit: in quo, licet alia quoque non tam Miſnenſibus quam Germanis omnibus decora & immortalem paritura gloriam contineri dicat titulus, ipſa tamen lectio edocet, quod præter varias de ipſius ſanctitate & miraculis traditiones non multum ſolidi ibidem reperiatur. Autor vero noſter in repetita hac Epiſcopi hujus delineatione, fraudes ejus pro ſtatu illorū temporum apud rudem plebeculam ſucceſſu non deſtitutas detexiſſe ſibi viſus eſt, a prima Bennonis nativitate, quæ in A. 1010. incidit, exorſus, narrationisq; filum usque ad illius obitum, qui ad A. 1106. refertur, protrahens. Uti vero Noſter res ab ipſo, dum viveret, peractas ſtudioſe enarrat, & quæ vulgo ipſi adſcribuntur miracula, veluti quod ſicco pede Albim tranſierit, quod ranis ſilentium impoſuerit, quod aquam in vinum commutaverit &c. vel ficta eſſe vel ludicra demonſtrare nititur: ita imprimis, quibus gradibus inter Sanctos relatus fuerit, prolixe deſcribit. Mantiſſæ loco miraculorum, quæ ipſo jam defuncto non ad ejus modo tumulum Miſenæ, ſed etiam ad exuvias Monachium tandem deportatas patrata perhibentur, amplum ſatis ſyllabum adjungit; ſuæ interim narrationi quasdam hinc inde notulas ſubnectens, in quibus ad ea, quæ utcunque inſtitutum præcipuum attingere videbantur, excurrit.

LUDOVICI VVOLSOGENII APOLOGIA Parentalis, auctore Petro Yſarnio, Amſtelodamenſis Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Paſtore.

Amſtelodami, apud Abrahamum Wolfgang. A. 1693. in 8. plag. 4.

PRodierunt jam anno 1692 Amſtelodami tres epiſtolæ idiomate Gallico conſcriptæ, Ludovici Wolzogenii, Eccleſiæ Gallo-Belgicæ

cæ apud Amſtelodamenſes Paſtoris, & illuſtris ibidem ſcholæ Profeſſoris, vitam pariter ac mortem, motas item ſuper ipſius libro de *Interprete Scripturarum* controverſias fuſe ſatis exhibentes, plurium Theologorum Eccleſiæ Reformatæ literis, quæ ad orthodoxiam Wolzogenii comprobandam faciunt, ſimul inſperſis. Earum tunc auctorem editoremque fuiſſe ipſum hunc Yſarnium, haud obſcure ex Apologia præſenti cognoſcimus, quandoquidem heic non ſolum ad ea, quæ ibi abs ſe ſcripta ſint, provocavit aliquoties, ſed etiam reſpondit Melchiori Leidekkero, qui in Præfatione aphoriſmis Theologicis Ludovici de Dieu præfixa nonnihil in contrarium obverterat. Magis tamen in ſeipſo defendendo Noſter occupatus eſt, cum a Leidekkero ſuum imprimis peti jugulum, ſibique imputari vidiſſet, ac ſi monſtri aliquid in eo aleret, quod efficaciam Baptiſmi infantibus conferendi usque ad ætatem cognitionis ſuſpenderit. Ut itaque iſthanc incuſationem a ſe removeat, & quo ſenſu hoc affirmarit, clare demonſtret, ſuam de Baptiſmi efficacia doctrinam uberius exponit, utpote quæ ſummatim eo tendat: infantes fœderatos, electos habitos, baptizari in ſignificationem regenerationis jam collatæ in ſemine, & in obſignationem univerſæ ſanctificationis, quando per ætatem licuerit illis eam conſequi. Quod ipſum cum haud ita pridem etiam Witſius in Diſſertatione peculiari (a nobis proximo menſe p. 90. commemorata,) adverſus Jurium ſtatuminare laboraverit, idcirco ad ejus autoritatem ſæpe provocat, nihil fere agens aliud, quam ut ipſius mentem pariter ac verba recitet, ſeque cum ipſo per omnia facere teſtetur. Quemadmodum ergo nos ad ea, quæ Wolzogenium concernunt, parum nunc reſpicimus, ita Lectori haud ingratam fore opinamur hanc Reformati Galli mentionem, qui ſuum cum doctrina a Witſio noviſſime explicata conſenſum hoc pacto declarare voluit.

CALENDRIER HISTORIQUE, AVEC un Traité hiſtorique de la Sphere, par J. DE BRISBAR M. D. S. E.

h. e.

Calendarium hiſtoricum, nec non Tractatus hiſtoricus de Sphæra.

Lugd. Batav. apud Freder. Haaring. 1694. in 8. plag. 26.

RUdimenta Chronologica conſcripturus Auctor noſter, operæ facturus pretium ſibi viſus eſt, ſi quid per horas, dies, hebdomades, menſes, annos, cyclos, æras & epochas intelligatur, explicans, non ſolum ſollicite vocum illarum etyma indagaret, ſed ad detergendum tædium, quod lectoribus oriri poſſet, totam operam diſtingueret obſervationibus hiſtoricis, ex Græcis Latiniſque auctoribus maximam partem decerptis, & in Gallicum converſis idioma; ob eamque cauſam titulum Calendarii hiſtorici libro indidit. Ita v. g. de die agens, Latinorum, Græcorum & Hebræorum nominum, quibus deſignatur, etymologias adfert, notatque in Scriptura S. notitiam ſalutarem diei nomine denotari, nec non diem quandoque lucem vocari, cujus vocis varias adducit ſignificationes. Quærit etiam, cur a lucis productione inchoarit Deus creationis opus, & Chriſtus luci comparetur. Hinc recenſet luminis inuſitati adparitionem, quæ contigit Hieroſolymis, paulo ante quam Judæa exardeſceret bello, quod ultimum ipſi exitium attulit; nec non Conſtantinopoli, pridie quam a Mohammede ſecundo caperetur: & ex Thevenotio refert, Indos quosdam Deum colere, Ram dictum, quem vulgus ex luce prognatum fabuletur. Tandem addit, emblema diei fuiſſe olim gallum gallinaceum, Apollinis pugno inſiſtentem.

Eandem viam rationemque ſecutus eſt in libello altero, in quo non ſolum terminos, qui in doctrina ſphærica occurrunt, explicat, ſed adpendicis loco Copernicanum pariter ac Tychonicum ſyſtema exponit, prolatisque argumentis, quibus utrumque vel oppugnari vel defendi ſolet, liberum cuivis relinquit judicium. Nam ubi de umbra agit, affert primum præcipua loca Scripturæ S. in quibus umbræ fit mentio, phraſesque nonnullas huc ſpectantes ex interpretibus illuſtrat: deinde agit de Leonida cum Perſis conflicturo, qui dicenti cuidam, præ jaculis Barbarorum nec Solem viſum iri, in umbra, reſpondit, pugnabimus; de fabuloſa lite, de umbra aſini; de ſciopodibus umbram ſibi ſuis facientibus pedibus; de lapide ſynochitide, quo umbræ ab inferis evocantur; de umbra hyænæ, quæ facit ut canes obmuteſcant; de Bucephalo ab umbra ſua efferato; de umbris conviviorum; de menſura umbræ columnæ Pompeji, quæ Alexandriæ adhuc

Digitized by Google

huc durat; de umbra navium Caligulæ vineis arboribusque inſtructarum; de umbra, quam Hiſpanæ mulieres capitis quodam ornamento ſibi olim procurabant; denique de umbra manuum & icuncularum (marionettes) quam in Turcia geſticulatores Judæi in alba tela expanſa ſpectandam exhibent.

JOHANNIS GUILIELMI BAIERI, SS. Theol. D. & PP. Collatio Doctrinæ Quakerorum & Proteſtantium, una cum Harmonia Errorum Quakerorum & Heterodoxorum aliorum, atque Obſervationibus neceſſariis, in materiam Lectionum & Diſputationum Academicarum conſignata.

Jenæ apud Tobiam Oehrling, 1694. in 4.
Alphab. 1. plag. 16.

INter eos, qui adverſus Enthuſiaſtas recentiores, quos Quakeros appellant, calamum ſtrinxerunt, celebre nomen gerit gravisſimus Jenenſium Theologus, *Joh. Guilielmus Baierus*, qui ante plures jam annos Synopſin & Examen Theologiæ Enthuſiaſtarum recentiorum, quos Quakeros vocant, publicis Diſſertationibus ſiſtere cœpit. In quibus non ſolum quæ ad ſtatum controverſiæ pertinent, accuratiſſime evolvit, ſed palmaria etiam ipſorum argumenta ea ſoliditate ac moderatione examinavit, ut ab adverſario etiam *G. Keitho* ſingularem laudem hoc nomine ſit conſecutus. Etſi vero Diſſertationum harum non niſi quinque, & quæ ultra doctrinam de Principio Theologiæ & Scriptura S. haud porriguntur, videre hactenus licuerit, bene tamen eſt, quod operam iſtam interruptam potius, quam abruptam audiamus; & interea placuerit Auctori hanc *Collationem* nobis dare accuratam, & eleganti methodo maxime conſpicuam. Videre quippe hic licet ſententiam utriusque partis non ſolum ſuccincta theſi atque antitheſi comprehenſam, & in parallelo ſibi oppoſitam, verum etiam ipſismet utriusque confesſionis Scriptorum verbis concinne explicatam atque illuſtratam. Subjungitur his porro ad ſingulas fere theſes Harmonia Quakerorum & Heterodoxorum aliorum, in qua corruptorum dogmatum fontes inveſtigantur, & quomodo in iſtis vel

vel cum hæreticis primorum ſeculorum, vel cum aliis fanaticis conſpirent, aut affines ipſis ſint, erudite oſtenditur. Scilicet, ſicut ſolenne eſt huic ſectæ, ut vana perſuaſione de reſplendeſcente in ſuo cœtu cœleſti veritate, quæ a Chriſti temporibus usque ad ipſorum tempora ſpiſſis tenebris involuta quaſi jacuerit, ſibi blandiantur; ita procul dubio Harmonia hac doctiſſimus Auctor vanam iſtam jactantiam caſtigare voluit. Quandoquidem ita facile apparebit, quicquid veri habent iſti homines, id ipſis cum Evangelicis commune eſſe, & quicquid peculiare præter iſta ſibi vindicant, illud minime Deo aut jactato lumini divino, ſed hæreticis ac fanaticis principiis deberi. Denique vero, cum in brevibus theſibus non adeo aperte cuivis ſemper appareat, quis ſit genuinus controverſiæ ſtatus, aut theſeos quandoque vel antitheſeos ratio, placuit Auctori & hac in parte diſcentibus conſulere Obſervationibus, quæ itidem ad ſingulas fere theſes Harmoniam memoratam excipiunt: in quibus pro re nata, aut noſtratium aut adverſariorum mentem circa ζήτημα explicat, quid in quæſtione ſit indicat, & omni ambiguitati dextre occurrit.

Addimus quædam de Programmate, quo Diſputationes ad hanc Collationem inſtituendæ indicuntur. In hoc Auctor methodo medica tum Enthuſiaſtici morbi originem ſeu cauſas, ejusque incrementa inveſtigat, tum etiam quæ remedia contra ipſum ſuppetant, in medium conſulit. Originem ſeu cauſam morbi præcipuam eſſe judicat φιλαυτίαν & δοκησισοφίαν poſt lapſum humano generi connatam, qua ab externo verbo abducti ſpiritualitates proprias homines ſectari amant. Hanc autem admodum fovere & incrementum ei addere inanem credulitatem, qua homines ſcintillam iſtam luminis, poſt lapſum in ſe reſiduam, ſæpius pro divino afflatu amplectantur. Sic Enthuſiaſmum ſanctum piumque judicari, atque aliis etiam perſuaderi facile, quod commendet ſeſe externa honeſtate veræ etiam ſanctitatis æmula, Scripturarum æſtimio, evitatis rixoſis in religionis negotio diſputationibus, immunitate a ceremoniis eccleſiaſticis, credendi libertate, & ſimilibus.

Remedia autem contra hunc morbum ſuppeditaturus Auctor celeberrimus, Gamalielis illud Act. V. 38. 39. non temere in imitationem trahendum: armata vero manu opprimere patronos errorum atque aſſeclas, quietos tamen & conſcientiam prætexentes, neque rectius infor-

Digitized by Google

informatos aut convictos, alienum eſſe a praxi Chriſti & Apoſtolorum, peculiaribus a ſe Diſſertationibus oſtenſum monet. Diſputationes adverſus hodiernos Enthuſiaſtas ſubterfugiendas non eſſe cenſet, poſtquam inter eos viri etiam literarum minime rudes, ſed doctrinæ apparatu non contemnendo inſtructi, velut *Robertus Barclajus, Wilhelmus Penn, Georgius Keithus*, ſurrexere. Cavenda vero domeſtica & offendiculi plena diſſidia ſic eſſe ait, ut polemicæ tamen theologiæ cultura & exercitium modeſtum minime abjiciatur. Muniendos eſſe animos noſtrorum, & monendos τὰς ἐξ ἐναντίας, ne aliam ſibi victoriam de mundo polliceantur, quam per fidem in Jeſum Chriſtum, ex qua ſola contemtus vanitatum hujus ſeculi Chriſtianis proprius proficiſcatur. In adiaphoris juſtum obſervandum eſſe moderamen, nec monitores ullos ſpernendos plane, ſi quid a nobis contra Chriſtianos mores admiſſum fuerit. Scripturam S. pro adæquato atque unico principio omnis Theologiæ devote æſtimandam. In incremento Enthuſiaſmi juſta Dei judicia verenda eſſe. In affectata adverſariorum immunitate a ceremoniis, horrori nobis eſſe debere, quod Sacramenta etiam a Chriſto ipſo inſtituta vilipendant, quorum efficaciam ſpiritualem multo certius, quam illi luminis ſui interni & immediati virtutem experiamur. De diſciplina eccleſiaſtica reſtituenda communicatis conſiliis cogitandum. Libertatem credendi ad verbum Scripturæ reſtringendam, ac de cætero recordari nos debere, Eccleſiam eſſe in Republica; Miniſterium ſacrum ad certum hominum ordinem in eccleſia conſtituta delatum; perſonarum nævos & vitia muneri non derogare; omnia denique κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην fieri debere.

DE VITA ET MORIBUS EPICURI,
AUCTORE JACOBO RONDELLO.

Amſtelodami, apud Henricum Desbordes, A. 1693. in 12.
Conſtat plag. 6.

Libelli præſentis mentio in Actis hiſce noſtris duabus jam vicibus injecta eſt, ſemel quidem A. 1686. p. 385, ubi ex Autoris ipſiusmet promiſſo alteram & auctiorem illius editionem intimavimus; & deinceps iterum p. 483. ejusdem anni, quo ipſo ea Hagæ Comitum

Q impreſſa

Digitized by Google

impreſſa fuerat. Nuſpiam tamen contenta illius ſtrictim nos perſecutos fuiſſe recordamur, adeoque poſt repetitam denuo Latinitatique donatam editionem hanc, non dividiæ futurum arbitrati ſumus, ſi, quæ hactenus omiſſa fuere, hoc in loco reſarciremus.

Quemadmodum vero a clariſſimo Rondello breviter exhiberi ſingula, quæ prolixius apud Laërtium, Gaſſendum, & alios, de Epicuro extent, jam olim diximus; ita nunc rurſum non ad vitæ ſolum & morum Epicuri deſcriptionem, ſed dogmatum quoque e ſchola ipſius prognatorum examen flectendi erunt oculi. Ad priora illa quod attinet, annum Olympiados 109. tertium ipſi natalem conſtituit, patriumque ſolum facit Gargettum, Atticæ oppidum, educationis vero palæſtram Athenas, quorſum parentes, ſeu pertæſi vitam ruſticam, ſeu pauperiem pati minus dociles, commigraverint. Religioni ipſum a primis incunabulis aſſuefactum, ejusque per omnem vitam obſervantiſſimum fuiſſe, ex ſacrificiis & votis, quæ Numinibus perſæpe obtulerit, cultu item Deorum reliquo nunquam ab eodem poſthaberi ſolito, paſſim demonſtrare nititur. Amicitias eum frequenter ac conſtanter cum aliis coluiſſe monet, & quo ſenſu apud Laërtium dixiſſe perhibeatur, φίλον τε ὐδένα κτήσεσθαι, inquirit, loco ultimi hujus vocabuli legendum ἀχθήσεσθαι arbitratus, ut adeo neminem amicum gravare potius voluerit, quam eorum curam penitus abjicere; quandoquidem & hanc ſatis declararit, cum, exorta aliquando fame graviſſima, eorundem copioſum ſatis numerum fabarum indies ſuppeditatarum certo modio ſuſtentaverit; id vero alias ſemper agens ſolicite, ut nec a futuri ſpe penderet, aut in egeſtatem ſe penitus detruderet. E ſuis autem reculis cum amicos pro facultate ſua nunquam non relevarit, neminem horum fuiſſe dicit, qui non imaginem illius in tabulis, in poculis, in annulis habuerit, quique ad verbum ejus ſententias non edidiciſſet; prout & illi amorem Epicuri ad poſteros ita propagarint, ut annis 350. poſt ejus obitum, ſectatores ipſius adhucdum ei ſacrificaverint. Bonum inſuper civem & in aliis ſe exhibuiſſe eum hinc patere docet, quod patriam relinquere, variis licet calamitatibus oppreſſam, noluerit; quod æquo animo contumelias Demetrii Phaleræi, atrocitates Lacharis, & arrogantiam regis Demetrii pertulerit: erga iracundos nempe magiſtratus patiens ac docilis erga bonos gratus & obſequioſus. Dum polenta & aqua vitam

tam utplurimum ſuſtentaverit, exinde cognoſci frugalitatem ejus annotat. Caſtum eum fuiſſe, non ex Chryſippi ſolum, inimici licet ac invidi, teſtimonio, ſed etiam ex ejus de amoris vanitate loquelis ſapientisſime conceptis, ac univerſa vivendi ratione probat. Et quamvis nemo fere non e veteribus impudicitiæ dicam Epicuro impegerit, non aliunde tamen id enatum eſſe cenſet, quam quod ex more illorum temporum, fœminæ lectionibus ipſius interfuerint, Leontium imprimis, quæ item poſtea Metrodoro, Epicuri diſcipulo & convictori, in concubinam data fuerit; cum tamen & prius illud impune tum ſpectatum noverimus, & poſterius exin non parum defendi poſſit, quod, rem omnem fuſius exequente Athenæo, vix ullus etiam philoſophorum aliorum celebretur, cujus non memorari concubinam aliquam legamus. Nec umbraticum modo doctorem, ſed civem inſuper ejusmodi fuiſſe dicit, qui, ſi in forum aliquando veniſſet, non ſe ideo in alium terrarum orbem delatum putaverit, quinimo & togatos pariter ac bellatores ſtrenuos ex aſſeclarum ſuorum numero in Reipublicæ commodū produxerit. Vivendi deniq; finem anno ſecundo Olympiados 127. feciſſe Epicurum affirmat, debilitatum antea ex urinæ retentione, acutisſimisque calculi doloribus, quos nequaquam per ſtolidum medicinæ contemtum lethales effecerit, quandoquidem hujusce artis ambages, iſto ſeculo admodum frequentatæ, mœſtitiam in ejus animo, non odium, excitaverint. Ipſum de cætero morti vicinum multa legaſſe amicis eorumque liberis, ac manumiſiſſe cunctos ſervos, poſt quæ, cum nihil in terris ſupereſſe videret, quod ageret, oculos decenti cum geſtu clauſerit, immoto penitus animo ſupremam horam præſtolatus.

Atque hæc & alia iſtius generis per univerſum hoc opuſculum varie diſperſa ſunt, at majorem ejus partem doctrinarum, quas propugnarit Epicurus, conſideratio adimplet, Autorque in eo totus eſt, ut oſtendat, plurimas earum, tametſi laudem minime promereantur per omnia, cenſura tamen mitiori tractandas, & ipſi multo æquius, ac cæteris e numero gentilium Philoſophorum ſuas, condonandas videri. Uſum eum fuiſſe dicit præceptoribus, Pamphilo primum, Platonico, & Nauſiphane, Pythagorico; verum adhæſiſſe magis ſcriptis Anaxagoræ, Democriti, & Archelai, quondam Socratis magiſtri, & miros adeo in ſtudiis feciſſe progreſſus, ut meminiſſe potius quam di-

Digitized by Google

ſcere putaretur, auctusque fuerit ſuperbo αὐτοδιδάκτου cognomento. Licet autem ab initio Democriteum ſe profiteretur, tandem tamen inſtituiſſe eum ſectam peculiarem & a Democrito non parum diverſam, cujus discrepantiæ non rationes modo, ſed indolem etiam, curatius examinat. Methodus autem philoſophandi ab ipſo uſurpata, & intra modeſtiæ amœnitatisque (cum nonniſi in horto doceret,) limites concluſa, cum plures ad ipſum aſſeclas attraheret, atque ideo valde diſpliceret reliquis philoſophis, præſertim Stoicis, qui ſe in ſcholis fere ſolos relictos viderint, Diotimum ante omnia rogatum fuiſſe, ut contra Epicurū ſcriberet; unde illico quinquaginta laſcivæ epiſtolæ proruperint, innocuusque Epicurus, tanquam nequitiarum arbiter, voluptatis præceptor, ignaviæ protector, & impietatis magiſter traductus, & ludibrio quamplurium expoſitus fuerit. Eum vero, ut vana falſaque oſtenderet hæc omnia, opera ſua edidiſſe in lucem, inter quæ primum Hegeſianax, ſeu de ſanctitate, & Charidemus, ſeu de natura Deorum liber, prodierit, quorum licet σωζόμενα tantum in ruderibus antiquitatis extent, poſſe tamen exin ſatis colligi, quod Epicurus & Deum eſſe aſſeruerit, & providentiam penitus in dubium haud vocaverit. Ac licet ex communi religionis Ethnicæ malo figmentis quibusdam januam polluerit, non defuiſſe tamen in receſſu ædificii præclara quædam adyta, dum v. g. eam ex animis hominum ſententiam extirpare niſus ſit, quod omnia ignoſcantur a Diis, modo thus quacunque ratione adoleatur: ipſum contra docuiſſe, ad hoc, ut rite litetur, pectus honeſtate imbutum maxime requiri: dum item ſimplicitate æterna gaudere Numen dixerit, quod nec alterari posſit, nec corrumpi, verum ex dignitate cuncta perficiat, puniat vel remuneretur, prout homines ipſi ſint ſeu ſimiles, ſeu ab eo discrepantes, hoc eſt, ſeu probi, ſeu maligni, &c. Statuiſſe quidem Epicurum, Deos non curare tempeſtatum ſerenitatisque vices, generationes meteororum & corruptiones, aliaque Phyſices innumera, quippe qui mundo ſatis virium ac roboris ad ſemet ſuſtentandum ineſſe crediderit. Non deberi tamen eum ideo tantopere vituperari, cum & inter ipſos Chriſtianos effati hujus propugnatores nonnullos invenias, e quibus heic præcipue Theologum quendam non poſtremi nominis, nec pœnitendæ eruditionis nominat, qui Deum ſua duntaxat uti providentia in rebus moralibus ac theologicis, mundumque adeo

concinne

Digitized by Google

concinne formatum eſſe docuerit, ut ex ſemetipſo tenorem ſuum ſervet. Quinimo exhibitam Diis ab Epicuro reverentiam non permittere, ut de ipſius pietate dubitemus: quemadmodum id etiam generatim obſervare liceat, Stoicos operibus negaſſe, quod dictis ſtatuebant de providentia; Epicureos viciſſim confirmaſſe operibus, quod dogmatis negare credebantur. Invocatos ab his Deos fuiſſe, quod eosdem habuerint pro animabus immortalibus, ac tantum non homines referentibus, quod eos ſuas habere intra mœnia mundi περιπορέυσεις ſibi perſuaſerint; neminem fore in ſolitudine felicem, ac proinde bonum communicari, & iſto pacto creſcere debere, ſtatuentes. Naturam a nonnullis Epicureorum vocitatam fuiſſe fortunam, in qua certe opinione Plato ipſe ac Ariſtoteles verſati deprehendantur. Tametſi Epicurus fortunam negaverit eſſe Deam, non tamen niſi iſtam plebejam & vulgivagam eum ſuſtuliſſe, utpote cui cum Mente ſumma, quæ omnia ſuo arbitrio conſtituit, quæ naturam condidit, quæ rebus cauſas dedit, easque perpetuo abditiſſima ratione propagat, non convenire, quilibet cordatiorum intelligat. Per doctrinam ipſius de voluptate, quam in eo quæſierit, ut quis nec corpore doleat, nec animo perturbetur, ſocordiam aliquam aut iners otium introduci negat, ſed placidam quietamque in mente conſtantiam, quam Democritus εὐθυμίαν καὶ εὐεστὼ nuncupaverit. Videlicet noluiſſe Epicurum, vitam ſapientis eſſe quaſi torrentem rapidumve flumen; at nec idcirco aquæ reſtagnanti & mortuæ, ſed fluvio tacite labenti eam aſſimilaſſe. Iſtud tandem præceptum: λάθε βιώσας, occultus vive; non Epicuri eſſe, ſed Neoclis, ipſius fratris, aut potius Pythagoreorum, qui vitam ingloriam & obſcuram imprimis deperierint. Equidem dixiſſe Epicurum, neminem ſapientem acceſſurum ad Rempublicam, nec geſturum Principatum. Sed hæc intelligi de Sapiente, cujus vivere is fecerit cogitare. Iis vero, qui ſuapte natura ambitioſi gloriæque appetentes ſint, non eſſe quieſcendum, e propria ipſiusmet ſententia abunde poſſe colligi. Quæ ſingula ad hunc modum ſe habere poſteaquam Autor docuit, nihil amœnius Epicuri ſcriptis, nihil ingenioſius, nihil elegantius reperiri exiſtimat, ſuamque hanc ſententiam ipſo Senecæ, Quintiliani, Virgilii, teſtimonio comprobat, additque, occurrere in ejus ſcriptis nonnulla, quæ hominem plane inſpiratum arguant ac Numine plenum, qui & Chriſto ſubparia hæc pronunciaverit:

rit: dare beneficium jucundius eſſe, quam accipere; cum ad craſtinum ſuaviſſime acceſſurum, qui minimum egens appetensque craſtini ſit. Unde merito illius dogmata non mediocri cum ardore explanata fuerint, & ex quo eadem Gaſſendus ornarit atque illuſtrarit, florem conſtantiſſimum ſibi polliceri valeant.

ABBATIARUM ITALIÆ BREVIS NOTITIA, autore R. P. Auguſtino Lubin, Ordin. Eremitar. S. Auguſtini Aſſiſtente Generali & Galliarum Regis Geographo Ordinario.

Romæ, typis Jo. Jac. Komarek Boëmi, 1693. in 4.
Conſtat Alphab. 2. plag. 11.

Abbatiarum jam olim iſte fuit per Italiam imprimis numerus, ut aliquando, anno nempe 1494. in exequiis Ferdinandi Regis Neapolitani, Abbates circiter mille comparuerint. Quod ipſum uti ab Autore noſtro in ſua ad opus hoc præfatione memoratur, ita procul dubio anſam ſuppeditavit præſenti ejus ſcripto, in quo Catalogum earum ſtudioſiſſime abs ſe confectum exhibet. Poſtquam enim ab Eminentiſſimo Cardinali Colloredo (cui conſecravit iſtas paginas,) fuiſſet excitatus, ut, quæ vel propter locorum obſcuritatem, vel propter ſitus ignorantiam cum oblivione hominum prope luctarentur, Abbatias cum cæteris ſat cognitis paulo annotaret diligentius, ſubſidiis ad hoc propoſitum perficiendum neceſſariis ab eodem inſtructus; laborem a muneris ſui ratione haud alienum aggreſſus eſt, & non earum modo, quæ olim extitere, ſed reliquarum etiam, quæ adhucdum florent, Abbatiarum ſitus, titulos, fundationes, ordines, diœceſes, mutationes, & alia iſtuc pertinentia recenſuit, allegatis ubique autoribus, qui ſingula ſubminiſtrarint, quorum indicem operi etiam ipſi præfixerat. Abbatum inſuper, qui uni atque alteri ex his præfuerint, interdum quidem meminit, ſed parce admodum, & nihil fere præter eorundem nomina ex iſthoc genere adducit. Minus tamen urbium agrorumque per hanc occaſionem nominatorum, & præcipue obſcuriorum alias, deſcriptionem inſtituto ſuo accommodam deſiderari paſſus eſt. Cumque Abbatias has ſecundum alphabeti ordinem diſpoſuerit, vel ipſarummet proprias vel ſedium nativarum commu-

Digitized by Google

communes appellationes inſecutus, inde vicem alicujus Lexici hic liber ſuſtinebit, quod Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cultoribus in negotio non uno ſubſervire poterit.

PIETAS EX NUMMIS ANTIQUIS delineata a JOH. WEIDNERO, Auguſtano.

Jenæ, apud Joh. Bielkium, 1694. in 4. plag. 15.

HOc cumprimis ſæculo extiterunt viri clariſſimi, qui, cum alias feliciter excolerent literas, jucundiſſimam quoque earum partem, quæ circa nummos antiquos eorundemque explicationem occupatur, ſunt aggreſſi. Nosque ipſi inter Acta hæc collegimus plures. Eſt tamen poſt illos nunc nominandus etiam *Joh. Weidnerus*, qui hos ſibi præ aliis nummos, qui *pietatem* exprimunt, & a variis jamdudum, & a ſemetipſo, tum in muſeis Jenenſibus Boſio-Sagittariano & Wedeliano, tum & Auguſtæ Vindelicorum in Thomaniano, viſos illuſtratosque ſelegit. Ita vero ex numiſmatis ſiſtitur (1) Pietas, uti p. 5.
Dea repræſentata. (2) Pietas ſive *affectus* ſeu *religio hominum erga* p. 8.
Deum; quam præ aliis ſpectandam exhibet in nummo Hadriani Imperatoris argenteo, ex muſeo Boſiano, in quo ille apparet barbatus, qualem raro dari ſtatuit; dicitque iſtam pietatem erga Deum patere tum ex vaſis pontificalibus, tum ex augurum notis, tum ex ara aut p. 20. 24. 32.
Mercurii ſigno. (3) Pietas *erga homines*, ſed *mortuos* ſive *divos;* e- 34.
amque pietatem ait oſtenſam eſſe ratione non una, plerumque tamen 37.
effigie pateram tenente; templo; ara, ſuper quam ignis ardens, aut fulmen repoſitum; ſuggeſtu, in quo imago cerea mortui conſecrandi; aquila, eaque vel ſola, vel fulmen aut globum tenente, aut aræ inſidente &c. (4) Pietas *civium erga patriam*. (5) Pietas *inferiorum* p. 39. 51.
erga ſuperiores. (6) Pietas *liberorum erga parentes:* ubi Autor ne- 56.
gotium ſibi faceſſit in nummo, qui plumbeus extat in Boſiano, argenteus autem in Wedeliano muſeo, referente parte antica caput Æneæ cum inſcriptione: AINEIOΣ; poſtica vero ipſum Æneam, uti Troja Anchiſen patrem, qui dextra vaſculum aliquod tenet, cervicibus ipſius incubantem, exportat, præeunte filio Iulo, cum ſubſcriptione: ΕΥΣΕΒΕΙΑ. (7) Pietas *parentum erga liberos*. (8) Pietas ſive 73. 79.
affectus æqualium invicem. Tandem & de iis beneficio nummorum dicit

dicit quædam, qui ſe *Pios* appellari paſſi ſunt; factumque id ait mo-
84. do ex adulatione Senatus aliorumque adverſus Cæſares, quos *Pios* &
Felices ſolebant vocare; modo ut ipſi Cæſares ſuam demonſtrarent
88. publice vel pietatem erga Deum, quod feciſſe obſervatur M. Com-
modus Antoninus Pius, vel erga patriam, veluti Pertinax. Id vero
92. *Pii* nomen cum datum ſit non viris ſolum, ſed & uxoribus Cæſarum,
ea occaſione diſſerit de ornatu mulierum in nummis antiquis ob-
97. ſervando, explicatque inſimul inſtitutum Antonini Imperatoris, qui
velut in cognomentum, *Pii* vocem aſcivit. Singulos autem nummos,
98. quos allegat Autor, ſic pertractat, ut de iis, quæ ad ipſos recte intel-
ligendos pertinere videntur, dicat ex antiquitate, illuſtretque ſubin-
104. de eosdem nummis vel in Gallia vel in Saxonicorum Principum
12.38.51.56. memoriam cuſis, in quibus ad priſcorum morem *Pietatis* vocabu-
106. lum extat.

JOH. FRIDERICI BÖCKELMANNI JCti Tractatus poſtumus de Differentiis Juris Civilis, Canonici, Hodierni.

Trajecti ad Rhenum, apud A. Schouten, 1694. in 8.
Plag. 12.

MAgnum fuit inter Jureconſultos Germaniæ noſtri temporis *Böckelmanni* nomen, in Academia primum Heidelbergenſi, poſt in Lugduno-Batava Anteceſſoris de ſtudioſa legum juventute præclare meriti, paucosque ante annos defuncti. Conſueverat is auditoribus ſuis deſcribendas dare, latiusque dein explicare, quas nunc publici omnium juris *Cornelius van Eck*, Jureconſultus Ultrajectinus haud incelebris fecit, Juris Civilis, Canonici & Hodierni Differentias: opuſculum apprime utile iis, qui in jurisprudentiæ ſtudio verſari cum fructu cupiunt. Præmittuntur generalia quædam de jure canonico, ut ad ejus præcipue notitiam manuducere diſcipulos ſuos voluiſſe Auctor videatur: inde in quibus tum quoad jus publicum, tum quoad jus privatum, civiles canonicæque ſanctiones, moresque hodierni diſſentiant, ſuccincte traditur. Præfatione adauxit opuſculum Editor doctiſſimus, qua juris canonici ſtudium in Proteſtantium etiam academiis minime negligendum perſuadet,

ſuadet, tum quod indecens ſit eos, qui utriusque, civilis nempe & canonici juris Doctores renuntiari aliquando deſiderant, Juris Canonici eſſe imperitos; tum quod non modo Pontificii, ſed & qui puriori religioni nomen dederunt, vix alium agendi modum in tritura forenſi obſervent, quam qui Canonibus præſcriptus eſt; tum quod cauſæ quamplurimæ, velut de Decimis, de Jure Patronatus, argumentisque aliis, inter Pontificios ſemper, inter Proteſtantes plerumque ex jure canonico ſoleant decidi. Tametſi ita in commendando Canonico Jure verſatur, ut primas tamen Civili deferat, atque ſtudioſis noſtratibus in Corpore Juris Civilis habitandum, in Corpore Canonici Juris peregrinandum moneat.

JOH. VVOLFG. TEXTORIS, JCti, DEciſiones Electorales Palatinæ, cum Tractatu Synoptico de Judiciis.

Francof. apud Frider. Knoch, 1693. 4. alph. 3. plag. 3.

COllectionem definitionum cauſarum forenſium ſive rerum judicatarum, quæ Deciſionum nomine vulgo veniunt, rem eſſe utilisſimam, nemo facile in dubium vocaverit. Ex illis enim non modo quid in ipſis rerum argumentis uſu obtineat, perſpicimus, ſed & habemus, quod in ſimilibus controverſiis, tanquam cynoſuram poſtea ſequamur. Sua igitur laude merito mactandus eſt Conſultisſimus harum Editor, qui poſteaquam tot jam eruditis orbem beavit ſcriptis, & huic operi admovit manum, atque res in ſuprema Curia Juſtitiæ inferioris Palatinatus, quæ Heidelbergæ fuit, judicatas Reipubl. literariæ invidere nefas duxit. Tametſi enim, ut in Præfatione ipſe declarat, amplisſima jamjam tot rerumpublicarum ac variarum gentium Rotarum ac Deciſionum meſſis ſuppetat, nec copia rerum in illuſtribus Germaniæ Judiciis deciſarum deſit; facile tamen veniam ſe impetraturum confidit, quod Deciſiones has Electorales, typis hactenus nondum impreſſas, publicum voluerit eſſe teſtimonium juſtitiæ, & antea, & ſuo tempore in ea provincia legitime adminiſtratæ. Ea autem methodo in illis potisſimum uſus eſt, ut ubique relationem facti, ex qua ſtatum cauſæ totamque litis ſeriem compendioſe percipere integrum

ſit, paucis præmiſerit, rationes deinde decidendi ſubjecerit, ac notabilia denique practica, ex ipſis textibus & rationibus legum ac conſtitutionum Imperii, ad meliorem in foro verſantium uſum addiderit. Omnium vero Deciſionum, quarum tres ſupra centum dantur, argumenta hic recenſere, noſtri quidem inſtituti ratio haud patitur; licebit tamen quarundam extantiorum & in ſummam contractarum ſpecimen exhibere, ex quo de cæteris facile poſtmodum erit judicium. Dec. 3. Ille, qui prædia emit a domino, eadem a tertio poſſeſſore de facta ſibi prædiorum quæſtionis anteriore venditione per conſortem actoris, quem antea a domino emiſſe bona iſthæc dicebat, excipiente, vindicare poteſt. Dec. 5. Venditio hæreditatis tertii, in quam venditori nullum jus competit, licet ſub pacto de non præſtanda evictione facta, ob præſumtum iſtius dolum nulla eſt. Dec. 6. Legatarius, cui legatum ab hærede teſtamentario ſolutum eſt, & qui in ejus quieta posſesſione ultra 30. annos fuit, hæreditatis petitione conventus ab inſtantia abſolvitur. Dec. 7. Venditor, re ita vendita ſi emtor intra certum tempus animum deſuper declaraſſet, & hoc per unum teſtem declarationem ſaltem non vero tempus probante, abſolutus eſt ab impletione contractus, præſtito prius purgationis juramento. Dec. 9. Actor, qui inſtrumento cenſitico deperdito, debitum probat ex ſolutione cenſus per longum tempus, confesſione item unius ex conſortibus debitorum hæreditariorum, tum libro rationum defuncti creditoris, nec non ex inventario & rationibus tutelaribus, ad juramenti ſuppletorii præſtationem fuit admiſſus. (conf. Dec. 17.) Dec. 15. Corpus opificum prædium, a præpoſito magiſtro, quem Zunfftmeiſter vocant, ſine conſenſu cæterorum conſortium, & absq; conſueta in loco rei ſitæ contractus inſinuatione alienatum, cum emtor in bona fide & diutina poſſesſione fuerit, factaque belli tempore inſinuatione apud ſuperiorem, non poteſt vindicare. Dec. 16. Transactio de bonis maternis inter patrem & filium, ob metum reverentialem, & enormem læſionem non probatā, haud reſcinditur; (ubi in Notabilibus deducitur, quomodo Cameræ Imperialis ſtylus in Judiciis Statuū Imperii pro norma obſervandus ſit.) Dec. 25. Teſtamentum a muliere apoplectica, ſanæ tamen mentis, præſente loci ſculteto & convicanis quibusdam ſcabinis ad interrogationem confectum, ſtatuto Palatino validum eſt. Dec. 27. Venditor, qui domum cum area adjacente 10. pedum longitudinis &

50.

50. latitudinis vendidit, ſi emtor poſtea ædificare volens 5. pedes latitudinis relinquere a magiſtratu jubeatur, probare debet, conſtitutionem de relinquendo verſus munimentum ſpatio, contractum emtionis antecesſiſſe. Dec. 30. Documentorum, quæ quidam detinebat & hæredibus ejus, ad quem pertinebant, probabilibus reſtituere detrectabat, ex eo quod illa documenta apud ſe depoſita, & hæredes extranei eſſent, hiſce conſentientibus ſequeſtratio placuit. Dec. 31. Adminiſtratores Eccleſiæ dimidiam partem molendini, quam in præjudicium pauperum aliorumque creditorum alienatam eſſe dicunt, non poſſunt revocare ab eo, in quem per donationem remuneratoriam translata eſt, quia tempore donationis re ipſa fraudatos eſſe creditores non conſtabat. Dec. 33. Annuum legatum ſcholæ ex libro ſalariorum, quem dicunt das Competentz-Buch/ accedente duorum teſtium depoſitione, probatur. Dec. 34. Legatum piis locis in teſtamento ſolennitatibus deſtituto relictum, invalidum judicatum eſt. Dec. 43. Doctor Medicinæ convenit pharmacopolam actione injuriarum, ob verba injurioſa, quaſi argentum vivum infanti cuidam ægrotanti, cujus mors ſecuta ſit, dediſſet, item ſe illum infamem reddere poſſe, ſi velit &c. reo pleraque, quæ infamiam præ ſe ferebant, a ſe dicta eſſe negante, actore vero per teſtes ſingulares, integræ tamen fidei probante, reus, cum juramentum purgationis ſibi injunctum non præſtitiſſet, ad deprecationem & literas reverſales actori extradendas, nec non in mulctam centum florenorum cum refuſione expenſarum condemnatus eſt. Dec. 44. Ab actione injuriarum communitatis, reus qui aliquos ſaltem adminiſtratores ſub incerto nomine ſtudio boni publici indignos dixit, qui libros cenſuales in manibus haberent, actoribus non probantibus abſolvitur. Dec. 54. Fideicommiſſum familiæ & quidem filiis ea lege relictum, ut ſi quis illorum decederet ſine prole maſculina, ad proximos agnatos maſculos illud devolvatur, ab ultimo in familia libere alienari, nec a deſcendentibus ex filiabus, quia ad has ex diſpoſitione haud ſpectabat, ſed iis aliunde ſatisfactum erat, revocari poteſt. Dec. 55. Ille, qui in literis poſſesſionem caſtri ultro cesſiſſe, nec ullam prætenſionem reliquam habere profeſſus eſt, licet ſimulationem & poſſesſionem re judicata ſibi addictam aſſerat, in poſſeſſorio ſuccumbit. Dec. 56. Contra dominos feudi, a quibus ſubditi variis modis ſe gravatos eſſe dicunt, licet illi Nobiles Imperii immediati ſint,

Digitized by Google

neque jura, de quorum exercitio controvertebatur, ab Electore Palatino in feudum recognoſcant, alias tamen vaſalli Palatini ſunt, & caſus eſt depoſiti miſerabilis, a ſupremo Dicaſterio Electorali mandatum reſtitutorium & inhibitorium datum eſt. Dec. 57. Ille, in cujus ædibus incendium ipſius culpa exortum, & per quod vicina domus abſumta eſt, ad refuſionem damni vicino dati condemnatus fuit, quia de ipſius culpa tum per præſumtiones, tum per teſtes conſtabat, quod ſolus habitaverit, nec miniſterio eo tempore ad rem cereviſiariam uſus fuerit, & præterea inſignem negligentiam circa fornacem hordeorum toſtricem, tum ex brevi ſtructura ejus periculis obnoxia, tum ex lignis proximis & adpendentibus herbis nicotianis commiſerit. Dec. 58. Abſolutus eſt reus ab intentione actoris, refuſionem damni, quod ille ex intermiſſa profesſione vini aduſti alio transvehendi & hac de cauſa confiſcati dederit, poſcentis, ideo quod vector non teneatur ad exſolutionem vectigalis pro mercibus, nec ulla rei culpa præceſſerit, ſed potius conventum fuerit, quod nihil negotii cum ſolutione gabellæ habere debeat, præterea culpa omisſionis non præſumenda & in caſu dubio culpæ reus abſolvendus ſit. Dec. 63. Actio ad privationem hæreditatis ex jure Electorali Palatino ob non ſoluta intra trimeſtre ſpatium legata, non habet locum contra hæredes hæredis defuncti, quia nulla judicialis admonitio illum in mora conſtituit, & actio illa tanquam mere pœnalis contra hæredes non datur. Dec. 64. Utili Legis Aquiliæ actione ob corruptionem alterius oculi conventus, primum in 50, poſtea 150 florenos fuit condemnatus. Dec. 68. Vidua Judæi actrix, quæ cum mercatore quodam de creditis defuncto marito mercibus controvertebat, & ideo libellum ſupplicem exhibebat, creditore librum ſuum mercatorium producente, condemnatoriam obtinuit; quæ ſententia etiam in Appellationis inſtantia ob mortem creditoris ſubſecutam aliaque adminicula, ſed ſine encomio fuit confirmata. Dec. 74. Adminiſtratores communitatis, cum nonnulli de communitate nomine ipſius trecentos florenos pro cenſu annuo quindecim florenorum accepiſſent, tametſi in obligatione expreſſum, pecuniam in rem communitatis verſam & penſiones per multos annos ſolutæ eſſent, quia tamen hoc æs alienum non conſenſu communitatis contractum, nec conſenſu Electoris Palatini obfirmatum, nec de verſione in rem revera facta conſtabat, ab actione abſoluti, & actor, in

recon-

reconventione ad reſtituendas indebite ſolutas penſiones condemnatus eſt. Dec. 82. Reus ſolutionem debiti apochis, quæ non ſunt formæ probantis ſed ſubleſtæ fidei, item manuali ſuſpecto, nec non bacillis ſine conſenſu utriusque partis inciſis atque incertis, probans ad exſolutionem ejusdem fuit condemnatus. Dec. 84. Hæres, ſi legata a teſtatore per aliam ſcripturam poſtea tertio relicta ſolvendi terminos petiit, quod eadem agnoviſſe videatur, illa non obſtante juris ignorantia præſtare tenetur. Dec. 88. Sponſo poſt concubitum & ſecutum ex eo partum in ſponſalibus clandeſtinis ad conſummationem agente, quod vitium clandeſtinitatis ſponſaliorum concubitu ſublatum ſit, & favor partus per matrimonium legitimandi verſetur, deflorata ſponſa abnuens illi nubere ab intentione actoris abſolvitur ideo, quod ſponſaliorum absque conſenſu parentum contractorum nullitas non tollatur concubitu, nulla id cavente lege, ſed jure Palatino approbante, ceſſante hic inſuper ratione commiſerationis perſonæ impraegnatæ, quæ ipſa contradixerit conſummationi, & quod legitimatio aliunde peti poſſit. Dec. 100. Reus, qui alterum diffamaverat, quaſi equum magicis artibus interemerit, & propterea actione injuriarum, tum ad pœnam arbitrariam, tum injuriæ æſtimationem & ad palinodiam conveniebatur, quamvis alieno ore & ex præſagio artis magicæ iſta verba protuliſſe exceperit, quia tamen illa ab ipſo dicta ſcriptaque eſſe probabantur, ad certam pœnam pecuniariam & palinodiam, æſtimatione injuriarum inſuper habita, condemnatus eſt; quæ ſententia etiam ſub declaratione, ut reo recantanti fama reſervaretur, in Appellationis inſtantia confirmata fuit.

Appendicis locum occupat tractatus de Judiciis ſynopticus, quorum deſcriptione & partibus §. 1. ut & objecto §. 2. expoſitis, de Proceſſu in contumaciam, tum reſpectu actors, §. 3. tum rei, & quidem vel ante litis conteſtationem §. 4. vel poſt eandem formando, §. 5. Autor agit. Porro de recuſatione ſuſpecti Judicis §. 6. nec non de effectibus judicii tam pendentis §. 7. quam finiti, vel per ſententiam §. 8. vel per transactionem §. 9. tandem de officio Judicis. §. 10. ſuccincte & legaliter tractat.

Digitized by Google

EDMUNDI RICHERII OBSTETRIX Animorum, ſeu prudens docendi & diſcendi Methodus, cum clarorum Virorum opuſculis non diſſimilis argumenti, & præfatione ADAMI RECHENBERGI, *P.P. Lipſ.*

Lipſiæ & Luneburgi, ap. Joh. Georg. Lipper, 1693. in 4.

NOn equidem novus hic liber eſt, quippe ſub initium hujus ſeculi in Gallia, & Ambergæ in Germania a. 1608. impreſſus; dignus tamen *Morhofio*, ſummo polyhiſtori viſus eſt, qui in gratiam docentium ac diſcentium in ſcholis recuderetur. Quanta enim autoris ejus cum in ſacris, tum in profanis fuerit eruditio, libri ejus a clariſſimo *Wittenio* in *Diario Biographico* commemorati, & ex parte a nobis in Actis Eruditorum A. 1683. p. 494. & A. 1684. p. 103. ſeq. recenſiti teſtantur. In hoc certe libro rationem docendi juventutem ſcholaſticam egregie oſtendit, vitiaque vulgo in ſcholis regnantia detexit, *ματαιοτεχνίαν*, quam Græci vocant, perſtringendo. Quapropter clariſſimus *Rechenbergius* noſter, Morhofii ſecutus conſilium, denuo Richerii illud Opus edidit, inſuperque *Ulrici Huberi*, viri celeberrimi, *Orationem de Pædantiſmo*, nec non opuſcula non diſſimilis argumenti alia, puta *Ger. Jo. Voſſii de Studiorum Ratione*, *Franciſci Junii Paræneſin*, *Aug. Buchneri Conſilium de ſtudiis recte inſtituendis* & *Jo. Gl. Ph. cl. Artem ratione recte utendi*, h. e. novam Logicam ſtudioſis Juris imprimis utilem adjecit: ut in hac arte etiam adoleſcentes mature, quæ utilia ſint ab inutilibus diſcernere addiſcerent.

JOHANNIS LOMEIERI, ZUTPHANIENſis, Dierum Genialium, ſive Diſſertationum Philologicarum, Decas Prima.

Daventriæ, apud Albertum Fronten, 1694. in 8. Alphab. 1. plag. 4.

LIber hic, quem Genialium Dierum titulo inſignire, Alexandrum ab Alexandro imitatus, non incongruum exiſtimavit Cl. Lomeierus, Paſtor

Digitized by Google

Paſtor & Profeſſor Zutphanienſis non incelebris, (cujus de *veterum Gentilium luſtrationibus* Syntagma in Actis noſtris A. 1682. p. 253. exhibitum a nobis eſt,) Diſſertationum Philologicarum priorem Decadem complectitur, quam altera poſthac excipiet, ſi, quod in Præfatione ad Lectorem dedit, promiſſo ex votis ſtare ipſi conceſſum fuerit. Præſentium vero meletematum jucunda non minus ac utilia argumenta ſunt, eorumque proin ſummam breviter nunc delibabimus.

Ac Diſſertatio quidem prima *veterum Scytharum Philoſophiam* examinat. Licet enim vulgo inter barbaros omni ævo barbariſſimi putati fuerint, non obtuſa tamen adeo pectora eos omnes geſtaſſe Noſter aſſerit, & ab eorum Doctoribus, qui ſapientiæ laude præ cæteris celebrentur, exorſus, adducit e reliquis Prometheum, cui Philoſophiæ inventionem Græci ipſi tribuant; Deucalionem ejus filium; Zamolxin, de quo dubium eſſe dicit, utrum ante Pythagoram multis annis extiterit, ceu viſum fuit Herodoto, ni duos forſan ejus nominis vixiſſe ſtatuas; Zeutam, quem pro Ægyptiorum Mercurio agnoſcit; Abarem, proverbio ex ſagitta, quam ipſe nihil comedens circumtulerit, celebratum; Diceneum & Comoſicum, quos ex Jornande deſcribit; maximeque Orpheum, qui & Deorum cultum inſtituerit, & Philoſophiam didicerit in Ægypto, & vitam adeo frugalem duxerit, ut & ipſa in proverbium abierit. Eum tamen a magiæ ſuſpicione minus liberat, quidque per lyram Orphei in Lesbiam, ut narrat Lucianus, translatam ſignificetur, exponit; atque hactenus enumeratis Anacharſin, Bionem, Heraclidem, Cotyn, Toxarim, Pliſtos, aſſociat. Progreſſus deinceps ad Scytharum religionem, inter Deos ab iis Martem præcipue fuiſſe cultum refert, quæque de ejus gladio a paſtore quodam invento, & ad Attilam allato, fabuletur ex Priſciano Jornandes, recenſet. Apollinem inſuper in magno apud eos honore habitum commemorat, tametſi Scythas hyperboreos ei aſinos immolaſſe neget, cum intima aquilonis inacceſſa his animalibus eſſe notum ſit; nec obſtet Ezechielis locus c. XXVII, 14. quandoquidem Thogarma minime deſignet Scythiam, ſed Trogmorum in Galatia regionem, ubi aſini & muli præſtantisſimi reperti fuerint. Dianam humano ſanguine inter eos cultam non diſſimulat, nec Cererem, Jovem, Veſtam, Bacchum, Saturnum, ex Numinum, quæ adorarint ipſi, claſſe removet. Quantum hinc concernit ſapientiam, & eam quidem theoreticam, immor-

immortalitatem animarum eos credidiſſe, nec a μετεμψυχώσεως dogmate abhorruiſſe ſtatuit. In naturali Philoſophia quo progreſſi fuerint, patere putat ex Juſtini libro II. c. 1. ubi ex Philoſophorum inter ſe de rerum principiis altercantium hypotheſibus argute diſſerant. Duos tantum ventos, ſed triplex divinationis genus, ῥαβδομαντείαν, extiſpicium, & augurium, eos agnoviſſe, Muſicamque exercuiſſe docet. E practica ipſorum Philoſophia, doctrinam de ſummo hominis bono neutiquam in voluptatibus collocando; virtutes item, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, juſtitiamque, ab iis multum æſtimari ſolitas; ex Oeconomica, tuendæ augendæque familiæ rationes, & communionem uxorum inter eos receptam; e Politica libertatis uſum, & ortum ex ſpontanea fidei rectique obſervantia legum defectum, ipſamque vitiorum, quæ iis haud parum profuerit, ignorationem in medium producit. De cætero Epiphanium, quod poſt Barbariſmum ante diluvium regnantem, inſecutum fuiſſe ſtatuat Scythiſmum, refellit, quæque Scythis de morum feritate, ἀνθρωποφαγία, & aliis inhumanitatis aſperitatibus objiciantur, de omnibus capi debere penitus inficiatur.

Secundæ Diſſertationis locum occupat Oratio, quam ipſe anno 1686. in illuſtris Scholæ Zutphanienſis inauguratione recitavit, eaque ſententiam de *quatuor Monarchiis*, a vulgari Theologorum Hiſtoricorumque ac Chronologorum opinione longius recedentem complectitur. Poſtquam enim eos, qui ex Daniele & Zacharia quaternarium earum numerum ſtabilire conantur, non firmo adeo talo niti oſtendere ſategit, alias quoque Monarchias ante iſtas quatuor fuiſſe, & alias eodem cum iis tempore floruiſſe, alias denique easdem inſecutas fuiſſe docet, & Monarchiam per ſummum imperium, cæteris dignitate ac potentia præſtans, definit. Sed & ante omnia eos caſtigat, qui Aſſyriacum regnum cum Babylonico imperite confundant, & iſtud multo ante periiſſe, vel e ſolis Ezechielis cap. XXXI, & ſequenti, conſtare aſſerit. Magnas interim Ægyptiorum, Arabum, Palæſtinorum, Tyriorum, Æthiopum, Syrorum, qui omnes ante Nabuchodonoſorem floruerint, opes potentiamque memorari, nec Hebræos ipſos ſub Regibus ſuis longe lateque dominantes excludi debere. Stantibus porro ac vigentibus his quatuor Monarchiis, multas alias inferiores apud Arabes, Parthos, Scythas, Indos, Germanos, & alios floruiſſe,

tuiſſe. Iſtud vero omnes abſurditatis ſuperare numeros, quod Imperium Romanum ad finem uſque mundi extendatur, cum certe jam olim extinctum fuerit, ultimo Romanorum Imperatorum exiſtente Auguſtulo, circa A.C. 475 ab Odoacro Rugio devicto, cunctisque regionibus avulſis; unde poſtmodum plurimas Monarchias enatas dicit, quarum quælibet propriam ſibi præ aliis ὑπεροχὴν arrogare deprehendatur, idque exemplo Galliæ Hiſpaniæque Regum comprobat. Nec aquilas illas, quibus hodie pro inſignibus utantur Germaniæ Imperatores, Romanorum inſignia, ſed Germanorũ eſſe dicit, monumenta ſcilicet ingentis illius ac decantatiſſimæ Varianæ cladis; prout neq; aquila biceps, ut quidem imperitum vulgus perſuadere ſibi ſoleat, ſed potius duæ ſimul aquilæ pingantur, quarum altera alterã expanſis alis obtegat. In illa enim victoria, quam Arminius de Quintilio Varo ejusque legionibus obtinuerit, raptas fuiſſe tres Romanas aquilas; unam evulſiſſe ſigniferum, priusquam in manus hoſtium veniret, duas autem abſtuliſſe easque adhuc dum poſſidere Germanos innuit.

Diſſertatio tertia occupatur circa imagunculam *Harpocratis*, quam Jo. Smetium in ſuo aſſervare muſeo memorat. Ea vero puerum exhibet, totum fere nudum, niſi quod pectoris pars veletur veſte, quæ in humero dextro ſubſtringitur. In capite geſtatur flos loti, & aliud inſigne Numinum Ægyptiorum. A tergo habet ille alas & pharetram. Manus dextræ digitis primoribus premit vocem, & ſilentia ſuadet. Brachio appendet ſitula. Circa ſiniſtrum lacertum ſerpens volvitur; manu tenet clavam Herculeam, cui anſer appendet, quamque ramulus ambit. A dextro pede ſedet cuniculus ſive lepus, a ſiniſtro accipiter vel avis forſan alia. Hanc imaginem jamtum erudita explicatione illuſtravit Giſbertus Cuperus, docuitque, Harpocratem, ſilentii Deum, hac ipſa ob oculos proponi, eumque ex veterum Gentilium Theologia nullum eſſe alium, quam Solem, ad quem pleraque ſua Numina referre illi conſueverint. Sed Autor noſter eam in Philoſophiæ Practicæ uſum traduxit, & omni illius apparatu ad ejusdem Dei officium, ſilentium videlicet, non quodvis tamen, ſed tempeſtivum, & ſapiente dignum, nos manu duci per partes ſingulas uberius probavit.

Diſſertatio quarta *variantes* aliquot in Novi Teſtamenti te-

S xtu

xtu Græco *lectiones* colligit, quæ Stephani Curcellæi diligentiam effugerunt, quaſque ideo ſe in medium produxiſſe fatetur, ut, ſi aliquando typographi Novi Teſtamenti Curcellæani editionem repeterent, eas reliquis valerent adjicere. Illud interea notatu dignum eſt, quod Amſtelodami apud Gaſparem Fernandum Vegam, Judæum, ſe vidiſſe dicit Biblia Hebraica elegantiſſimis characteribus membranæ inſcripta, addita ad marginem Maſora, cujus verba minutiſſimis nec minus concinnis literis omne genus hominum, animalium, plantarum, arborum, &c. artificioſisſime retulerint. Hæc ſcripta fuiſſe in urbe Hiſpaniæ Servera a Samuele Bar-Abraham, A.C. 1399 & 1400, Vegamque confirmaſſe, quod pro iſto Codice ter mille & ſexcentos florenos a Rege Hiſpaniarum offerri ſibi compererit, ipſum autem, cum longe pluris eum æſtimaret, vendere theſaurum tantum noluiſſe, quippe imprimis veritum, ne ideo divinam indignationem in ſemetipſum æque ac in poſteros concitaret.

Quinta *Marcum Evangeliſtam* cum *Johanne* conciliat, & quo ſenſu ille ad *horam tertiam*, hic vero ad *ſextam* crucifixionis mentionem injiciat, diſquirit. Ubi quidem non ſolum eos rejicit, qui difficultatem hanc inſuperabilem pronuncient, ſed iſtos etiam, qui librarios oſcitantiæ accuſent. Nec tamen adſtipulatur iis, qui Marci locũ de crucifixionis initio a clamore populi derivando, dictum autem Johanneum de ipſa ſceleris perpetratione & in crucem actione capiant; aut his, qui aliter a Judæis, aliter a Romanis horas fuiſſe diſtinctas judicent; quinimo ne diei quidem in certos quadrantes diviſionem huc aliquid conferre putat. Sed potius, veſtigiis Dan. Heinſii inſiſtens, verba Marci: *ἦν τὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐςαύρωσαν αὐτόν*, ita exponenda eſſe cenſet: Erat autem tunc hora tertia, *poſtquam* (ſeu a quo) eum crucifixerant. Ut adeo diviſio veſtium & alia ejusmodi per trihorium, per quod Chriſtus ab hora diei ſexta a Johanne memorata cruci affixus pependit, interim ſuſcepta videantur. Horam vero a crucifixione tertiam cum nona diei coincidere, & iſto pacto ſcrupulum omnem penitus auferri poſſe, ſi Marci horam tertiam non ad horam diurnam, ſed ad tertiam a crucifixione referamus, prout econtra Johannes per horam ſextam meridiei tempus deſignarit.

Sexta *Terentiorum* nomen apud Romanos celeberrimum conſiderat,

Digitized by Google

ſiderat, iſtudque derivari a quibusdam refert e lingua Sabinorum, quibus *terenum* idem ſit, ac molle, tametſi aliis magis placeat deducere id a *Terento*, qui locus fuerit in campo Martio, unde etiam Terentina tribus originem nominis indepta ſit. His autem in medio relictis, eos potius Autor introducit, qui nomine iſto inſigniti ex utroque ſexu legantur. Et e ſequiori quidem Terentiam, Ciceronis uxorem, & aliam Mæcenati nuptam, Albiam item Terentiam Imperatoris M. Salvii Othonis matrem, & tandem Terentillam ſcortillum e Suetonii Auguſto memorat. Inter Viros primum locum tribuit M. Terentio Varroni, qui ad Conſulatus dignitatem poſtea pervenit; huic adjungit Q. Terentium Culleonem, & reliquos, quorum apud Livium, Dionem, Plinium, autoresque alios injecta mentio conſpicitur; quemadmodum nec eos omittit, qui aut e literatis aut ex plebe iſthoc nomine apud Hiſtoricos paſſim celebrantur. Et ut maxima eorum pars ſuperſtitioni profanæ fuit addictisſima, ita e Chriſtianis nonniſi tres Terentios producit, unum ex Theodoreto, qui ſub Imp. Valente vixerit; alterum quendam Tomeorum Epiſcopum, inter defenſores fidei Nicenæ apud Cpolin in Synodo repetitæ numeratum a Sozomeno; & tertium martyrio coronatum, de cujus reliquiis Theodorus Lector Lib. II. Collectaneorum nonnihil annotet.

In Diſſertatione ſeptima iſtum *Matthæi* locum perpendit, in quo Apoſtoli *ſal terræ* nuncupantur, c. V. 13. Et per terram quidem non orbem univerſum, ſed Judæam heic intelligit, cui primo omnium doctrina Evangelii oblata fuerit. Ejus vero incolas effeciſſe, ut ſal, ſeu verbum ab Apoſtolis annunciatum, inſipidum factum fuerit, non ſui quidem ipſius mutatione aut corruptione, ſed in Judæis, induratis Evangelii auditoribus. Quamobrem iis denunciari pœnam, non modo *κατ' ἄρσιν, ἐν τίνι ἁλισθήσεται*; quo ſalietur, ſcil. terra? ſed & inſuper *κατὰ θέσιν, εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω*, ad nil valet amplius, niſi ut ejiciatur, non ſal, ſed ipſa iterum terra, ſeu Judæi potius eam inhabitantes.

In Diſſertatione octava, circa *ſeptem Græciæ Sapientes*, non ſolum nominat divortia autorum, qui numerum iſtum imminuere allaborarint, ſed & in ipſam eorum ſapientiam inquirit, ac nomina hæc ante omnia ſuo loco & dignitati reſtituit, cum ea multi e Sapientum catalogo expunxerint. Philoſophiam dein Poëticam, Sophiſticam,

Digitized by Google

Scepticam, Mythicamque iis adjudicat. Sigillatim vero, quod Thales Phyſicæ imprimis ſtuduerit, reliqui ſex practicorum titulum obtinere queant, oſtendit, & apophtegmatum iis tribui ſolitorum cum Scriptura Sacra convenientiam declarat. Interim nequaquam ſibi perſuadet, quod ab iis hæ ſententiæ primum profectæ fuerint, prout nec illa, quæ Catoni vulgo tribuantur, Diſticha; nec carmina Pythagoræ, Orphei, & Empedoclis; nec fabellæ, quæ ſub Æſopi nomine circumferantur, ab his autoribus originem acceperint. Eas tamen ſententias aut ſimiles frequenter a Sapientibus his uſurpatas credit, methodumque philoſophandi per gnomas iſtiusmodi pro inconveniente habendam non admittit.

Nona Diſſertatio *precationum diverſa genera* a Paulo Phil. IV, 6. & 1. Tim. II, 1. denominata contemplatur. Ubi iſtud quidem ex communi Interpretum opinione Noſter retinet, quod εὐχαριςία gratiarum actionem deſignet; in eo tamen ab hac alienus eſt, quod δέησιν non ſolam malorum deprecationem, ſed ſimpliciter alicujus rei indigentiam petitionemque inde ortam; nec προσευχὴν petitionem tantummodo bonorum, ſed etiam malorum deprecationem; nec ἐντεύξεις præciſe ſolam interceſſionem, ſed potius orationem frequentem & qualibet occaſione data fuſam denotare aſſerit.

Agmen tandem claudit decima de *oſculis*, quæ, licet inter cæteras prolixisſima appareat, nobis tamen eo majus otium indulget, cum paſſim alibi hæc materia jamtum abunde pertractata reperiatur, ipſeque Autor non diſſimulet, ſe ſaltim aliorum hac de re aut latius dicta contraxiſſe, aut contractiora extendiſſe, tametſi quædam omiſſa aut minus obſervata addere haud neglexerit; quæ qualia ſint, verſata in veteribus monumentis Lectorum induſtria facili negotio dijudicabit.

TRAITE DE LA FORTIFICATION &c.

h. e.

Tractatus de muniendi ratione, continens methodos antiquas & recentes conſtruendi & defendendi munimenta, necnon modum illa invadendi, auctore Dn. Ozanam Profeſſore Mathematum.

Juxta

Juxta exemplar Pariſienſe ap. Joh. Jombert, 1694. in 8.

Conſtat plag. 17. tabul. æn. 44.

QUi integrum Curſum Mathematum celeberrimi *Dn. Ozanami*, haud ita pridem Pariſiis in lucem editum, typis recudendum curat Bibliopola Batavus, tempori ſerviendum ratus initium cepit ab hoc de militari architectura libro, in *ſex* omnino *partes* ab auctore ſuo diviſo, quibus explicationem terminorum & axiomata quædam præmiſit. In his præter vulgo nota inculcat, *angulum propugnaculi* non minorem eſſe debere 70 gradibus; *alam ſecundariam* inconſulte repudiari a recentioribus, cum tamen ea neglecta in polygonis multorũ laterum angulus propugnaculi nimis obtuſus fiat, contra vero ab ala ſecundaria hoſtis in ruinam in facie propugnaculi factam enitens a latere peti poſſit; *alam primariam* partem aliquam *auricula* tectam habere debere; *alam* nec ad *chordam*, nec *faciem*, nec *lineam defenſionis* conſtituendam perpendicularem, ſed ut medium aliquod teneatur, ex centro polygoni eſſe educendam. Hæc enim ratio Autori peculiaris eſt, quam etiam ſequitur in quatuor muniendi modis a ſe propoſitis, quorum primum in *parte prima*, quæ de *munitione regulari* agit, præcipue explicat, dum non ſolum *ichnographiam* ſed & orthographiã munimentorum edocet, ſupputationemque Trigonometricam linearum & angulorum demonſtrat. Tribuit autem *lateri interiori* cujusvis polygoni 120 hexapodas, *collo* vero *dimidio* tot, quot polygonum habet latera additis 20, donec tandem in Decagono fiat 30 hexap. quæ longitudo in ſequentibus quoque polygonis retinetur. *Alæ* numerum hexapodarum quadruplum numeri laterum polygoni aſſignat, uſque dum in Decagono fiat 40 hexap. retinenda quoque in polygonis laterum plurium. *Secunda pars externorum operum* conſtructionem tradit; *in tertia* vero *diverſi muniendi modi*, *Erhardi* nimirum, *Pagani*, *Bombelli*, *Blondelli*, *Vaubani*, *Sardi*, *Villei*, *Maroloiſii*, *Hiſpanorum*, nec non *ordo* quoque *corrobatus* ita recenſentur, ut & conſtructio & calculus eorum Trigonometricus afferatur, ac de nonnullis quoque feratur judicium. Proponuntur quoque hic *reliqua Auctoris methodi*, in quarum *ſecunda*, *polygoni interioris* & *colli dimidii* longitudo eadem eſt quæ in prima, *ala* vero numerum hexap. æqualem numero qui oritur ſi duplo laterum polygoni addas 10, usque ad Deca-

 gonum

Digitized by Google

gonum habet, in quo & ſequentibus longitudo 80 hexap. retinetur. Quandoquidem autem *angulus defenſus* in Octogono obtuſus fieri incipit, ſuper lineam ſummas *alas* jungentem ſemicirculo deſcripto *angulus propugnaculi* rectus efficiendus eſt, ut hoc pacto *ala* quoque *ſecundaria* acquiratur. In *tertia* factis reliquis, ut in præcedenti, Auctor *capitalem lineam collo integro* facit æqualem, ut *angulus propugnaculi* acutus fiat, & *ala ſecundaria* major reddatur: in *quarta* ex centro polygoni ad ejus latus perpendicularem demittit, in tot partes quot habet polygonum latera dividendam, harumque partium duas *dimidio* aſſignat *collo*, tres vero *capitali*. *Quarta pars* in *munitione irregulari* docenda verſatur, in eaque, ut omittamus pervulgata, quadruplex affertur ab Auctore ratio muniendi figuras, quarum latera nec deficiunt a menſura 100 hexap. nec 150 hexap. excedunt, angulique recto non ſunt minores. Nam *primo* circa tres figuræ datæ angulos maxime a ſe invicem remotos circulum deſcribit, & ex centro educit radios ad angularia omnia puncta; deinde quantitatem *angulorum centralium* hoc modo factorum explorat, & lateri oppoſito eam conſtructionem adplicat, quæ propria eſt polygono, ad cujus *angulum centri* quantitas inventa proxime accedit; ita tamen, ut cum angulus propugnaculi obtuſus evadit, eum in rectum commutet, cujus latera producta *lineas defenſionis* vel *radentes* vel *figentes* conſtituant. *Secundo* bina ſemper aſſumit latera figuræ, ſi par ſit laterum numerus, quæritque centrum circuli per tres angulos, ad quos conſtituendos illa concurrunt, deſcribendi, & poſt inventos *angulos centrales* duos, *colla* dimidia & *alas* determinat, ut in modo præcedenti: quando autem laterum numerus impar eſt, pro ultimo centrum quærit biſecando angulos, quos cum vicinis lateribus conſtituit, perinde ut in *modo tertio*, ubi centra ſemper definiuntur ab interſectionibus linearum, quæ angulos figuræ biſecant. *Quarto* tam angulos figuræ quam latera bifariam dividit, & puncta concurſus linearum ſectricium pro centris aſſumit, angulos vero quos conſtituunt pro dimidiis centralibus, atque ex hiſce datis reliqua definit, ut ſupra. *Quinta pars offenſivam munitionem* complexa, conſtructionem *munimentorum campeſtrium, circumvallationũ, adductuum, ſuggeſtuum tormentorum, vinearum, cuniculorumque* deſcribit: *ſextaque* tandem quoad *munitionem defenſivam*, paucis exponit, quomodo obſeſſi hoſtem *acceſſibus, cuniculis & ſuggeſtibus contrariis* factis repellere, nec non *regreſſuum* ædificatione impetum ejus retardare poſſint.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON BALDUINI AVENnenſis, Toparchæ Bellimontis,

ſive

Hiſtoria Genealogica Comitum Hannoniæ aliorumque Principum, primum nunc edita & notis hiſtoricis illuſtrata, ſtudio Jacobi Baronis le Roy & S. R. I. Domini Sancti Lamberti.

Antverpiæ, ex typographia Henrici Thieullier, 1693. fol.
Conſtat plag. 19.

QUod per quadringentos annos MStum hactenus delituit, Balduini Avennenſis Chronicon, paſſim interea ab eruditis, ac inter hos Miræo in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Valerio Andreæ in Bibliotheca Belgica, & Andrea Du Cheſne in Hiſtoria Genealogica Domus Luxemburgicæ celebratum eſt. Et olim quidem Gallice pariter ac Latine extitit Pariſiis apud Andream Quercetanum, & Bruxellis apud Chifletios, quorum exemplar, una cum Chronico Alberici, Monachi trium-fontium, multo & vetuſtiori & majori, nec ſimiliter unquam hactenus vulgato, Illuſtrisſimus Editor obtinuit, qui prius id Latine ſcriptum, ſed poſtea in Gallicam linguam converſum fuiſſe opinatur. Complectitur autem, ut ipſe jamjam indicavit titulus, Genealogiam Comitum Hannoniæ, exordio ſumto a temporibus Caroli Ducis Lotharingiæ, qui frater fuit Lotharii Regis Francorum, & ſeculo adeo decimo, a quo fere usque ad decimi tertii decurſum ſuæ narrationis filum Autor protraxit, qui ſub anno 1285 aut 1289 ſcriptionem hanc ſuſcepiſſe creditur. Neque Comitum modo dictorum, ſed cognatorum quoque Principum ſtemmata ſimul exhibet; ſiquidem ex ipſo hoc opere jampridem Engueramus Magnus, Dominus de Coucy, Oiſy, & Montmirel, Genealogiam familiæ de Coucy & Dreux deſumi, & usque ad A. 1303. extendi mandavit, ſub titulo: *le Lignage de Coucy & Dreux.* Ut ſuam adeo operam Illuſtrisſimus Editor in Scriptore hoc e tenebris eruendo optime collocarit; qui etiam notas easque nec paucas nec ineruditas margini adjunxit, & ſingulis præterea periodis ſubjecit; in iis non Autoris modo dicta ſubinde magis ex Hiſtoriarum monumentis illu-

luſtrans, & nomina Gallica Latinitati ab Auctore donata ad ſuam originem deducens, antiquatamque pronunciationem cum recentiori componens, ſed errores quoque pro re nata paſſim corrigens. Seriem deinceps Comitum Hannoniæ ex Stemmatibus Principum Belgii ab Aub. Miræo concinnatis addidit, Tabulamque Geographicam, quæ Comitatuum Hannoniæ & Namurci deſignationem accuratiorem ſiſtit, inſeruit.

LIBRI NOVI.

Memorie Hiſtoriche della Congregatione dell' Oratorio, raccolte da Giovanni Marciano. In Napoli 1693. fol.

Lucæ Tozzi Neapolitani in Hippocratis Aphoriſmos Commentaria. Neapol. 1693. in 4.

Memorie de' Veſcovi di Biſeglia, ricercate dal Veſcovo Pompeo Sarnelli. In Napoli, 1693. in 4.

L' Abuſo degli Aſtri, overo L' Umana Felicità Oroſcopata da Dio e dalla prudenza; dell' Abbate D. Bonav. Tondi. In Venezia 1693. in 8.

Lettere memorabili, Iſtoriche, Politiche ed Erudite, raccolte da Antonio Bulifon. In Pozzuoli 1693. in 12.

Remarques ſur la piece antique de bronze: avec une Deſcription de la chambre des raretez de l' Auteur, par Nicolas Chevalier. A Amſterd. 1694. in 12.

Le Caractere de la Reine Elizabet & de ſes Miniſtres d' Etat; par le Sr. Bohun. Traduit de l' Anglois. A la Haye 1694. in 12.

Wapen-huys der Geſontheyd, door Nic. Heinſius. Tot Utrecht, 1694. in 8.

Sam. Dale Pharmacologia ſeu Manuductio ad Materiam Medicam. Lond. 1693. in 8.

Synopſis Methodica Animalium quadrupedum & Serpentini generis: auctore Jo. Rajo. Londini 1693. in 8.

La Pratique des Acouchemens, par Mr. Feu. A Paris, 1694. in 8.

Jo. Dougtei de Calicibus Euchariſticis veterum Chriſtianorum liber, cum mantiſſa Jo. Faes. Bremæ 1694. in 8.

(o)

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis, Anno M DC XCIV.

HISTOIRE DU CARDINAL XIMENES.

i. e.

Hiſtoria Cardin. Ximenes, auctore Dn. FLECHERIO, Epiſcopo Nemauſenſi.

Amſtel. apud H. Desbordes, 1693. 12. Alph. 1. plag. 16.

VIrtus excellens Ximenis, rerumque ab eo geſtarum magnitudo, impulit Auctorem doctiſſimum, ut vitam ejus literarum monumentis & ipſe conſecraret. Nec temere profecto hocce munus in ſe ſuſcepit. Acceperat a Franciſcani Ordinis Monacho Commentarios manuſcriptos, vitam Ximenis referentes. Hos conſuluit quidem; nec tamen neglexit ceteros, qui jam ante vitam hujus Præſulis, ad poſteros memoriam ejus transmiſſuri, literis mandaverant. Familiam inter hosce ducit Alvarus Gomezius de Caſtro. Huic cum nihil defuerit eorum, quæ fidem dictis conciliare poſſunt, ſcribentemque & commentantem adjuvare, magni ejus facit auctoritatem. Nimirum Johannes Vergara, atque Dieghus Lopezius Ayala, quorum ille Ximeni a ſecretioribus literis, hic autem in domo ejus educatus, & ad omnem honeſtatem formatus fuit, omnem vitæ rationem quam Cardinalis tenuit, ipſa etiam arcana, graviſſimorumque negotiorum cauſas & momenta, Gomezium edocuere. Commentationes quoque Valleji, & Floriani Ocampi, eundem erudivere. Sed & Academia Alcalenſis omnem navavit operam, ut ſpartam hancce rite ornare poſſet. Quandoque tamen & alios, qui poſt Gomezium, in hoc campo ingenii exercuere vires, præſertim Eugenium de Robles, & Ferdinandum de Pulgar, in ſubſidium vocavit noſter. Illos itidem conſuluit, qui Ferdinandi & Iſabellæ, Philippi item atque Caroli, res geſtas commemorarunt. Conſiliorum enim, quibus hi Principes regni

Hiſpanici diſpenſavere fata, ut plurimum aut particeps aut auctor Ximenes fuit. Junxit hisce locupletem teſtem, Petrum Martyrem, hominem fide dignum, rerumque Hiſpanicarum conſultiſſimum: qui res ſui temporis, epiſtolis docte gnaviterque elaboratis, poſteros edocere voluit. Acceſſerunt denique monumenta quædam, typis hactenus nondum mandata, ex Bibliotheca Cardinalis Granvellani: quæ a Johanne Baptiſta Boiſot ſecum fuiſſe communicata, ingenue libenterque profitetur. Quæ cum ita ſint, ut a Viro diſertiſſimo, totque documentis exquiſitis ac luculentis inſtructo, præclara quævis ſperemus, par eſt. Sed per ſumma rerum decurrendo faſtigia, opus ipſum perluſtrabimus.

Lib. I. Protulit Ximenem Cardinalem Tordelagura, urbs non adeo magna Hiſpaniæ, A.1459. rerum ſummam tenente Johanne II. Patre natus eſt Alphonſo Ximene de Ciſneros. Gentis natales a Roderico Comite de Ciſneros, cujus fortiſſima dextra, præſenti vitæ periculo, in prælio contra Mauros, Alphonſum VI. eripuit, quidam arceſſunt: in quo ſibi alios refragantes habent. Interim inter nobiles illuſtresque Hiſpaniæ familias, Ximeniorum quoque ſuum obtinebat locum: quæ Alphonſum de Cisneros dedit. Hujus cum fortunæ exiguæ eſſent, colligendis in Hiſpania decimis a Pontifice præfectus eſt. Duxit in matrimonium Marinam de la Torre, generis antiquitate & claritate præſtantem virginem. Turris quippe, in obſidione Madritenſis urbis, a familiæ conditore fortiter expugnata, & offenſi Regis Ramiri ira, hoc facinore placata, genti nomen & inſignia dedit. Hisce igitur parentibus vitam debet noſter Ximenes: qui, cum Franciſcanorum ordini adſcriberetur, Franciſci nomen ſumſit. Quamprimum per ætatem licuit, ad literarum ſtudia animum adjecit: iisque, præſertim Themidos ſacris, Alcalæ & Salamancæ adeo non infeliciter operatus eſt, ut mox traderet aliis, quæ hauſerat ipſe. Nec minus Theologiam ſummo ſtudio atque cura didicit, præeunte ei Roa, Doctore celeberrimo. Voti compos, domum revertitur: ſed mox Romam adeundi conſilium capit. Et adiit ſane urbem, poſtquam bis in itinere ſpoliatum nudatumque rebus omnibus adjuverat liberalitas fidesque Bruneti. Jam Advocati Conſiſtorialis munere Romæ fungebatur, cum mortem Parentis edoctus, in patriam remigrare conſultum ducit. Sed decret-

creto Pontificis auctus rediit, quo ſacrum illi in patria deſtinabatur munus. Vix ſalutaverat natale ſolum, cum Archipresbyter Ucedenſis vitam cum morte commutaret. Occupat munus adminiſtratore ſuo deſtitutum Ximenes, fretus auctoritate Pontificis, indignante licet & reclamante Alphonſo Carillo Archiepiſcopo Toletano. Nec minis nec blanditiis ab inſtituto dimovetur Ximenes: hinc juſſu Archiepiſcopi in turrim conjectus, conſtantiæ ſuæ cunctis demonſtrandæ occaſionem adeptus eſt. Tandem iram Archiepiſcopi lenivêre preces Comitiſſæ de Buedia. Sed Ximenes munus tot laboribus moleſtiisque partum, cum præfectura ſacelli, in Eccleſia Seguntina ſibi demandata permutat. Hic ita ſe geſſit, ut prudentia ſingulari, moribusque honeſtiſſimis, multorum animos, præcipue Johannis Lopezii de Medina, ſibi conciliaret, cui etiam, ut Seguntiæ bonarum artium excitaret ſedem, auctor ſuaſorque extitit. Ut vero omnibus bonis, ita & Petro Gonſalvo de Mendoza Seguntino Epiſcopo & Romanæ Eccleſiæ Cardinali, tam præclara ſeſe probabat virtus. Dignum itaque judicavit, qui ſuis fungeretur vicibus. Quo ipſo effecit, ut probitas Ximenis magis magisque ſe proferret. Quæ quo erat excellentior, eo magis a ſeculi abhorrebat ſtrepitu. Latebras quæſivit & ignorari voluit. Hinc in cœnobium aliquod urbis Toletanæ ſe recepit: ægre hunc ſeceſſum ferente Mendoza. Sed dum latere voluit tanta virtus, clarius effulſit. Vitæ auſteritas, morumq; ſanctitas, omnes trahebat in admirationem. Videre omnes & conſulere hunc virum geſtiebant. Hinc jam vitæ ſuæ inſtituto ſe turbari ſentiens, in aliud cœnobium, ab hominum conſortio magis remotum, Caſtagnar ſeſe contulit. Hic Petri Sanchezii cujusdam ſomnium de futuris honoribus eundem certiorem reddidit: quorum & in turri detentus, augurium omenque acceperat. Sed fugientem honores ſeculique commercium, prodire tandem ex receſſibus Iſabella juſſit, quæ a Mendoza mores ejus virtutemque edocta, a confeſſionibus miniſteriisque ſacris eum ſibi eſſe volebat. Multis tandem precibus adductus, hoc ſibi munus imponi paſſus eſt. Aſt ſupremam Franciſcani Ordinis per Hiſpaniam dignitatem non invitus ſuſcepit, ut honeſtiori titulo aulæ delicias fugeret. Hunc in finem in Africam quoque, ad barbaras gentes Chriſtianorum ſacris imbuendas, iter meditabatur: ſed Numinis divini voluntatem, a Virgine quadam

edoctus, conſilium mutavit. Tum vero nihil magis ſe decere arbitratus eſt, quam ut euntem indies in pejus Monachorum reſtauraret diſciplinam. In quo ignavorum hominum fraudes, multum illi faceſſebant negotii. Interim moritur Mendoza, inter cujus ſaluberrima monita, quibus Iſabellam moribundus inſtruxerat, & hoc fuit, ut Toletanæ ſedi præficeretur, cujus probitas & eruditio major eſſet, quam potentia. Referre Regum Hiſpanicorum, ne metuenda ſibi ſit horum Præſulum auctoritas. Præcepti memor Iſabella, nec Alfonſi Arragonii, nec Sevilienſis Archiepiſcopi Dieghi Hurtadi ullam habuit rationem. Recuſabat hanc dignitatem, ſenectutis obtentu, Oropeſa JCtus. Solus Ximenes ſupererat, qui ex voto, & præſcripto Mendozæ, præeſſe huic muneri poterat. Hic vero de conſilio Reginæ certior factus, fuga ſibi conſuluit. Serio quippe omnes honorum reſpuebat titulos. Tandem Romani Pontificis non obſequi juſſis, nefas ducit. Eadem vero conſtantia qua recuſaverat, ſuſceptum tuebatur munus. Cujus hoc primum documentum fuit, quod nec auctoritate nec precibus Reginæ Iſabellæ adduci potuerit, ut Petro Hurtado de Mendoza Caſorlæ præfecturam concrederet. Sola tandem virtus Mendozæ ad hoc eum impulit. In ſummo honoris culmine conſtitutus, nihilo ſecius tenui victu cultuque adeo delectabatur, ut hoc nomine etiam Romanus eum increpuerit Pontifex: cujus quidem mandato obtemperavit, non deliciarum cupiditate, ſed religione ductus; aſt hoc ipſo illi evenit, ut luxuriam ejus carperent alii. Ipſi Franciſcani inde eum levitatis, aliorumque criminum apud Reginam arguere nulli dubitabant. Hoc tandem eventu, ut perfidis illorum machinationibus deprehenſis, exiſtimationi Ximenis haud leve momentum accederet. Parum quoque abfuit, quin fratris ſui perierit manibus; hic enim ob varia crimina caſtigatus, ſed tamen Archiepiſcopo reconciliatus, ægrotantem & in lecto decumbentem aggreditur, injecto ori pulvinari, eundem ſuffocaturus. Nondum dimiſerat animam, cum mortuum eum credens profligatisſimus homo, timore perculſus, latebras quærit: & ita præter ſpem ſibi redditur Ximenes. Hisce periculis defunctum exceperunt machinationes, quas Eccleſiæ Toletanæ Canonici, ægre ferentes tam acriter a Ximene Clericorum mores emendari, illi ſtruxerunt, infelici adeo ſucceſſu, ut ipſe Romanus Pontifex, ad quem provocaverant,

Digitized by Google

rant, tandem meliora edoctus, approbaverit labores ejus laudaveritque. Eodem tempore Ximenis prudentia, ab intolerabili tributa exigendi ratione ſe liberatam Hiſpania vidit. Mox renitentes Arragoniæ aliarumque provinciarum Hiſpanicarum Proceres adhortationibus & auctoritate ſua permovit, ut tandem, quod unice cupiebat Iſabella, Emanueli Luſitaniæ Regi ejusque conjugi Iſabellæ filiæ Regiæ fidelitatis juramento ſeſe obſtringerent. Sed hæc de ſucceſſione conſilia irrita fecit inevitabile fatum, quod Emanuelis hanc conjugem Iſabellam, filiumque ejus recens in lucem editum, rebus mortalium eripuit. Interea Alcalæ novam Academiam excitaturus, ædium fundamenta jacit, in quibus erudiri juventus poſſit: in quo dum verſatur, juſſu Regis Granatam petiit, ut Mauros, urbis hujus incolas, fide in Chriſtum ſalutarique illius imbueret cognitione. Ubi quoque induſtriam ejus felicisſimus comprobavit ſucceſſus, ut brevi tempore pauci ſupereſſent, qui non exuerint ſuperſtitionem. Libros eorum combuſſit, præter eos, qui Medicæ artis præcepta complectebantur: quosdam donis allexit, alios vi coëgit, nihil quidem non recte ſuſcipi autumans, ut miſerorum ſaluti conſulatur. Granatenſi tamen Epiſcopo non ſuffragatus eſt, qui ſacras literas in eorum vernaculam transferri voluit; ſufficere illorum uſibus contendens libros, qui doctrinæ cœleſtis ſummam eos edocerent. Indorum quoque ſaluti, miſſis ad eos, qui cœleſtis doctrinæ arcana illis panderent, proſpexit; ſeduloque cavit, ne impune Hiſpanis in hosce populos ſævire liceret. Interim Mauri frena mordent: hinc intempeſtivum Ximenis zelum traducendi occaſio quibusdam eſt enata. Horum conatibus ſuppreſſis, cum morbo illi fuit colluctandum, qui cum Medicorum artem eluderet, fœminæ cujusdam ope ſanitati eſt reſtitutus. Hinc Comitiis intereſt, in quibus ad Philippum Auſtriacum, atq; Johannam, Ferdinandi & Iſabellæ filiam, ſucceſſionem pertinere decernebatur. Ubi cum partibus ſuis probe functus eſſet, opus illud aggreſſus eſt, quod vel ſolum immortale decus ei conciliare potuiſſet. Utriusq; enim Fœderis libros, in lingua originali, additis præcipuis quibusdam verſionibus, ſuis impenſis imprimi curavit. Ejusdem ope & alii prodierunt libri, quibus res literaria & Chriſtiana adjuvari poterat. Pluribus hoc Auctor edifferit, qui & iſtud addit, quod Officium, quod vocant, Mozarabicum Ximenes in uſum revocaverit.

Lib. II. Mortua Iſabella, haud leviter in Hiſpania rerum mutata eſt facies. Philippum Auſtriacum ad Caſtiliæ habenas capeſſendas nonnulli inſtigabant, cujus tamen adminiſtratio ex lege teſtamenti penes Ferdinandum erat. Hinc diſſenſiones, quas privatæ Johannæ & Philippi lites augebant. Ximene tandem auctore pax concordiaque fuit conciliata: quæ tamen quod non diuturna fuerit, penes illum non ſtetit. Occurrebant Philippo in Hiſpaniam venienti Caſtiliæ Proceres, quorum magnopere referebat, rerum non potiri Ferdinandum. Varia ad irritandũ Philippi animum illis præſto erant argumenta; præſertim connubium Ferdinandi & Germanæ de Foix eo ſpectare contendebant, ut connivente aut adjuvante Galliæ Rege, Caſtiliæ regno privaretur Philippus. Jam ne diſſimulabat quidem odium ſuum Philippus: ſed annitente Ximene, in concordiam reducti ſunt Reges. Caſtilia Philippo ceſſit: in cujus regni adminiſtratione, quæ ei aut facienda aut fugienda eſſent, libere Ximenes ediſſeruit: ſimulque Emanuelis cujusdam, qui favore Regis fretus quadrata miſcebat rotundis, fraudes criminaque eum ignorare noluit. Dum itaque meliora Caſtilia ſperat, morte opprimitur Philippus. Non ſatis ſibi conſtabant Proceres, cui parere vellent; interim, ut rerum ſumma penes Ximenem eſſet, illis placebat. Quidã Ferdinando, alii Maximiliano Imperatori tradi regnum cupiebant. Johannam excludebat animi debilitas. Corpori defuncti mariti attonita, rerumque ſuarum immemor, aſſidebat. Tandem Ferdinando plerique nomina dederunt ſua: Is vero tum temporis regni Neapolitani res componebat. Motus, quos excitabant ſecus ſentientes, maſcule prudenterque Ximenes comprimebat: donec Rex ipſe adferre medelam rebus afflictis poſſet. Sane Ximenis ope ſervatum ſibi Caſtiliæ regnum intellexit haud obſcure Ferdinandus. Sed jam ante ejus in ſe, atque Hiſpaniam, ipſamque Eccleſiam merita habebat explorata, quæ ut penſaret, a Romano Pontifice impetravit, Cardinalitia ut ornaretur dignitate. Et hæc quidem ſolenni ritu illi collata fuit. Simul vero Inquiſitionis tribunali eum præeſſe Rex voluit.

Lib. III. Dum Ferdinandus imperium ſuum firmat, alia cura occupat Ximenem. Nimirum quam Alcalæ inſtituerat bonæ mentis ſedem, hanc ornat augetque. Annitebatur etiam, ne fœdus, quod quidam Chriſtiani Principes pro recuperanda Palæſtina inierant, diſſolveretur: ſed irrito conatu. Felicius procedebat Africana expeditio, ejus con-

conſilio ſuſcepta, qua urbs Mazarquivir Hiſpanorum adjecta eſt imperio. Hinc majora rei Chriſtianæ incrementa ſperans, ipſe cum exercitu in Africam trajicit. Id quod non omnibus probabatur. Erant qui ambitionem, temeritatem inconſultam, animique levitatem illi exprobrabant. Rex ipſe ex infelici belli hujus eventu, auctoritatem Cardinalis imminutum iri ſperabat. Certe ſe invito hoc Ximenem facere, haud obſcure verbis factisque innuebat. Sed nihil eum retardare poterat. Magnumglorioſumque facinus paucis eloquar: vidit Africam Ximenes, Mauros fugavit vicitque, & urbem Oranum expugnavit. Ceterum inſolentius ſe gerebat Petrus Navarrus, qui bellici Ducis munere juſſu Cardinalis fungebatur. Hinc lites & contentiones. Duci ſuffragabatur Ferdinandus, Cardinalemque ex Africa revocabat, auctam inſigni acceſſione ejus gloriam periniquo patiens animo. Voti compos rediit Ximenes: exercitu ejus interea victricia arma per Africam circumferente. Ferdinandi autem haud obſcuris ſignis ſe prodebat indignatio. Namque & ſumptus, a Cardinali in bellum Africanum impenſos, vix ac ne vix quidem reddidit. Cum hisce colluctantem malis, aliæ difficultates excipiunt. Orani Epiſcopatum ſibi vendicabat quidam Ludovicus Guilielmus, quem hoc titulo condecoraverat Pontifex, gemente adhuc ſub Mauris urbe. Contra Ximenes urbem a ſe occupatam, quæ nunquam etiam, ut Africanæ Eccleſiæ Annales docent, proprios habuerat Antiſtites, ſedi Toletanæ ſubjiciendam contendit, tandemque ſuperior ex hoc certamine diſceſſit. Plus negotii ei faceſſebat Dux de l' Infantade, ob ſponſalia, inter Gonſalvum de Mendoza & Johannam de Ciſnero inita, ſed iterum a Cardinali rupta. Intellexerat Ximenes, ideo hæc fœdera cum Johanna a florentisſima familia iniri, ut fratris Mendozæ poſſeſſiones rapere Dux ad ſe poſſet. Iniquitate hominis ergo commotus, Johannam Bernardino Comiti de Corunna matrimoniali fœdere junxit. Interea Ferdinandus religionis obtentu, in Navarræ Regem arma ſtringit. Hic vero regnandi cupiditas zeli ac ſanctitatis nomen palam induebat. Nec latebat hoc Ximenem: cujus tamen monitis aurem non præbuit Ferdinandus. Rex rebus feliciter geſtis, medicata potione reddere ſenili corpori vires, ad ſobolis procreationem ſuffecturas, ſecum conſtituit: quo ipſo morbum ſibi attraxit, quo tandem eſt extinctus. Carolus

de

de morbo avi certior redditus, mittit in Hiſpaniam Hadrianum Ultrajectinum, titulo Legati, qui ſtatim ſignificaret, quæ in hoc rerum ſtatu ſine mora ſcire, ſua referebat. Neque vero iſtud fugere Ferdinandum poterat, qui ingraveſcentis morbi vim diſſimulaturus, continuatis itineribus, plures provincias peragrat. Tandem in urbe Madrigalexo expiravit: Fato inevitabili vaticinium, quo cavere hujus nominis urbem jubebatur, ſic comprobante. Paucis ante mortem horis irritum fecerat teſtamentum, quo Ferdinandum nepotem Hiſpanici regni cernere hæreditatem voluerat. Ximeni autem, vim quaſi reluctanti voluntati moribundi Regis ſumma Viri virtute inferente, rerum ſummam tamdiu concredidit, donec per ætatem regno præeſſe Carolus ipſe poſſet.

Lib. IV. Nec ſuccubuit oneri Ximenes, ſed imperii clavum fortiter prenſans, Madriti regiminis eſſe ſedem voluit, ut eo promptius omnibus Hiſpaniæ partibus adeſſe poſſet. Primum in ordinem redigendus fuit Petrus Portocarrerus, qui pro ſupremo Ordinis S. Jacobi Magiſtro, propria ſeſe geſſerat auctoritate. Conſultum duxerat Ferdinandus, ut penes Reges ipſos hæc dignitas eſſet, ne privatorum potentiæ nimium inde accreſceret. Ne Ferdinando quidem nepoti ſuo eandem detulerat. Quo ergo periculoſior hic Portocarreri conatus fuit, eo ſeveriorem promeruit animadverſionem. Hinc annitente Ximene & Caſtiliæ Proceres demulcente, Regis titulum, vivente licet Johanna matre, Carolus ſumpſit. In quo regni hujus mores legesque migravit. Nemo facile felicius feroces Caſtellanorum animos, quam Ximenes, tractare poterat: quos & deinceps, inſtituto novo militiæ genere, in obſequio continuit. Ubique prudentiæ & fortitudinis documenta dedit, ut prolixius Auctor ediſſerit. Namque & Navarræ regnum fortiter defendit ſervavitque: Malagæ urbis rebellionem feliciter compeſcuit: Comitemque de Cuellar aliosque docuit, quam non impune Regum reluctari decretis liceat. Juſſerat quippe Carolus, ut Ferdinandi viduæ ex Hiſpaniæ quibusdam civitatibus ſubminiſtrarentur, quibus ali poterat: ex regno enim Neapolitano ut ea perciperet, non conſultum duxit, Gallorum machinationes metuens. Hinc urbs Arevalum etiam tradi Reginæ debebat: Id quod inconſulto conatu impedire Comes voluit. De Johanna quoque mentis parum compote, bene mereri Ximenes voluit. Solerter enim multa excogitavit

gitavit, quæ vigorem reddere menti, triſtitiamque tanti mali cauſam pellere poſſent. Ad regni negotia cum rediiſſet, privatorum poſſeſſiones, quas Regum Hiſpanicorum profuſioni debebant, Carolo reſtituit: ipſumque, eo quod ingentem pecuniæ ſummam paucis menſibus profuderat, adhortatus eſt, ut ab opum ejusmodi prodigentia ſibi temperaret. Tum vero ad arma eum vocavit incurſio Barbaroſſæ, nobiliſſimi piratæ. Hic enim occupatis quibusdam Africæ urbibus Regulisque debellatis, jam laceſſere Hiſpaniam audebat. Exercitum illi oppoſuit Ximenes: quem non tam vicit Barbaroſſa, quam penitus delevit. Non tamen fregit iſta clades Ximenis animum, ſed erexit impulitque ad ferociam barbaræ gentis acrius coercendam. Cum Genuenſibus etiam ei interceſſere lites: quæ mox, cum iram ejus placaſſent, fuere compoſitæ. Carolo vero potentiam ſuam contra Gallos firmaturo ſuadet, ut Procerum Neapolitanorum animos, collatis in eos honoribus, ſibi conciliaret: firmiſſimum contra Gallos præſidium ex horum benevolentia eſſe petendum. Eidem tamen, judicium Inquiſitionis aut ſublaturo aut mitigaturo, non ſuffragatus, preces pecuniamque Judæorum fortiter ſpernere docuit: atque adeo auctoritati hujus tribunalis conſuluit. Ceterum ut motibus, quibus Hiſpania ſubinde conturbabatur, ſupprimendis par eſſet Ximenes, tandem abſolutam ex arbitrio cuncta diſpenſandi & conſtituendi poteſtatem illi concedit Carolus, ita ut & merita præſtantium Virorum remunerare ampliſſimis dignitatibus potuerit.

Tandem Carolus, invidorum conſiliis abreptus, occulta quadam ratione imminuere auctoritatem Ximenis, ſecum decrevit. Intererat quidem conſiliis publicis Hadrianus Ultrajectinus, quippe qui juſſu Caroli in regiminis conſortium erat aſſumptus; ſed cuncta tamen ex ſententia Ximenis gerebantur. Carolus hæc edoctus, Laxaum [La Chaux) quoque rerum ſummæ in Hiſpania admovet, ſperans fore, ut quæ juncta opera Hadrianus & Laxaus agerent, vel invito Cardinali prævalerent. Ximenes, ut ſueverat, ſocios hosce parum curans, ea agebat, quæ regni requirebat ſalus: indeque ejus auctoritas adeo parum imminuta eſt, ut incrementa etiam ſumpſerit novasque vires. Eodem ſucceſſu & Amerſtorfius in Hiſpaniam venit: ipſo Carolo tandem prudentiam Ximenis laudante, ejusque geſta probante. Interim Ximenes ſedulo adhortabatur Carolum, ut tandem rerum ha- Lib. V.

Digitized by Google

benas capeſſeret ipſe. Fruſtra hactenus eum expectaverant Hiſpani: hinc illudi ſibi credebant, & peregrinorum, præcipue Belgarum avaritiæ, parum curante Rege Hiſpanos, ſe exponi, indignabundi conquerebantur. Hisce malis per Comitia mederi alii volebant, alii alias inibant rationes: parumque res aberat a ſeditione. Ximenes demulcet irritatos animos, Regem excuſat, Comitia denique, ut aliis fieret ſatis, ſed in tale demum tempus indicit, ut adeſſe Rex ipſe prius poſſet, quam convenirent Proceres. Nec omnes placare potuit: hinc a quibusdam libellis famoſis in ipſum Cardinalem ſævitum eſt: ipſo palam profitente, ſe non invito dolorem ſuum ita lenire miſeros mortalium. Palam vero hoſtilem in eum animum induebant Dux Infantatus (de l'Infantade) Comes de Urenna, & Dux Albanus, qui tandem & ipſi inſolentiæ ſuæ pœnas gravisſimas dederunt. Jam in eo erat Ximenes, ut pararet ea, quæ ad Carolum rite excipiendum requirebantur, cum venenum ſibi datum ſentiret. Sane poſtquam in vico Bos-Eguillas cibo ſe refecerat, a Franciſcano id edocetur Monacho, cui neſcio quis perſonatus eques accurrerat, & de veneno Cardinali præbito eundem fecerat certiorem. Hæc referenti Monacho reſpondet Ximenes, non ſemel ſe ejusmodi periculis fuiſſe expoſitum; Deum, qui ſemper ſaluti ſuæ proſpexiſſet, nunc quoque eidem conſulturum. Nondum morbus vires ejus plane fregerat, cum juſſu Caroli improbos illorum conatus, qui Ferdinando fratri ejus a conſiliis & miniſteriis erant, evertit. Spem enim conceperat iſte Princeps, quæ in privatam non cadebat ſortem; non tam ambitione ductus, quam pravis ſuorum conſiliis & adulationibus abreptus. Hosce ergo ſcelerum architectos ab eo amovere, illorumque vices ejusmodi hominibus demandare, quorum explorata in Carolum erat fides, omnes conſultum ducebant. Inique hoc adeo tulit Ferdinandus, ut gravis Ximenis eum vix demulcere potuerit oratio; qui & ſolerter cuncta ita diſpenſavit, ne turbare iſta res Hiſpaniam, aut res novas moliendi anſam ſeditioſis præbere poſſet. Tandem Hiſpania vidit Carolum, quem ne videret Ximenes, eumque rerum ſtatum edoceret, multorum intererat. Inde itineris rationes ita temperabant, ut nulli dubitarent, morte, quæ jam haud dubie Cardinali imminebat, eundem præventum iri. Carolus autem de morbi gravitate nondum certior redditus, literas ad Ximenem dedit, quibus Hiſpaniæ ponere regimen jube-

batu

batur: jam enim, ut poſt tot labores ſibi redderetur, poſtulare æquitatem. Hac enim humanitatis ſpecie tecta invidia in ſcenam prodibat. Videritne Ximenes hasce literas, incertum eſt, nec Auctor ipſe definit. Mortuum vero tradit d.8. Nov. A.1517.

Ultimus denique liber ſpecialia quædam virtutis documenta laudesque Ximenis promiſcue complectitur. In quibus & iſta memoratu non indigna ſunt, quæ de virginis cujusdam Hiſpanicæ viſionibus refert p.766. ſeqq. & de miraculis quæ Ximeni tribuuntur, p.846. ſeqq. Reliqua eo pertinent, ut omnibus inde conſtet, qualẽ erga Deum, erga pauperes, itemq; cognatos ſuos, & inimicos, ceterosq; homines ſe gesſerit Ximenes: quæ in expediendis negotiis ejus fuerit conſtantia & ſolertia: quam denique nihil unquam indecori admiſerit. Sobrietatem quoque ejus, temperantiam, animumque voluptatum contemptorem, & admirabile ſeveritatis comitatisque temperamentum Auctor deprædicat, exemplisque comprobat. Quibus virtutibus promeruiſſe Auctori videtur, ut Sanctorum Ordini, ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, adſcriberetur. Hunc certe honorem omnes prope Hiſpani ſua ſponte illi detulerunt: & ut ſolenni ritu illi decerneretur, id quidem precibus ſuis a Romano Pontifice impetrare Philippus IV. Hiſpaniæ Rex ſtuduit. Ceterum Auctor diſertisſimus varias ſubinde digresſiones non ſane injucundas, operi elegantisſimo inſperſit. Vitam moresque Iſabellæ exhibet liber primus p. 41. ſeqq. in quo & de cruce, quæ Archiepiſcopis Toletanis præferri ſolet, plura tradit p. 109. ſeqq. De regno Maurorum, ejusque in Hiſpania ortu & interitu, diſſerit p. 119. ſeqq. ut & de Officio Mozarabico p. 182. ſeqq. Philippi I. indolem atque mores ſecundus liber ſiſtit p. 261. ſeqq: Ferdinandi Catholici tertius p. 493. ſeqq. Quæ omnia, ut & cetera, legiſſe neminem pœnitebit. Lib. VI.

MENAGIANA, OU BONS MOTS; rencontres agreables, penſées judicieuſes, & obſervations curieuſes de Mr. Menage.

i. e.

Menagiana, ſive Facetiæ, argute dicta, ſententiæ ingenioſæ & curioſæ obſervationes Æg. Menagii.

Amſtelodami apud Adrian. Braakman, 1693. in 12.
Conſtant plag. 22.

Viz diem ſuum obierat Ægidius Menagius, clariſſimum inter eruditos non Galliæ ſolum ſed Europæ politioris nomen, & cujus toties honorifica pro meritis a nobis facta eſt mentio, cum apud Batavos recuderetur, quem nunc allegavimus, liber, Pariſiis primum anno ſuperiori editus. In eo plurima referuntur, vel a Menagio quondam ipſo, vel ab aliis dicta ſcite jocoſeque, aut excogitata pulchre, & facetiæ ſaleſque docti: quorum quin artifex fuerit Menagius, iſthoc ſpecimen dubitandi nullum relinquit locum. Proinde ut guſtum capiat Lector, quædam tantum inde excerpemus, ex quibus, quid de reliquis ſit ſperandum, haud difficulter queat judicari. Pag. 8. Cujacius cum prælegeret publice, tam diſtincta uſus fuiſſe dicitur oratione, ut auditores, quorum plures quam octingentos ſæpenumero habebat, ac Germani præſertim, verba ſingula exciperent calamis, ac deinceps traderent typographis edenda. P. 15. Mommorius in Capellani poema de Puella Aurelianenſi, poſt longas expectationes tandem prodiens, hoc luſit diſticho:

Illa Capellani dudum expectata puella,
Poſt longa in lucem tempora prodit anus.

Pag. 10. cum Pontanus ænigma de foramine, ſolo iſthoc verſu propoſuiſſet:

Dic mihi, quid majus fiat, quo plurima demas?

ſtatim reſpondit Scriverius:

Pontano demas carmina, major erit.

Pag. 28. quæ de Heinſio dicuntur, ac ſi valvis auditorii hæc verba inſcripſerit aliquando: *Daniel Heinſius non leget hodie, propter heſternam crapulam;* neutiquam ad ſummum hunc virum, temperantiæ non minus quam reliquarum virtutum laudibus illuſtrem, ſed Dominicum Baudium forte pertinent. Pag. 46. verſum iſtum: *Alterius non ſit, qui ſuus eſſe poteſt;* non eſſe Ovidii annotatur, tametſi plerumque ſub ejus nomine citetur, ſed incerti parentis; quales dentur haud pauci, quemadmodum pag. 54. & iſte: *& ſequitur leviter filia matris iter.* Pag. 76. Bigotium bibliothecam quadrageſies mille francorum æſtimatam reliquiſſe traditur, ipſumque tanti fuiſſe habitum a Batavis, ut literas ejus veluti oracula expectarint. Pag. 78. obſcuritatem Ter-

Tertulliani cum nigredine ebeni ligni comparavit Balzacius, quæ multum de ſe tamen ſplendoris ſpargit. Pag. 96. Huetius veluti Poetarum hodie Galliæ princeps laudatur, optaturque ejus Poëmatum collectionem peculiarem fieri: quam clariſſimus Grævius jam dedit, ut in Actis menſis ſequentis memorabitur. Pag. 113. de Salmaſio ita ſolitum fuiſſe loqui Balzacium narratur: *Non homini, ſed ſcientiæ deeſt, quod neſcivit Salmaſius.* Pag. 115. de ſe narrat Menagius, quod anno 1633 Lutetiam veniens, agendisque cauſis dans operam, Advocatis Parlamenti ſe quoque curaverit adjungi. Pag. 139. coram Sirmondo cum quæreret aliquis, quoties liceret bibere, ipſum confeſtim reſpondiſſe fertur:

Si bene commemini, cauſæ ſunt quinque bibendi;
Hoſpitis adventus, præſens ſitis, atque futura,
Et vini bonitas, & qualibet altera cauſa.

Pag. 150. de Menagii *Originibus linguæ Gallicæ & Italicæ*, ita dixiſſe Chriſtinam Sueciæ Reginam memoratur: eum non ſcire ſolum velle, unde veniant vocabula, ſed etiam quorſum ea vadant. Pag. 168. judicium de Morhofii Patavinitate Liviana tale fert Menagius, ut & plenum eruditione, & mille curioſis rebus librum dicat refertum. Pag. 204. Medico hoc quiſpiam poſuiſſe Epitaphium fertur: *Jacet hic, per quem jacent alii.* Pag. 218. Petavii ſymbolum: *Nova quærant alii, nil niſi priſca peto;* Pithœi: τοῖς νόμοις πείθου; & Menagii: *Rien ne me reuſſit*, id eſt, *nulla res mihi cedit feliciter*, afferuntur. Pag. 223. cum ſpoliaretur muſeum Archiepiſcopi cujusdam Tarentini, Monachus, ablato jam Breviario, adhuc animadvertens relictam Crucifixi imaginem magni pretii, manicæ ſuæ illam inſeruiſſe narratur & dixiſſe: *Crucifixus etiam pro nobis.* Pag. 260. refertur, unam ex neptibus Peireſcii demortui combuſſiſſe ingentem epiſtolarum ad eum ab eruditis ſcriptarum cumulum, ut ſibi excitaret calorem. Pag. 313. 314. in plexum capite Thuanum hoc diſtichon Grotii profertur:

O! legum ſubtile nefas! quibus inter amicos
Nolle fidem fruſtra prodere, proditio eſt.

Pag. 360. non inutile fore putat Menagius, ſi quis curioſo libro colligere velit rarius obſervata, ſub titulo: περὶ τῶν ἅπαξ εἰρημένων, id eſt, *de iis quæ ſemel tantum dicta ſunt.* Pag. 366. Ryerium ait, perinde ut Xylandrum, fami magis quam famæ, vertendo Gallice aliorum libros,

Digitized by Google

bros, inſerviiſſe. Pag. 377. in Nicolaum Borbonium Poëtam celebrem & plerumque lucubrantem, hæc ſcripta recitat Epitaphia:

Pervigilis tandem laxatus carcere vitæ
Borbonius, campos ceſſit ad Elyſios.
Illic populea ſtertit ſecurus in umbra,
Poſthabitis vatum luſibus atque jocis.
Vos, Orpheu, Muſæque viro ne rumpite ſomnum,
Hunc oculis nunquam viderat ante ſuis.

Itemque:

Traxit in anguſta qui tot quinquennia cella,
Pervigil infirmo corpore Borbonius,
Extremum media guſtans in morte ſoporem,
O! bene, ait, tandem dormio; Vita, vale!

Pag. 396. hoc Epigrammate egregio Anagrammatiſtarum ineptiis illuſiſſe Valeſius perhibetur:

Quicunque nervis ingeni parum fiſus
Doctumque carmen facere deſperans
Eviſceratis verba quærit in verbis,
Anagramma verſu claudat ut ſalebroſo,
Laborioſis occupatus in nugis,
Non hic meretur usquequaque damnari:
Nam ſe ipſe noſcit; & vetus probat verbum:
Citharœdus eſſe qui nequit, ſit aulœdus;
Anagrammatiſta, qui Poëta non ſperat.

Pag. 399. Corbinum Advocatum, decimo quarto ætatis anno cauſas in foro agentem, hoc quispiam perſtrinxiſſe narratur diſticho:

Vidimus attonito puerum gannire Senatu;
Bis, puerum, pueri, qui ſtupuere, ſenes.

Pag. 407. memoriam arboris, in Collegio Jeſuitarum Pariſienſi, ſub cujus umbra ſæpius delectari conſueverant quondam Sirmondus aliique Patres, ſed exciſæ deinceps, ſequenti venuſto epigrammate coluiſſe dicitur Gabriel Coſſartius:

Tot Patribus dilectam olim quæ præbuit umbram,
Quæ Sirmonde tibi, quæ Saliane tibi,
Heu! nimium ingratis inviſa nepotibus arbos,
Icta gemit ferro, tractaque fune cadit.

Veſtram

Digitized by Google

Veſtram ſæcla fidem! o! mores! o! tempora! quantum
Deficimus! Patrum ne manet umbra quidem.

Pag. 417. Oppiani verſionem, a Rittershuſio adornatam, non magno in pretio habuiſſe Bigotius memoratur, ideo quod affectarit ille verba obſcura, quaſi noluiſſet intelligi.

Poſt præfationem exhibetur recenſio ſcriptorum Menagii, tum eorum, quæ jam, repetita ſubinde, prodierunt, tum eorum quæ ille poſt ſe reliquit. Suntque ex poſterioribus iſthæc: *Hiſtoria Sablenſis Pars ſecunda: In Marcum Aurelium Antoninum Notæ: Linguæ Græcæ Origines & Idiotiſmi: Linguæ Græcæ Dialecti: Veterum Juriſconſultorum Hiſtoria: Notæ in Obſervationes Cujacii: Veterum Medicorum Hiſtoria: Hiſtoria Botanica: Notæ in Anacreontem: Obſervations ſur Rabelois: Oſſervazioni ſopra le Proſe e le Rime di Monſignor della Caſa: Nuove Oſſervazioni ſopra l' Aminta del Taſſo: Variæ ad eruditos Viros Epiſtolæ.* Quorum cultiſſimorum operum edendorum curam eos ſumere, ad quos ea pervenerunt, fas omnino fuerit.

SORBERIANA, OU BONS MOTS, rencontres agreables, pensées judicieſes, & obſervations curieuſes, de Mr. Sorbiere.

i. e.

Facetiæ, argute dicta, ſententiæ ingenioſæ, & obſervationes curioſæ Samuelis Sorberii.

Pariſiis 1694. in 12. plag. 13.

QUi Excerpta ex ore doctorum virorum publicæ luci donant, illi quidem melius de literis merentur, quam de ipſis auctoribus, quorum judicia ſermonesque ſatius fuerat ſæpe prorſus reticuiſſe. Nec eſt fere dubium, quin ægre admodum laturi eſſent Scaliger, Thuanus, Perronius, Borbonius, Pithœus, Naudæus, Grotius, Melanchthon, Menagius denique, ac etiam Sorberius ipſe, ſi in vitam reduces intuerentur coram iſtos ſermones, quos cum familiaribus miſcuerant quondam, nunc omnium manibus teri. Tametſi id non eſt negandum, præter quædam merito rejicienda, extare adhuc in ejusmodi libellis, quorum notitia non parum illuſtrandis illis, quæ obſcura erant alias, con-

conferre queat, & vel hoc nomine non omnino nullæ debeantur talium editoribus gratiæ. Nuper autem, & poſt *Menagiana*, prodierunt etiam *Sorberiana.* Ex quibus nunc aliqua ſeligemus, memoratu forte cæteris digniora.

Sorberianorum horum editor eſt ex Manuſcripto, quod acceperat, qui Dedicationi ad Poliſſonium, non ita pridem Pariſiis mortuum, nomen ſubſcripſit, *G. L. Colomyez*, adeoque alius, niſi fallimur forte, ab celebri illo *Paulo Colomeſio*. Præfigitur autem, ut eo rectius intelligi poſſint omnia, enarratio de vita ſcriptisque non *Sorberii* ſolum, ſed & *Johan. Baptiſtæ Cotelerii*, a Graverolo Nemauſenſi anno 1687 concinnata; quam non erit inutile a nobis hic redigi in compendium, quoniam non temere aliunde de utroque tam accurate conſtat.

Nimirum *Samuel Sorbiere* natus ſub hujus ſeculi initium, & ex filii, quem unicum reliquit, fide, d. 17. Febr. a. 1615. in oppido S. Ambroſii, in Diœceſi d' Uzés, parentibus Proteſtantiū Religioni addictis, Stephano Sorbiere, & Ludovica Petit, ſorore celeberrimi illius Theologi Nemauſenſis Samuelis Petiti; cujus obſervationes MS. in Joſephum, Bibliothecæ Oxonienſi illatas, pretio centum quinquaginta Ludovicorum aureorum (Louis d' or) venditas a ſe eſſe Dn. de Clarendon, Cancellario quondam Angliæ, affirmat Graverolus. A Petito igitur avunculo cum eſſet aliquandiu, poſt parentis utriusque mortem, educatus Sorberius, conceſſit anno 1639 Lutetiam, medicæque ibi rei navavit operam. Inde abiit ad Batavos anno 1642, ubi ſub falſo *Gutberti Higlandi* nomine defendit Andream Rivetum, evulgata Epiſtola adverſus Milleterii *Crurifragium Prodromi Rivetiani.* Tum & porro ſociam operam tulit, poſt *Salabertum*, Virum Eccleſiaſticum, verſioni Angliæ Cambdeni, Atlanti majori inſerendæ, traduxitque Th. Mori Utopiam. Redux autem in Gallias anno 1645, & inde revertens poſt annum ad Batavos, connubio Hagæ Comitum ſibi junxit *Judithам Raynaldam*, ſuam concivem, cum qua, ut Medicinam faceret loco fixo, abiit Leydam, inibique *Diſcurſum* non modo *Scepticum de Chylo*, ſed & *Politicam Hobbeſii* a ſe verſam, una cum *verſionis Apologetico* edidit, ut &, antequam abiret in Galliam rurſus, ſuppreſſo nomine, Epiſtolam mercatoris cujusdam Braſilienſis ad amicum quendam Amſtelodamenſem (*Lettre d' un Marchand du Braſil*

à un

Digitized by Google

à un de ſes amis d' Amſterdam; in qua Statibus Hollandiæ commendare ſuſtinuit Societatem Indiæ Orientalis. In Galliam igitur redux, factus eſt Arauſione Primus Medici Collegii anno 1650, ibique curavit imprimi ſua lingua *Epiſtolam Nobilis Galli ad Amicum Amſtelodamenſem de conſiliis Cromvvelli.* Circa finem vero anni 1653, ſuaſu Joſephi Mariæ Suareſii Epiſcopi Vaſionenſis, Reformatam cum Pontificia religionem commutavit, aſſumto *Joſephi* nomine; editaque Pariſiis, quorſum conceſſerat, anno 1654. mutatæ fidei ratione, accepit penſionem abs Clero Gallicano 400, & abs Cardinale Mazarinio 300 librarum. Pariſiis Romam profectus eſt, & inde rurſus Lutetiam, ubi & contra Riolanum de *venis lacteis* ad Pecquetum (cujus etiam illa eſt inſerta operibus) & ad Lignerium de *vitanda in ſcribendo acerbitate*, anno 1657. ſub *Sebaſtiani Aletophili* nomine, Epiſtolas publice ſcripſit. Fecit etiam *Præfationem ad Opera Gaſſendi*, editionis Lugdunenſis ſex voluminum in folio, & aliam ad ejuſdem *Gaſſendi* SyntagmaPhiloſophiæEpicureæ, editionis ſecundæ 1659. Quo anno etiam *Epiſtolas* & *Diſcurſum de diverſis argumentis curioſis* Gallice edidit, non confundendas tamen cum *Relations, Lettres, & Diſcours ſur diverſes matieres curieuſes*, quibus iter ſuum ad Batavos, & *Meditationem de Amicitia* inſeruit. In his vero Epiſtolis animi ſui characterem, avaritiam & pecuniæ cupiditatem, ut & alibi, clare ſatis aperuit. Edidit porro A. 1664 *Epiſtolam de quorundam difficultate in ſubſcribenda formula quinque Janſenii propoſitiones concernente*, & anno 1665 *Meditamenta de Cometa* eo tempore viſo, a quo excitatos apud pleroſque terrores valde extenuavit. In Angliam poſt id cum abiiſſet, *Itineris* iſtius *Deſcriptionem* evulgavit, ſed ſuo damno, quandoquidem juſſus eſt in exilium ire in urbem Nannetum, ex qua tamen paulo poſt fuit revocatus. Cauſam exilii ſunt qui referunt in Regem Daniæ, qui apud Galliæ Regem queſtus fuerit, quod ille de Ulefeldio Comite nimis libere quædam inibi ſcripſiſſet. Poſt mortem Alexandri VII Pontificis, in laudem Cardinalis *Roſpiglioſi*, cum quo literarum habebat commercia, Poematum collectionem publicavit, Romamque delatus anno 1667 *Clementis IX Iconem* delineavit, & Romæ etiam adhuc *Diſcurſum de transfuſione ſanguinis ex bruto in hominem.* Spe ſua vero valde deluſus, reverſus Lutetiam, *Volumen Epiſtolarum illuſtrium & eruditorum Virorum*

excudi fecit, in quibus potiſſimum & illas Cardinalis quondam Roſpiglioſi exhibuit. Mortem anno 1670. d.9. April. obiit, quam ex duplici hydrope cum animadverteret appropinquare, quatuor laudani grana ſumſit, ut ſenſus omnes ad ſufferendos agonis angores ſtupidos redderet. Manuſcripta Sorberius reliquit filio *Henrico* plurima, ex quibus ille quædam typis exſcribi curavit. *Sorberiana* verò, quæ concinnavit etiam hic, ad *æmulationem* Excerptorum ex ore Scaligeri, Perronii, Thuanique, latuerunt huc usque, nunc tamen lucem aſpicientia publicam. Poſſent *Epiſtolarum* ejusdem duo volumina in folio absque negotio etiam confici, præter varios Tractatus de rebus Theologicis, Medicis, Chronologicis, Rhetoricis & Grammaticis, quos poſſidet ille adhuc. Aliquot ante mortem annis cœperat vertere librum *Crellii* Sociniani, quem magni æſtimabat, *de cauſis mortis Chriſti*, & cœperat quoque *Hiſtoriam Eruditorum* ſcribere. Sed deſtitit propoſito; quemadmodum etiam neſcitur, quorſum devenerit Tractatulus ejusdem *de pace & concordia inter Chriſtianos conciliandæ*, ut & verſio libri anno 1637. impreſſi, ſub titulo: *Junii Bruti Poloni Vindiciæ pro Religionis libertate;* cujus autor tantum abeſt ut ſit *Hubertus Languetus*, ut ſit potius continuatio Tractatus *de Libertate Eccleſiaſtica* anno 1607. excuſi, cujus autor extra controverſiam omnem eſt *Caſaubonus*, ipſomet teſte *Epiſtolarum* ſuarum 539. editionis Hagenſis. Cæterum & alii eruditorum labores ut ederentur, proſpexit Sorberius, æſtimatus cohoneſtatusque plurimorum dedicationibus, ac notus doctis in Gallia, Anglia, Italia Germaniaque viris. Multa eum didiciſſe ex Curcellæo & Salmaſio, cujus vicinus fuerat Leydæ, Auctor obſervat. Præ aliis autem eruditis magni feciſſe ait Gaſſendum (cujus quoque vitam decreverat literis conſignare) Charronem & Montanum, & ex antiquis denique Galenum.

Brevior eſt Graverolus in vita *Johannis Baptiſtæ Cotelerii* recenſenda. Doctor hic erat Theologus, Sorboniſta, & Regius Græcæ Linguæ Profeſſor, vir profundæ eruditionis ſanctæque vitæ. Anno 1661. edidit quatuor *Joh. Chryſoſtomi*, velut ipſe putavit diverſa ab aliis ſentiens, *Homilias in Pſalmos* & *Explicationem Prophetiæ Danielis*, quæ ex manuſcripto Bibliothecæ Eſcurialis in Hiſpania, in quo Homiliarum 27. extant, translatæ ab *Gabriele de S. Hieronymo*, ſed negligenter, prodierant. Anno 1672 *Sanctorum Patrum*, qui Apoſtolico ſecu-

ſeculo floruerunt, *Opera* duobus in folio tomis excudi fecit, quorum magna pars, incenſis poſt id bibliopolæ Petiti ædibus, perierunt. Anno 1677 primum, anno 1681 alterum, & anno 1686 tertium Tomum *Monumentorum Eccleſiæ* Græcæ edidit. Fato eſt functus anno 1686. d. 12. Aug. ætatis 58. Vitam deſcripturus eſt doctisſimus Baluzius; quem tamen ignoraturum putat Graverolus, Cotelerium, ſæviente in urbe Nemauſenſi peſte, mortuaque nutrice, lactatum interim fuiſſe abs capra; unde arbitratur etiam eſſe, quod valetudine nunquam bona, & temperamento ad melancholiam propenſiore fuerit uſus. Maxima ejus manuſcriptorum pars illata eſt Bibliothecæ Regiæ, eaque inter IX volumina in fol. Item Excerpta ex Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, in locos communes cum annotationibus redacta, quales adornavit etiam in integrum S. Baſilium & Euſebium. Tum exſtat quoque ingens Notarum volumen in Concilia generalia & particularia, & præter has adhuc Obſervationes ſacræ magna cura elaboratæ; & porro ſcripta quædam, quæ parabat inſerere *Tomo* Monumentorum *quarto*. Ac denique volumen parvum continens *varias lectiones* & reſtitutiones *Homiliarum S. Chryſoſtomi in S. Paulum*, quod repererat Cotelerius in Bibliotheca Tuſani.

Cæterum ex *Sorberianis*, quæ præ manibus nunc habemus, in quibus ſermo Gallicus Latino miſcetur, hæc præ cæteris viſa nobis fuerunt *ἀξιομνημόνευτα*. Pag. 3. agitur de Academia *Æmulatorum* in urbe *Avenione*, cui ipſe fuerit addictus Sorberius. Pag. 29. 30. *Joh. Beverovicii* epiſtolica quæſtio de vitæ termino fatali, indignisſima lectu judicatur, quemadmodum & p. 32. ſeq. ſtylum *Balſacii* exiſtimat Sorberius nemini prodeſſe, niſi ei, qui ſit Balſacio ſimilis. Pag. 40. refertur, *Barlæo* Elogium Cardinali Richelio ſcriptum quinque florenorum millibus repenſum fuiſſe, ſed eundem tamen habuiſſe intervalla quædam minus lucida, nec abfuiſſe conjecturam oculorum, qui non bene ſanam cerebri particulam indicaverint. Pag. 48. allegantur *Calvini* verba, quæ extent in epiſtola nondum edita, ſed cujus autographum Lutetiæ viderit Hugo Grotius: *Audio Servetum huc venturum, ut mecum conferat; ego, ſi quid apud Magiſtratum poſſum, faciam, ut nunquam vivus abeat*. Pag. 57. in *Campanellæ* libro, cui titulus, *Atheiſmus triumphatus*, legendo omnem ſe male operam perdidiſſe dolet, & unum id didiciſſe, nullum alium ejus autoris librum

unquam ſibi legendum, ſi tempori velit parcere. Nec æquius ſentit p.61.62. de *Joh. Amos Comenio*. Pag. 87. Eraſmi fide narratur, a *Panaceo* Medico celeberrimi nominis Phylarium quendam ſanatum, qui ex vermibus in novum maniæ genus incidens, in morbo probe *Teutonice* fuerit loquutus, cum tamen ſibi redditus nec loqui potuerit Teutonice, nec intelligere. Pag. 99. de animæ ortu in homine ſuam his verbis ſententiam aperit Sorberius: *Fortaſſe abſurdum non ſit, ſemini vitam tribuere. Certe & ego aliàs ſomniaveram, animulam geniti nihil eſſe aliud, quam portiunculam animæ ſui genitoris: tametſi ſemper rationalem excipiebam animam, utpote fide ſacra dictante illam non traduci, ſed a Deo ſolo ex nihilo ductam infundi in corpus.* Pag. 101. dicitur, autorem Tractatus anonymi: *Les nouvelles penſées de Galilée*, anno 1639 impreſſi, eſſe P. *Merſennum*, e Minimis. Pag. 125. ridicula *Manaſſis Ben Iſrael* cautio allegatur, quod cum aliquando ab Epiſcopio in diebus præparationis ad ſuperius Paſcha invitaretur cyatho vini, excuſaverit ſe propter cyathum cereviſiæ propinandæ inſervire ſolitum, in quo reſidua poſſet eſſe atomus quædam fermenti. Pag. 189. Scaligeriana Hagæ Comitum anno 1668 edita putat opus non eſſe fratrum Puteanorum, quippe qui cum Scaligero, jam fatis functo, cum illi venirent in Hollandiam, verſati non ſint; potius ea credit compilata vel a Puteanorum patre, vel a *Johanne Vaſſano a S. Paulo*, Monacho Fulienſi. Pag. 199. prolixe arguitur *Salmaſius*, quaſi convitiorum in eruditos jactator importunus, & pag. 210. optatur, ut quis vitam *Scarronii* Poëtæ Gallici memorabilem prorſus velit literis mandare; ac refertur tandem pag. 229. *Voſſium* patrem Bibliothecam 24000. librarum habuiſſe.

In *appendice* annexa eſt anno 1690. menſe Novembri conſignata abs memorato ſupra Graverolo Commentatio in *Epulas ferales*, ſive Fragmentum Nemauſenſe.

EXPLANATIO VITÆ S. GUILIELMI Magni, conſcriptæ olim per B. Albertum, ejus Diſcipulum. Auctore R. P. Guilielmo de Waha, Melreuſio, e Societate JEſu.

Leodii, apud Guilielmum Henricum Streel.
Anno 1693. in 12. plag. $19\frac{1}{2}$.

Ex Mar-

EX Martyrologii Romani præſcripto ad decimum Februarii diem annuis honoribus afficitur quidam Guilielmus, cognomento Magnus, qui e Pictavis oriundus, ex bellatore factus anachoreta loricatus, vitæ deinceps ſanctimonia, miraculis, ac incepto religioſo Ordine eximium nomen adeptus fuiſſe, ſeculoqne duodecimo mortem obiviſſe commemoratur. Hunc Aquitaniæ Ducem Guilielmi nomine ultimum conſtitui communiter obſervat Auctor, qui paulo curatius ejus vitam ſibi expendendam ſumſit; uſus hanc in rem libello ſimilis argumenti, quem ab Alberto, Guilielmi diſcipulo, elaboratum, & a ſe primum e MSto productum affirmat. Ipſe vero in quinque libros digeſſit, quæcunque ad hunc Sanctum pertinere ratus eſt. Ac *primum* quidem ſtatim auſpicatur ab expoſitione Hiſtoriæ illuſtris illius controverſiæ: an S. Guilielmus Magnus, anachoreta & Ordinis Guilielmitarum conditor, fuerit ille Guilielmus, Aquitaniæ Dux & Pictavienſis Comes, quem S. Bernardus a ſchismate ad Eccleſiæ obedientiam revocarit? Affirmativæ autem ſententiæ propugnatorem præcipuum facit Theobaldum, quem Jo. Molanus ſanctitate & doctrina conſpicuum, & Laur. Surius Epiſcopum appellet, ſectandumque ſibi in hoc negotio ſtatuerit Baronius; qui poſtea tamen de ipſius auctoritate valde dubitarit, cum Francofurti A. 1606. prodiiſſet Hiſtoria Ludovici VI Francorum Regis, a ſcriptore, Guilielmo Duci coævo, Sugerio, S. Dionyſii Abbate, confecta, & in aliam longe opinionem Lectorem deducens. Ulterius dehinc diſputationem extendiſſe Franc. Ducheſnium & Johannem Beslyum, quorum ille Theobaldo, hic Sugerio adhæſerit. Nec defuiſſe notat utrique ſententiæ alios aſſeclas, quos itidem enumerat, ſecula a duodecimo ſingula perluſtrans, &, quæ unusquisque in ſuam ſententiam allegarit argumenta, exponens; ubi imprimis motæ contra Theobaldi antiquitatem objectiones referuntur. Libro *ſecundo* ea recenſet, quæ de Guilielmo Duce tradiderunt Hiſtorici, qui eum anno 1137. mortuum dicant, aut certe ſupervixiſſe poſtea, & vel anachoretam vel ſanctū fuiſſe, non meminerint. Poſtquam enim undecim Guilielmos, Aquitaniæ Duces, nominavit, ultimi illius vitam integram delineat, & poſt plura alia eo pertinentia iſtud etiam commemorat, quod exſurgentibus Innocentio II & Anacleto Anti-Papis, ab initio a partibus prioris ille ſteterit, ſed non multo poſt ſuaſu Girardi, Epiſcopi Engoliſmen-

ſis, eum deſeruerit. Laboraſſe autem imprimis Bernardum Claræ-vallenſem, ut eum ad obedientiam Innocentio præſtandam tempeſtive revocaret; ipſum tamen, licet ſemel pœnitentiam egiſſet, ad mentem priorem rediiſſe. Motum denique de ipſius obitu, qui ei in Hiſpania contigerit, rumorem adducit, in medio adhuc relinquens, utrum vanus ille tum an maxime fundatus fuerit. Interim Libro *tertio* vitam Divi Guilielmi, prout ea ab Alberto, ejus diſcipulo, deſcripta ſit, ad eum modum inſerit, ut ad ſingulas ferme periodos oſtendat, quid vel Theobaldus, vel antiqua Auguſtinianorum quæ vocant Officia exinde ſumſerint. Hinc progreditur ulterius, & Libro *quarto* ea recenſet, quæ Theobaldus operi Albertino in ſua Hiſtoria e collectaneis aliorum priorum vitæ ejusdem Scriptorum addidit; ubi, quomodo hæc cum ſuperioribus a ſe Libro II. allatis conveniant, aut iis adverſentur, ſubinde monet, & omnium prolixiſſime traditam Guilielmi Magni ad vitam anachoreticam converſionem enarrat, nec ea omittit, quæ poſt eandem innotuiſſe credantur, ſanctitatis ejus monumenta ſingularia, atque Ordinis præcipue Guilielmitarum inſtitutionem ab eo profectam fuſius delineat, & hæc, quæ ab aliis de Guilielmo Duce, ab aliis de Guilielmo Magno memorentur, ita ſibi neutiquam adverſari ſtatuit, ut in unum hominem quadrare nequeant. Quemadmodum itaque hoc pacto Theobaldi ſententiam haud obſcure amplectitur, ita latius ſimul exponit, quare ipſi illi Auctores, qui Theobaldum ſecuti, Guilielmum Ducem Aquitaniæ pro eodem cum Magno habeant, nihilominus tamen multa ab iſtius narratione prorſus aliena ſcriptis ſuis immiſcuerint? Et tandem Libro *quinto* iſtam primum controverſiam: cui Ordini addictus Guilielmus fuerit? examinat: ubi eum nec Auguſtinianum, nec Benedictinum, ſed nulli omnino regulæ adſtrictum fuiſſe monet; quippe qui omnem regulam morum gravitate & vitæ puritate ſupergredi ſtuduerit. Mox Theobaldum a motis contra eum Sugerianorum objectionibus vindicat, & hanc imprimis, quod is Guilielmum Ducem poſt Compoſtellanam peregrinationem ſupervixiſſe, contra Hiſtoricorum coævorum auctoritatem pronunciarit, enervare annititur. Atque ita in repetito de controverſia primaria judicio, Theobaldinis palmam tribuendam videri aſſerit, uſque dum Sugeriani hodierni abs ſe hactenus allata ſolide diſcuſſerint.

TOBIÆ

Digitized by Google

TOBIÆ PFANNERI OBSERVAtiones Eccleſiaſticæ.

Jenæ apud Joh. Bielkium, 1694. in 12. Alph. 1.

TRactatum nobiliſſimi hujus Autoris *de Catechumenis* in Actis noſtris Cal. Jun. A. 1688. retulimus. Nunc ejusdem *Obſervationes Eccleſiaſticas*, inſigni eruditionis ſacræ & profanæ apparatu inſtructas recenſebimus.

Primum illarum caput de *idolothytis, ſanguine* & *ſuffocato* agit, quorum uſum decreto Apoſtolico Chriſtianis interdictum Lucas Act. XV, 29. memorat. Occaſionem illius decreti dum celeberrimus Autor exponit, nonnulla de jure Noachidarum, & Proſelytis, ex Seldeno adducit. Poſtea varia idololatriæ & ſacrificiorum genera, nec non morem e ſacrificiis veſcendi, partem aliquam pecudis mactatæ Diis conſecrandi, epulas ſacras nunc domi, nunc in ipſis idoleis celebrandi, exta rebus divinis in templo perpetratis domum deferendi, vel in privatis ædibus decerpendi & in focum porriciendi, aliosque ritus enarrat. Cum vero Apoſtolorum præceptum de idolothytis vitandis generale ſit, & juxta JCtos lege non diſtinguente nobis quoque diſtinguere integrum non ſit; hinc nullum idolothytorum genus eſſe judicat, quod Apoſtolica illa conſtitutione Chriſtianis permiſſum fuerit. Et hanc ab omnibus idolothytis abſtinentiam, ad vitandam Judæorum offenſionem, neceſſariam fuiſſe notat, cum ne vinum quidem cum Gentilibus bibere Judæis licitum, ſed ne forte idolorum cultores Diis illud libaverint, verendum fuerit. Porro hanc ab idolothytis abſtinentiam, in Apoſtolico concilio ſancitam, etiam poſt Apoſtolorum ætatem in uſu eccleſiis fuiſſe, Tertulliani, Minutii Felicis aliorumque teſtimoniis confirmat. Cæterum, cum Apoſtolus Paulus 1. Cor. X, 19. ſq. ſacra, quæ Gentiles Diis ſuis faciebant, Dæmonibus fieri pronunciet, ideoque eos, qui idolothytis fruuntur, nefandæ cum Dæmonibus communionis arguat, & tamen paulo poſt v. 23. ſq. idolothytorum uſum non ſimpliciter illicitum dicat, & 1. Cor. VIII, 7. & ſq. peccatum eorum, qui de idolothytis participant, vel ex dubia participantium conſcientia, vel imprimis ex aliorum, qui viderint, offenſa metiatur; quæſtio oritur, num idolothyta ex ſe & natura ſua, an tantum ſcandali ratione ſint illicita?

Com-

Commodiſſima autem ratio hoc dubium, quo animum ſuum aliquando in varias partes agitatum non diſſimulat, ſuperandi clariſſimo Autori hæc videtur, ſi dicamus,dapes a Gentilibus conſecratas, ſeu potius profanatas, ad ſuam naturam munerisque divinitus conceſſi conditionem rediiſſe, quando, iis veſcentes, animum a ſacrificio averſum ita teſtarentur, ut neque Gentilibus hanc idolothytorum comeſtionem a Chriſtiano factam in Deorum ſuorum honorem obſequiumque trahere liceret, neque ab offenſa aliorum periculum metuendum eſſet: ſiquidem legis Apoſtolicæ ratio unice ferme in eo poſita fuerit, ne Chriſtianæ libertatis abuſus cuiquam ſcandalo eſſet; ideoque hac ratione ceſſante, legem ipſam ceſſaſſe, & eccleſiæ praxis & Apoſtolus Paulus docuerit. Imprimis autem idolothyta periculo caruiſſe notat, quoties in privatis ædibus convivia inſtruerentur,& Chriſtiani ad illa acciti,nihil de ſacrificio & libatione ſciſcitantes,epulis velut puris & nulla ſuperſtitione temeratis fruerentur; qua cautione obſervata, etiam carnes quascunque ex macello emere, emptasque Chriſtianis, ſine ulla impii cultus ſuſpicione aut offenſæ metu, edere licuit; cum per ſacrificia Gentilium carnes bonitatem ſuam non ita perdidiſſe exiſtimari debeat, ut ad uſum a Conditore conceſſum adhiberi amplius non potuerint, dummodo animis eorum, qui cibis illis fruebantur, omnis impii cultus approbatio, & eorum, qui comedentibus aderant, omnis ſiniſtra opinio evulſa fuerit. Ab idolothytis Autor ad ſanguinem & ſuffocatum progreſſus inquirit, cur ſtatim poſt diluvium hominibus abſtinentia a carnibus adhuc in ſanguine viventibus injuncta fuerit, cum homines, ſi pauci animo & guſtu pariter corrupti excipiantur, a carnibus adhuc in ſanguine ſuo fluitantibus ſponte ſe contineant, adeoque hoc præcepto minus opus fuiſſe videatur? Variis autem de ratione hujus interdicti ſententiis adductis, eorum conjecturam probat, qui avertendæ & coercendæ humanæ cædis cauſa hanc legem a Deo latam opinantur; cum haud difficulter æſtimare liceat, quanto in pretio humanus ſanguis apud Deum habeatur, qui pecuini etiam ſanguinis rationem habuit. Quamvis autem Moſes proſelytis domicilii Deut. XIV, 21. ſuffocatorum & morticinorum uſum permiſerit,quem Iſraelitis & proſelytis juſtitiæ interdictum voluit, Apoſtolos tamen in decreto ſuo ſuffocatum non minus quam ſanguinem prohibere animadvertit

madvertit, idque decretum per multa ſecula in eccleſia obſervatum probat, & Græcos ſive Apoſtolici decreti autoritate, ſive legis a Leone Imperatore latæ ſeveritate, ſive conſuetudinis priſtinæ amore, ſive odio in Romanam eccleſiam tales cibos admittentem ſtimulatos, ne nunc quidem ſanguinem & ſuffocatum averſari deſiiſſe docet. Eo autem imprimis conſilio hanc legem conditam obſervat, ut Gentiles in eccleſiam cooptati eo facilius cum Judæis coaleſcerent; ideoque mutata jam rerum atque temporum facie, laxiorem & infrequentiorem edicti illius uſum eſſe, quamvis ne nunc quidem Chriſtiano liceat fratrem cæleſtium munerum participem, quem qualicunque abſtinentia a ſcandalo ſervare poterat, inconſulta gulæ intemperantia perdere, ſed toties legi Apoſtolicæ autoritas ſua conſtet, quoties rationi cui illa innititur, locus relinquatur. Sub finem hujus obſervationis non minus eos improbat, qui pro botulis ac farciminibus tanquam pro aris & focis pugnant, & libertatis Chriſtianæ periculum, ipſiusque eccleſiæ ruinam minitantur, niſi quemlibet ſanguine & ſuffocato impleri permittatur, quam eos, qui cibos a ſe improbatos aliis quoque interdicere non verentur. Hos enim dum ex judicii ſui fragilitate cæteros metiuntur, omnium rectius ſentientium irriſu merito damnari judicat.

Secunda obſervatio de *Sacrificatis* & *Libellaticis* agit, nec non de illis, qui perſecutionem aut pretio aut fuga evaſerunt. Hanc obſervationem ab illorum recenſione auſpicatur, qui fidem Numini ſalvam præſtari poſſe cenſuerunt, etſi ore avertendi periculi cauſa abnegetur, modo animo illibata ſervetur; e quorum numero producit Simonianos, Menandrianos, Baſilidianos, Helceſaitas, & univerſam Gnoſticorum colluviem, nec non Priſcillianiſtas, Henricum Nicolai, Valentinum Weigelium, Filliucium & Hobbeſium. Non ipſum latuit, etiam Vigilantio hanc ſententiam ab Hieronymo impingi; verum noverat, Hieronymum non aliam ob cauſam Vigilantio hunc errorem tribuere, quam quia homines glorioſa morte defunctos Deorum fere in morem venerari detrectaret; ideoque Vigilantio facilius fuiſſe judicat, hanc conſequentiam declinare, quam Hieronymo affectibus ſuis indulgenti, & cauſas cumulandæ in adverſarium invidiæ conquirenti, ſe a ſuſpicione calumniæ tueri. Hinc ad lapſos primitivæ eccleſiæ progreſſus, parcius de Sacrificatis,

paulo

paulo fuſius de Libellaticis diſſerit, tandemque hos illis levius peccaſſe cum notaſſet, eos, qui ſæviente perſecutionis tempeſtate vel nummorum pretio ſecuritatem a tormentis ſibi compararunt, vel fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt, perperam a Tertulliano violatæ fidei argui probat, etſi aliquando fugam flagitioſam & defectioni proximam eſſe non diſſimulet.

Tertia obſervatio circa *Traditores* verſatur, qui tempore perſecutionis ſacra vaſa & ipſos S. Scripturæ codices magiſtratui gentili dira minitanti comburendos tradiderunt. Hac occaſione Autor canonem quendam concilii Arelatenſis de traditoribus agentem explicat, & cum canon ille contra Donatiſtas conditus fuerit, hiſtoriam originis Donatiſtarum breviter exponit. Poſtremo inquirit, tantine criminis loco habendum fuerit, ut vitam redimas, vaſa ſacra aut libros etiam ſacros tradere? Et vaſa quidem ſacro cultui deſtinata vitæ poſthabenda, nemini forte incongruum videbitur. De libris ſacris difficilius videtur judicium. Neque tamen Pfannerus noſter Optato Milevitano aſtipulatur, qui traditionem ſacrorum codicum adeo deteſtatus eſt, ut æternæ vitæ damno incertæ lucis moras lucratos dicat, qui facinus tale perpetrarunt. Obſervat enim, Optatum vel non ex animi ſententia hæc dixiſſe, vel ſaltem poſtea in mitiorem ſententiam tranſiiſſe, cum alibi talem Traditorum fuiſſe culpam ſcribat, quæ veniam potius & clementiam, quam ſeveritatis rigorem mereatur. Unde etiam juſto acerbius fuiſſe cenſet Lutheri judicium, qui tom. 2. Jen. Germanic. Evangelicos in Miſnia, Bavaria & Marchia Brandenburgenſi, ne Tyrannis, quos vocat, novi fœderis codices præfectis offerre jubentibus, obſequium præſtarent, monuit, & æterna ſupplicia iis, qui contra facerent, comminatus eſt, non minoris illos parricidii reos exiſtimans, quam ſi Chriſtum Herodi occidendum tradidiſſent. Hominum autem traditores, qui vel ſponte, vel quæſiti alios proditione ſua in certiſſimum diſcrimen adducunt, ſcelere minime carere aſſerit. Cujus rei gratia exempla quorundam Gentilium adducit, qui vitæ periculum ſubire, quam tali perfidia conſcientiam ſuam & famam polluere maluerunt, neque dubitat pleroſque veterum Chriſtianorum ſanctius amicitiam coluiſſe, quam ut ſanguinem ſuum alterius exitio redimendum judicaverint.

Obſervatione *quarta coronas* olim Chriſtianis prohibitas docet

Digitized by Google

cet, cauſas, cur Chriſtiani capita ſua coronis inſignire detrectaverint, recenſet, easque ſolido fundamento deſtitui animadvertit, & tandem ab iſto prioris ævi rigore ſequentium ſeculorum Chriſtianos deflexiſſe notat. Cum autem inter præcipuas cauſas, ob quas Chriſtiani veteres oculos & nares florum ſuavitate paſcere contenti, coronis capitum abſtinuerint, illa fuerit, quod coronæ apud Gentiles frequentes fuerint, & e Gentiliſmo ortum traxerint, hinc de vario coronarum apud Gentiles uſu, ac eo imprimis, qui in Deorum cultu, funeribus & comeſſationibus adhibitus eſt, nec non de ritu Φυλλοβολίας, quo vivis amorem ſuum teſtari ſolebant, nonnulla diſſerit.

Quinta diſſertationis argumentum in *unguentis* occupatur, quorum uſum Chriſtianis olim prohibitum doctiſſimus Autor calculo ſuo approbare non poteſt. Non diffitetur, Gentiles unguentis ad luxuriam, potum aliaque mala abuſos; qua occaſione etiam ritum lapides regendis & diſtinguendis finibus poſitos ungendi, unguentisque delibutos colendi tangit, quem morem prava imitatione ex Jacobi exemplo hauſtum cum Bocharto aliisque ſtatuit. Quamvis vero etiam Eſſæi apud Judæos & apud Gentiles Lacedæmonii unguentorum uſum proſcripſerint, neque quisquam fere apud Ethnicos ſcriptores unguentis delibutus occurrat, præter molles & impuris voluptatibus addictos, ſimpliciter tamen unguentorum uſum prohibere Chriſtianos non debuiſſe monet, cum Reges, Sacerdotes & Prophetas unctione ad officium ſuum inaugurari Deus ipſe juſſerit; & Chriſtus etiam inter jejuniorum auſteritatem faciem ungi, & hac ratione ad quandam hilaritatis ſpeciem componi præceperit, & piæ quædam fœminæ Chriſti menſæ accumbentis caput & pedes unxerint. Miratur, veteres quosdam ſcriptores tantam auſteritatis diſciplinæ libidinem invaſiſſe, ut manifeſta Scripturæ dicta & exempla ſententiæ ſuæ adverſa cavillando eludere, quam unguenta Chriſtianis permittere maluerint. Quorſum refert illud Clementis Alexandrini, qui mulierem illam, quæ Chriſti pedibus non unguentum modo, ſed & lacrimas affudit, verbi nondum participem, ſed adhuc peccatricem fuiſſe reſpondet.

Cum autem flores & unguenta Chriſtianis ſorduerint, miratur Autor in obſervatione *ſexta*, quod a *balneis* & *lotionibus* non abſtinuerint, quibus Gentiles ad ſuperſtitionem, luxuriam & molli-

Digitized by Google

tiem abuſos abunde conſtat. Varia autem lotionum genera apud Chriſtianos viguiſſe notat. Incipit a ritu pedes hoſpitum lavandi, quem pluribus veterum teſtimoniis confirmat. Obſervat, publica ſponſione hoc officium baptizandos promiſiſſe; imprimis monachos in lavandis hoſpitum pedibus ſedulos fuiſſe; ſucceſſu temporis, caritatis & humilitatis ſtudio indies tepeſcente, pleroſque Chriſtianos, imprimis lautioris fortunæ, faſtidium tam vilis operæ ſubiiſſe, & præterea officium, quod hactenus, quavis occaſione data, præſtitum fuerat, ad certum tempus reſtrictum, & imprimis diem Viridium huic ſolennitati deſtinatum fuiſſe, eoque tandem hunc ritum deveniſſe, ut fere a Regibus tantum ac Principibus, aliiſque qui parem his fortunam æmulantur, hodie uſurpetur. Nec ſilentio prætereundum exiſtimat, quod olim in eccleſiis nonnullis pedum lotio cum baptiſmo conjuncta fuerit, hodieque Mennonitæ priſcam ſanctimoniam affectantes pedum lotionem Sacramenti ferme loco habeant. Quæ de religione illotis manibus neque preces fundendi, neque Euchariſtiam accipiendi, neque evangelia contrectandi, nec non de lotione poſt concubitum referuntur, brevitatis ſtudio omittimus, ut ad *ſeptimam* eamque ultimam obſervationem accedere liceat.

In ea *ludos* Chriſtianis merito prohibitos probaturus, quanta infamia, quotquot Scenicis, Circenſibus aliiſque hujuſmodi ludis exercendis operam ſuam addixerant, apud ipſos Gentiles laboraverint, oſtendit. Deinde quam exoſi & inviſi Gentilium ludi eorumque actores Chriſtianis fuerint, exponit, veterumque ea de re teſtimonia ætati noſtræ commendanda exiſtimat, quæ ludorum, & eorum imprimis qui Operarum nomine vulgo gaudent, tanta cupidine agitatur, ut eos ſalutis ſuæ negligens, etiam calamitate publica Germaniam noſtram urgente, non omittat. Poſt adducta contra ludos plurima & Patrum dicta & Conciliorum decreta, argumenta, quæ pro ludorum ſpectandorum licentia proferri ſolent, Tertulliani imprimis ductu refutat; quo prætextu ſub Imperatoribus Chriſtianis licentia iſta conceſſa, & quam graviter a Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo, Salviano aliiſque objurgata fuerit, commemorat, illamque Patrum contra ludos ſeveritatem eo minus mirandam eſſe notat, cum ne choreas quidem & ſaltationum licentiam permittere ſuis voluerint; quod Patrum nonnullorum autoritate probat, obſervans quod in

nupti-

communicavit.

Marmor hoc dicit habere figuram, quam Mathematici vocant TAB. IV.

Digitized by Google

ne choreas quidem & ſaltationum licentiam permittere ſuis voluerint; quod Patrum nonnullorum autoritate probat, obſervans quod in nupti-

Digitized by Google

nuptiarum ſolennibus etiam apud Chriſtianos ſcorta publica & ad omnem licentiam venalia inducta fuerint, cum honeſtæ virgines a ſaltandi laſcivia abſtinuerint. Quem ritum Germanorum proverbio illuſtrat, qui, ubi virgines deſunt, cum meretricibus ſaltandum eſſe dicunt. Publicis quoque eccleſiæ legibus ſaltationes Chriſtianis interdictas fuiſſe, ex Laodiceno, Antiſiodorenſi & Agathenſi concilio probat. Et quamvis noverit plures noſtratium Theologorum, & ipſum Lutherum rigorem iſtum improbaſſe, minime tamen ab eorum ſententia diſcedere veretur, & tandem choreas Eſſenorum a Philone in libro de vita contemplativa deſcriptas Chriſtianis commendat.

RAGIONAMENTO INTORNO D' UN' Antico Marmo diſcoverto nella città di Pozzuoli.

Hoc eſt:

Diſquiſitio circa antiquum marmor, quod repertum nuper eſt Puteolis; Auctore ANTONIO BULIFONIO.

Neapoli typis Joſ. Roſelli, 1694. in 12. pl. 3.

Cum menſe Decembri anni proxime elapſi 1693, a fratribus familiæ Migliarenſis, Puteolis ad adornandam ſuo in ædificio cellam oleo conſervando idoneam ſolum excavaretur, referebatur eminentiſſimo Archiepiſcopo Neapolitano, pulcherrimum marmor repertum fuiſſe, cum multis ſtatuis in eodem expreſſis. Qua occaſione factum eſt, ut Vir curioſiſſimus pariter atque diligentiſſimus ANTONIUS BULIFONIUS, cujus Memorabilium Literarum partem ſecundam atque tertiam proxime recenſituri ſumus, Puteolos ſe conferret, rem ipſam ſuis perluſtraturus oculis; quod cum ſecunda vice feciſſet, aſſumſiſſe ſecum memorat pictorem præſtantiſſimum *Jacobum Padanum*, ut exactiſſime marmor iſtud delinearet; quam effigiem nunc ipſe Bulifonius, ſed docta explicatione elucidatam, cum orbe erudito communicavit.

Marmor hoc dicit habere figuram, quam Mathematici vocant paralle- TAB. IV.

parallelopipedam, longitudine palm. 7. & latitudine æquali altitudini palm. 4. & unciarum $7\frac{1}{2}$.

A facie priore, quam offert, hanc inſcriptionem continet:

TI. CÆSARI DIVI
AVGVSTI F. DIVI
IVLI N. AVGVSTO
PONTIF. MAXIMO COS. IV.
IMP. IIX. TRIB. POTESTAT. XXXII.
AVGVSTALES
RESPVBLICA
RESTITVIT.

Circa Inſcriptionem iſtam obſervantur ſtatuæ numero quatuordecim uno cum puerulo. Licet vero diuturnitate temporis male admodum habitæ videantur, ſatis tamen adhuc oſtendunt, ipſas a peritiſſimo artifice eſſe fabrefactas. Unaquæque iſtarum ſuum nomen gerit ad pedes, ſignumque aliquod aut hieroglyphicum; quamvis qualia ipſa ſint, diſcerni non ſemper poſſit. Ubi non opus eſſe putamus, ut omnium, quæ in delineatione marmoris hujus occurrunt (quod a *Diſquiſitionis* ipſius Auctore factum eſt) recenſum inſtituamus; cum quæ *Buliſonii* hac de re ſententia ſit, ipſe pro ſua in rebus antiquis perſpicientia in effigie ipſa ſub ſtatuis, ubi res poſtulat, addiderit. Potius erit, occaſionem, qua marmor hoc erectum ſit, & quid ſibi velit *Inſcriptio*, ex mente Auctoris ediſſerere. Exiſtimat igitur *Buliſonius*, Romam ipſam erexiſſe hoc marmor in honorem Tiberii Imperatoris, ut monumentum poneret ingentis beneficii, quod ipſe multis Aſiæ minoris civitatibus horrendo terræ motu concuſſis atque labefactatis exhibuerat; cum non tantum easdem a tributis in quinque annos levaſſet, ſed & propriis ſumtibus easdem, fœde ſeſe habentes, reſtituiſſet, miſſo M. Aleto e Prætoriis, qui reſtaurationi invigilaret. Cumque hoc tempore ipſe Imperator in Campania eſſet, Romam ipſius in honorem ludos Auguſtales, hactenus intermiſſos, reſtituiſſe. Neque dubitari hac de explicatione poſſe, tum quod *Roma* tum temporis nomen adhuc *Reipublicæ* gereret, licet in Principatum redacta fuerit; tum quod ingens *terræ motus* revera circa iſtud tempus, quod in inſcriptione exprimitur, contigerit, teſtantibus id Auctoribus variis, *Tacito* imprimis atque *Strabone*; tum quod *Statuarum*

nomina

Digitized by Google

nomina civitatibus oppreſsis conveniant; tum denique, quod *Roma* ipſa hoc beneficium non tantum decantaverit, cuſa etiam moneta, cum verbis: CIVITATIBVS ASLÆ RESTITVTIS, ſed & *Auguſtales ludos* in honorem *Tiberii* per *Campaniam* tunc *abſentis* reſtauraverit; quæ omnia citatis in rem Auctoribus idoneis ulteribus confirmat.

LA VIE DE PIERRE DU BOSC,

hoc eſt.

Vita PETRI BOSCHII, Sancti Evangelii Miniſtri; cum ſubjunctis Literis, Orationibus, Diſſertationibus aliisque majoris momenti opuſculis, ad Sanctam Theologiam & Eccleſiam Reformatam in Gallia ſpectantibus.

Roterodami, apud Regnerum Leers, 1694. in 8.
Conſtat Alphabeto uno & plag. 16.

Virorum de Eccleſia optime meritorum ſancta ſemper atque æterna in animis hominum vigere debet memoria, non tantum, ut poſt ſuprema etiam fata gravisſimorum laborum, quos pro communi ſalute vivi ſuſceperant, præmium ferant; ſed ut poſteri etiam habeant, quos de Eccleſia bene merituri intueantur, ac in exemplum ſibi proponant. Cum itaque de Eccleſia Reformata in Galliis, quamdiu res ejus in regno ampliſſimo ſtetere adhuc, præclarisſime poſt Claudios, Allixios, Basnagios meritus ſit PETRUS BOSCHIUS, Eccleſiæ Cadomenſis Miniſter, bonum opus adminiſtravit Vir doctiſſimus *P. Le Gendre*, BOSCHII gener, quum poſt mortem ſoceri egregii, quæ paucis abhinc annis contigit, ejus memoriam Vitæ BOSCHIANÆ Deſcriptione conſecraret veluti, & ad poſteros transmitteret; neque nos facere poſſumus, quin rerum duntaxat ſummam ſecuti, pauca quædam ex libro præclaro Actis his literariis inſeramus.

Ergo in *Vitæ BOSCHIANÆ Deſcriptione* refertur, BOSCHIUM in urbe Bajocasſina provinciæ Normanniæ lucem adſpexiſſe d. 21. Febr. anno 1623. patre *Guilielmo Boſchio*, in Parlamento Rothomagenſi

genſi Advocato editum. Succedentibus annis cum animum ad ſtudia ſectanda applicuiſſet, eum Montalbani & Salmurii per aliquot annos egiſſe, cumque mature præclariſſimæ indolis oſtentaſſet igniculos, anno 1645. d.17. Decembr. ad munus eccleſiaſticum anno ætatis vigeſimo tertio Cadomi electum atque ordinatum, magnoque illi *Samueli Bocharto* Collegam datum fuiſſe. Cum vero Eccleſia Cadomenſis in toto regno una fuerit ex præcipuis, non deeſſe potuiſſe occaſionem *BOSCHIO*, qua hominum illuſtrium & maximorum favorem ſibi conciliaret; cum non in ſuggeſtu ſacro tantum, ſed & in quocunque negotio opera ejus fuerit adhibita, ſe dederit feliciſſime. Et quod primum quidem Eccleſiæ ſuæ nomine ipſi injunctum fuerit, ad Longavillæam pertinuiſſe, ad quam oratione excipiendam cum miſſus fuiſſet, tam decore hoc munere perfunctum eſſe, ut Ducem ipſum allocutione iſtac clementiſſimum ſibi reddiderit. Poſtmodum, cum ad perfecti oratoris ſacri laudem adſpiraviſſet, eum anno jam 1658 Charentonum vocatum, ſed tanto amore ſuam eccleſiam proſecutum fuiſſe, ut ab ea abſtrahi nullus plane potuerit, quamvis ipſe Mareſchallus Turennius aliique viri principes, ac imprimis Peliſſonius, partibus Reformatorum adhuc tum addictus, ſcriptis ad eum literis, id ut faceret, auctores ei fuerint. Quod & deinceps ſemel atque iterum factum ſit, Duce Schombergio, Jo. Claudio aliisque viris illuſtribus mutationem hanc ipſi ſuadentibus, quamvis hæc omnia effectum ſperatum ſontica ex cauſa, quam diximus, non habuerint. Cum A. 1660 Carolus II. Angliæ Monarcha in regnum reſtitutus fuiſſet, BOSCHIUM & in hujus gaudii ſocietatem veniſſe, ſcriptis etiam ad *Brevintum* Regis Capellanum literis, hic ab Auctore Vitæ hujus allegatis, in quibus, quæ ſibi de Epiſcopis ſedeat ſententia, declaraverit; de qua tamen Presbyteriani conqueſti fuerint. Cæterum tantas BOSCHII virtutes clerum Romanum tolerare æquo animo non potuiſſe, indeque anno 1664. d. 2. April. Cabillonum in exilium proficiſci eum ab Aula juſſum eſſe, quaſi qui de confeſſione auriculari contemtim paulo locutus fuiſſet. Sed has falſiſſimas fuiſſe calumnias, ipſum BOSCHIUM, per Pariſios iter habentem, *Tellerio* Regis Cancellario abunde demonſtraſſe, & Miniſtros reliquos, quin & Regem ipſum demum agnoviſſe. Nihilominus usque in menſem Octobrem exulare ab Eccleſia ſua coactum fuiſſe, usque dum precibus multo-

multorum Principum interpoſitis, cum & inſuper morbo correptus fuiſſet, d. 15. Octobr. regiis literis liberam redeundi poteſtatem accepiſſet, ubi maximo cum gaudio Cadomi fuerit exceptus; ſed ne tum quidem quieto ipſi eſſe licuiſſe, Jeſuitis inſidioſis captiunculis ipſum involvere tentantibus, atq; conſilia ejus & actiones omnes ſolerter, ſed fruſtra, obſidentibus. Cum vero porro perſecutiones in Gallia Eccleſiæ Reformatæ invaluiſſent, BOSCHIUM imprimis fuiſſe repertum, quem Lutetiam mitterent, cauſam afflictæ atque perturbatæ Eccleſiæ peroraturum, quam licet ſollicite ſemper atque prudentisſime egerit, a Miniſtris tamen ultra verba fere nihil eum reportaſſe. Atq; hic memorabile eſt illud alloquium, quo anno 1668. d. 27. Novembr. BOSCHIO res ſuæ Eccleſiæ Regi ipſi exponere permiſſum, quod tam diſerte tantaque cum eloquentiæ vi atque gratia præſtiterit, ut Rex non tantum per longum temporis ſpatium calamitatē Eccleſiæ ſuæ facūnde miſerantem clementisſime audiverit, *pollicitus*, *ſe hac de re cogitaturum*, ſed & eundem poſtea valde laudaverit, affirmaveritque, *hominem ſe hodie audiviſſe, qui omnium elegantisſime in toto regno ſuo verba facere poſſit*; *verumque eſſe*, *nunquam ſe hominem melius dicentem auſcultaviſſe*. Objectas ipſi aliquando lautisſimas conditiones a *Caſtelnovo* eſſe, ſi mutata religione Pontificiis accederet; fore enim, ut Rex ipſe hoc caſu ſingulari tangeretur gaudio, nec fore in toto regno munus, quod ſperare ipſi non liceret; ejus quoque liberos ex voto evectum iri, & univerſam familiam in re ſplendidisſima victuram, omniaque adfutura, quæ modo mente poſſit concipere; laudibus etiam eundem oneratum, & veluti cum Viro illuſtri cum eodem actum: ſed hæc omnia BOSCHIUM magna animi conſtantia repudiaſſe; cumque ſubjeciſſet *Caſtelnovus*, ſe 400000 aureos ſecum habere, quibus damna, quæ Pontificiam religionem amplexi adirent, ſarcirentur, quique Miniſtris ſe convertentibus in donum cederent, BOSCHIUM repoſuiſſe, non niſi ignobile & imperitum vulgus illecebris atque blandimentis iſtis ineſcari poſſe; id quod & ſatis eventus probaverit. Demum, cum quicquid Reformati ad Edicti Nannetenſis obſervantiam inviolabiliter retinendam ſtuderent, nihil valuiſſet, perſecutionem illam inauditam, omnium memoriæ adhuc inhærentem cœpiſſe, ut quicunque modo potuerit, relicta patria alio rſum ſe contulerit. BOSCHIUM, ut idem faceret, edicto regio, quamvis nondum adhuc abrogatio Edicti Nannetenſis

netenſis promulgata eſſet, compulſum fuiſſe. Sed ſtatim Sereniſſimam Daniæ Reginam regiam ſuam clementiam prolixiſſime ipſi obtuliſſe, cumque ad Eccleſiam Reformatam in Dania doctrina paſcendam evocaſſe; ſed BOSCHIUM elegiſſe potius Hollandiam, ut gregi ſuo propior eſſet, & propterea Roterodamum menſe Auguſto A. 1685. conceſſiſſe, cum ipſi beneficii loco poteſtas facta fuiſſet de rebus & facultatibus ſuis ex arbitrio diſponendi. Huc cum acceſſiſſet, paulo poſt *Wilhelmo* potentiſſimo nunc Britanniæ Regi, ejusque Sereniſſimæ conjugi BOSCHIUM ſe ſtitiſſe, ſicuti & mox d. 7. Decembr. coram tanto Principe verba fecerit. Quæ concio una cum aliis ejus *Sermonibus in duos Tomos diſtributis, Roterodami A. 1692.* ſecunda vice publicata fuit; fatendumque eſt, eloquentiæ in iisdem genus ubique floridum, devotionem ſanctiſſimam, ac profundam eruditionem elucere. Tandem BOSCHIUM, cum vitæ glorioſe transactæ curſum usque ad annum ætatis ſexageſimum nonum perduxiſſet, A. 1692. placide extinctum eſſe.

Vitæ huic BOSCHIANÆ Deſcriptioni ſubjunctæ ſunt aliquot *Appendices*, in quarum *prima* varia exhibentur ſcripta, nomine Eccleſiæ Reformatæ publico diverſis temporibus a BOSCHIO concepta, quorum ſummam hic referre nihil magnopere attinet. In *altera* ſiſtuntur variæ non tantum orationes a BOSCHIO habitæ, in quibus monſtrat ſane, quam ingentes oris facundi poſſederit theſauros; ſed & literæ, ad diverſas easque ſæpe illuſtriſſimas perſonas, Tellerium, Vrillerium, Turennium, Montauſerium, Ruvignium, Forceum, Schombergium, integrasque Synodos ſcriptæ; inter quas illa imprimis memorabilis eſt, quam ad Turennii conjugem exaravit, ac in qua conqueritur de proprio in ſanctificationis ſtudio torpore, confeſſus multo minoris operæ eſſe, reddere ſe Theologum eruditum, quam virum probum atque ſanctum, cum ad comparandam eruditionis atque ſcientiæ copiam, facultates afferamus naturales, ſed in acquirenda pietate vires noſtræ nihil valeant; & quod accedit, exiguum quamvis intervallum magno continuo cedat præjudicio. Et eſſe profecto haud exiguam tentationem, qua cum ſibi confligandū ſit, literarum ſcilicet amorem, qui fere ſanctitatis ſtudium ad ſingulas horas ſoleat interrumpere, viderique ſibi, reddi ſe ad munus ſuum recte obeundum ineptum, niſi ex Græcis & Latinis auctoribus quippiā legat; unde cum per vario-

rum

rum labores circumvolutetur, lectioni ſe tempus dare, quod alias majori cum fructu impendere potuiſſet; cui tamen Turenniæ epiſtola graviſſimis verbis reſpondet. Non minus memoratu dignæ ſunt literæ ad illuſtriſſimam Principem *de la Suſe*, quæ adhortata ipſum fuerat, ut aliis viam ad ſanctitatem vitæ ſcripto aliquo edito commonſtraret. Reponit enim BOSCHIUS, ſi vel maxime in ipſa pietatis adyta ſe penetraſſet, nihil ſe tamen de argumento hoc literis mandaturum eſſe; quum difficile ſit admodum, in hoc ſcriptionis genere ſuæ non ſervire atque ſtudere gloriæ, quæ vanitas ultimum ſit idolum, cui renuntiandum aliquis habeat; quamvis negare non velit, plurimos eſſe potuiſſe, qui optime ſibi conſcii, ſuam circa hanc materiam inſumpſerint operam. Quin & libros ejusmodi parum vel nihil ad ſanctimoniæ ſtudium conferre; vix enim ullum eſſe, qui non ſatis ad vitam bene ducendam inſtructus ſit, nec requiri aliquid amplius, quam ut ea, quæ facienda ſibi eſſe novit, in uſu habeat.

In *tertia Appendice Diſſertationes* aliquot annectuntur in diverſa Scripturæ loca, quæ obſcuriſſima alias & difficillima eſſe videntur. Sic cum verba *Joh.I, 32.* multos interpretes torſerint, BOSCHIUS noſter prolixa Diſſertatione a Viro doctiſſimo *Conrardo* provocatus, eadem explicatiora reddere nititur. Cum enim Nathanael gaudio veluti abreptus, quod Chriſtus ipſum ſub ficu vidiſſet, exclamaſſet: ***Rabbi, Tu es ille Filius Dei, Tu es ille Rex Iſrael;*** Chriſtus reſpondebat: ***quia dixi Tibi, vidi te ſub ficu, credis, majora iſtis videbis;*** ſcilicet res, quæ clarius atque magnificentius, me revera eſſe Filium Dei & Regem Iſrael, probaturæ ſunt. Addebat ergo, Nathanaelem & adſtantes pariter allocutus: ***ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei adſcendentes ac deſcendentes ſuper Filium hominis.*** Qui quidem locus ***duas*** parit inſignes ***difficultates: unam,*** quando viderint cœlum apertum ſuper Chriſtum? neque enim poſt baptiſmum Chriſti iſtius rei exemplum in promtu eſt; iſte vero jam præterierat, cum Chriſtus loquatur de re adhuc futura: ***Alteram,*** quomodo iſta cœli apertio, ſi revera facta fuiſſet, quomodo illa Angelorum adſcenſio atque deſcenſio probare potuerint, Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, Regem Iſraelis, quod Nathanael erat confeſſus? Ad levandas illas difficultates, obſervat BOSCHIUS, ***duobus*** Chriſtum a Nathanaele fuiſſe inſignitum ***titulis,*** uno ***Filii Dei*** & altero ***Regis Iſraelis;*** iſtos igitur ut ſibi aſ-

 ſereret,

Digitized by Google

ferret, & illuſtriori, quam quod ipſum ſub ficu viderat, ratione adſtrueret, *duo* allegat *miracula*, quæ ejus rei factura fidem ſint. *Unum*, quod viſuri ſint cœlum apertum, atque hoc probaturum mirabiliter prorſus, Chriſtum eſſe Filium Dei: *alterum*, quod viſuri ſint adſcendentes ſuper ipſius perſonam Angelos, quod probaturum ſit, ipſum eſſe Regem. Quod jam *ad apertionem cœli* ſpectat, non probat Auctor noſter illos, qui ad allegoriam in loco hoc interpretando confugiunt, neque illos, qui nimis ſtricte inhærent literæ; ſed aliam plane ingreſſus viam, intelligit aperturam cœli in ſignis, miraculis & auguſtis teſtimoniis, quaſi dicere Chriſtus voluiſſet: duxi quidem vitam hucusque privatam atque obſcuram, latens quaſi atque abſconditus exiguis Joſephi atque Mariæ tectis; neque cœlum, niſi in baptiſmo, ullum mihi perhibuit teſtimonium. Sed poſt deinceps videbitis cœlum apertum in ſignis, teſtimoniis, atque miraculis illuſtribus, quæ coram mundo teſtimonium mihi dicent, *me eſſe Filium Dei* Nam ſic & evangelicam docere hiſtoriam, e cœlo admirabilia de Chriſto teſtimonia emiſſa eſſe. Matth. III, 16. I. Pet. I. 18. Joh. XII, 28. Idem conſtare de ſignis & miraculis, Matth. III, 16. XVII, 3. XXVII, 45. 53. & huc pertinere miracula, quæ per totam vitam patraverit; ſic enim ipſum miraculorum feciſſe mentionem, quaſi quæ de cœlo venirent, Matth. XVI, 1. Neq; phraſeos hujus interpretationem novam alicui videri poſſe, ſi locum conſideraverit Luc. IV, 35. Pſ. LXXIIX, 23. Secundum miraculum in eo conſiſtit, quod *viſuri ſint Angelos adſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*, quæ verba allegaverit Chriſtus ad aſſerendum ſibi titulum Regis Iſraelis. Ubi Chriſtus ſe appellitet *Filium hominis*, quod nominis reſpondeat titulo *Regis Iſraelis*, cum deſumptum ſit ex Dan. VII, 14. Unde cum Nathanael confeſſus ſit, ipſum eſſe Regem Iſrael, Jeſum hic ſignificare velle, iſtum ſe eſſe revera, quoniam ſit Filius hominis, cui Deus apud Danielem regnum dat atque imperium. Hæc ut oſtendat Chriſtus probatione viſibili atque certa, affirmat, ipſos viſuros eſſe *Angelos Dei adſcendentes atque deſcendentes*. Id quod Auctori non placet ad ſcalam Jacobi referre, quod ex æquo fere ab interpretibus fiat, cum nihil hæc res ad locum præſentem faciat; ſed ad ipſum locum Danielis cap. VII, 10. quaſi dicere voluiſſet Chriſtus: poſthac appariturus ſum pro Filio hominis, Rege illo admirabili, de quo vaticinatus eſt Daniel; quod quidem ex eo ſatis manifeſtum

ſtum fiet, quod illi ipſi Angeli, quos Daniel circa Filium hominis conſpicatus fuerit, me circumſtabunt, veluti miniſtri, ituri redituríque, & in conſpectu totius mundi mihi inſerviturí; quod quidem & poſtea in paſſione, in ſepulcro, ad ſepulcrum, ac in adſcenſione Chriſti factum fuiſſe conſtat.

Ad locum Rom. XI, 32, obſervat ante omnia, ἀπείθειαν ſeu inobedientiam illam, non ſignificare hoc loco rebellionem illam in genere, ſub qua omnes Adami poſteri continentur; ſed inobedientiam incredulitatis, qua fœdus DEI proterve rejiciunt homines. Id quod ait ex v. 30. & 31. manifeſtum fieri: v. 30. enim Paulum Romanis objicere, *quod & ipſi olim inobedientes fuerint DEO*, ſcilicet ante converſionem. Quod ſi enim inobedientiam illam generalem intellexiſſet, non additurus erat illud τότε, quum in omnibus inobedientia illa perinde ſit; & eodem ſenſu v. 31. ſumi. Unde facile colligi ait, Apoſtolum, quando dicit, *Deum omnes ſub incredulitate concluſiſſe*, per vocem *omnes* non communiter omnes & ſingulos homines, omnes Adami liberos intelligere, cum omnes homines non fuerint ſub hac incredulitate. Ergo Judæos & Gentiles intelligi; innuere enim velle Apoſtolum, Gentiles olim fuiſſe DEO inobedientes, cum verſarentur in incredulitate; nunc Judæos rebelles eſſe, incredulitatem illam blaſphemam foventes. Primum ergo *omnes* Gentiles ſignificare atque Judæos, in rebellione atque inobedientia ambulantes; ita vero & ſecundum illud *omnes* rem ſignificare eandem, quæ obſervatio locum omnibus expediat difficultatibus. Apoſtoli enim ſenſum eſſe, Deum concluſiſſe Gentiles atque Judæos ſub inobedientiam, ut utrorumque miſereretur. Fuiſſe tempus, ubi Deus non niſi Judæis miſericordem ſe exhibuerit, rejectis Gentilibus; tum itaque miſericordiam Dei non niſi ad aliquos pertinuiſſe: hodie Deum non niſi erga Gentiles miſericordiam ſuam demonſtrare, excluſis Judæis, in ſenſum reprobum datis; ſic itaque adhuc miſericordiam Dei pro aliquibus eſſe. Sed tempus venturum, quo Deus & Gentilium & Judæorum miſerturus, eosque ſine diſcrimine ad communionem ſui & Eccleſiam vocaturus ſit; & tum miſericordiam ejus comprehenſura in omnes. Atque hoc modo patere jam ſcopum, cur Paulus iſta verba protulerit; ipſa enim ad Rom. XI, 11. referenda eſſe, ubi quærit Doctor ille Gentium, *an impegerunt, ut corruerent?* Videri enim poterat Deus,

abominando Judæorum DEIcidio irritatus reprobaſſe eosdem, ac fœdere ſuo penitus excluſiſſe; ſed Paulum affirmare contra, non plane atque in æternum Judæos rejectos eſſe, ſed tempus inſtare, quo & ipſi ad communionem Filii DEI ſint invitandi. Permiſiſſe Deum, ut caderent, *verum non ut perderet eos, ſed ut eorum miſereretur, quamvis ſuo ordine;* ut egerat cum Gentilibus, quos ad tempus aliquod ſua gratia etiam privaverat. Sed cum iſtud ſolatium Gentilibus incutere poſſet terrorem, quibus in mentem venire poterat, fore hac ratione, ut illo in caſu ſimili incredulitate ipſi perirent; illis proinde ſolatio aliquo ſuccurrendum fuiſſe. Et profecto v. 30. & 31. evidenter teſtari, hanc beati Apoſtoli mentem extitiſſe, quod & adhuc magis ex v. 12. eluceſcat.

In explicatione 1. Tim. II, 4. præſupponit ante omnia, vocem *omnes* nequaquam eo in ſenſu poſſe accipi, quo capiebatur in loco antecedente; neque de omnibus ſolum hominum generibus, aut omnium conditionum hominibus exaudiri poſſe, ita ut hoc in ſenſu mens acquieſcat. Ut vero objectionem evadat, ſi DEUS vult omnes homines ſalvos fieri, qui fiat, quod non omnes ſalvet? diſtinguere nos jubet inter trium generum creaturas, *Electos*, *Reprobos*, *atque Diabolos:* & quidem, quod velit Deus ſalutem Electorum, apud omnes in confeſſo eſſe; non minus conſtare, eum Diabolorum velle damnationem; de ſecundis vero illis, Reprobis, moveri dubium. Apoſtolum enim dicere, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, cui tamen repugnet eventus atque experientia. Hic rejectis, quæ vulgo afferri ſolent, diſtinctionibus, inter voluntatem Dei antecedentem & conſequentem, inter voluntatem ſigni & beneplaciti, ſuæ illi, quam ſuperius ſuppeditaverat, inſiſtit. Si enim reprobi conferantur cum electis, ad quæſtionem, cur Deus non velit omnium hominum ſalutem? reſponſionem patere, quia non omnes prædeſtinet, non omnes efficaciter vocet, & ſic porro: ſi vero reprobi conferantur cum Diabolis, patere non minus, velle Deum, ut ipſi ſalventur; neque enim cum reprobis æque ac cum Diabolis agere Deum. Ipſum enim omnibus in univerſum hominibus dediſſe Redemptorem pro iisdem ſatisfacientem pleniſſime, ad omnes pertinere ac dirigi verbum Dei, omnibus divinam offerri gratiam, & ſic ulterius; & horum certe nihil ad Diabolos ſpectare. Ergo Deum reprobos

Digitized by Google

probos ſalvos fieri voluiſſe. Cur autem Deus, cum velit omnium hominum ſalutem, non ſalvet etiam omnes homines hic? fatetur BOSCHIUS, eſſe aliquam in voluntate Dei reſpectu Electorum & Reproborum inæqualitatem, quæ tamen non impediat, quo minus ipſe velit, omnes homines ſalvos fieri. Duo vero eſſe impedimenta, quæ ſaluti repugnent hominum, & in cauſa ſint, cur homines ſalvari non poſſint: a parte Dei, ejus juſtitiam; a parte vero hominum, eorum malitiam. Quod ex parte Dei erat, Deum ſuſtuliſſe, miſſo in mundum Filio, pro omnibus ſatisfaciente: quod ex noſtra parte eſt impedimentum, id eſſe ejusmodi, ut ſi non ſalvemur, id nemini nos, niſi nobis, poſſimus adſcribere. Sed cum prævideret, objici ſibi poſſe, nos non poſſe per nos ipſos credere, obedire & amplecti promiſſiones divinas; reſpondet, hanc impotentiam nequaquam a Deo eſſe, qui eandem in nobis inveniat; quam ut emendet, Deum non eſſe obligatum, cum unusquisque re ſua pro arbitrio uti poſſit.

Ad Galatos III, 20. ingenioſa ſunt, quæ commentatus eſt. Licet enim verba, prout jacent a contextu avulſa, *Mediator vero non eſt unius, DEUS vero unus eſt*, nihil quicquam difficultatis habere videantur; ſi tamen ad antecedentia referantur, difficultates oriri vix ſuperabiles; neſcientibus interpretibus, quomodo verba inter ſe cohæreant: unde tot enatæ in hunc locum ſententiæ ſint, minime omnium BOSCHIO ſatisfacientes. Ipſe igitur duo veluti membra locum habere ait, quorum unumquodque ſua prematur difficultate; illa igitur ſeparatim excutienda eſſe, cum de intelligentia prioris dependeat intelligentia poſterioris In priore membro difficultatem hærere in voce *unius*, & intelligi facile non poſſe, quo in ſenſu dixerit Apoſtolus, *Mediatorem* unius *non eſſe*. Jam vero non melius ſenſum vocis agnoſci poſſe, quam ex ipſo argumento, de quo agere conſtituerat Apoſtolus. Duabus vero vicibus verbum *unius* in hoc capite occurrere; verſu nimirum 16. atque 28. Ex priore loco patere, Apoſtolum animadvertere, promiſſiones factas eſſe Abrahamo ejusque ſemini in ſingulari, non ſeminibus in plurali, quaſi ageretur de pluribus, ſed *de uno*. Quare hoc? & quid eſt ſemen illud unum? Nempe intelligere Apoſtolum omnes ex univerſa terra credentes, ex quacunque etiam ſint gente, quod luculenter ex v. 8. conſtet; ut adeo Apoſtolus omnes veluti Abrahami infantes confundere voluerit

luerit; neque aliam promiſſionem Judæis, aliam Gentilibus aſſignaverit. Unum ergo eſſe ſemen benedictum, non in oppoſitione ad alios, qui ab eo diſtincti ſint, ſed propter aggregationem plurium, qui quaſi in unum conflati ſint; id quod luce clarius ex v. 28. pateſcat. Hoc itaque jam ſemen reſpicere Paulum, cum dicit, *Mediatorem non eſſe unius*, hoc eſt, non eſſe unius hujus ſeminis, de quo paulo ante locutus erat. Neque enim Moſen mediatorem eſſe ſeminis, quod Judæos & Gentiles in unum coadunat, & de omnibus populis non niſi unum facit. Sed quinam alterius membri emerget ſenſus? Non minus ex ſententia Auctoris noſtri pulcherrimus, ſcopoque Apoſtoli convenientiſſimus; nam juxta phraſin Apoſtoli, *eſſe unum Deum*, eſt Deum eſſe omnium, ita quidem, ut omnes ſint in ipſo unum; qualia exempla plura ſuppeditet ipſe Paulus 1. Tim. II. 5. Rom. III, 28. 29. Sic itaque & in hoc loco Paulum dicere, *Deum unum eſſe*, hoc eſt, omnium; & id quidem hoc fine, ut legem opponeret fidei: namque ſub antiquo fœdere Deum non fuiſſe unum, hoc eſt, gratiam ejus non pertinuiſſe ad unum ſemen, quod ad omnes populos ſe extendat; ſed ſub œconomia fidei Deum *unum* eſſe adverſus omnes, cum omnes indifferenter populos in ſuum fœdus recipiat; quo quidem ſenſu & verſio Æthiopica verba ultima accepiſſe videatur, cum ita reddidit: *eſt unus Deus amborum* populorum, ex circumciſione & præputio. Hanc expoſitionē ſcopo Apoſtoli accommodatisſimam eſſe, cū propoſitum ſit, legem fidei opponere; convenire & optime interrogationi, quam deinceps profert: *Eſtne lex* contra promiſſiones Dei? Nam Moſes revera non erat Mediator unius ſeminis, omnes populos complectentis. Contra, cum Deus, qui Abrahamo promiſſiones dederat de benedictione ac gratia, omnium hominum eſſet, lex ad certam nationem reſtricta, gratiæ Dei, ad omnes homines pertinenti, contraria eſſe videri poterat. Ut ſenſus dicti jam ſit breviter iſte: Apoſtolus, cum dixiſſet, legem datam eſſe per miniſterium Mediatoris, ut intelligeretur, de quo Mediatore hoc velit intelligere, verſum hunc adjicit, cujus iſte ſenſus eſt: *Mediator hujus legis non eſt iſtius ſeminis, quod unum vocavimus, quia ipſum omnes in terra populos unit atque conjungit: munere primi Mediatoris non niſi Judæos reſpiciente: ſed Deus, qui Abrahamo promisſiones dedit, unus Deus eſt omnium, gratia ipſius inter credentes nullum diſcrimen ſtatuente.*

Die

Die neu=eröffnete Ottomanniſche Pforte/

Sive

Noviſſime recluſa Porta Ottomannica.

Auguſtæ Vindelicorum apud Laurentium Kroniger, & heredes Göbelianos, 1694. in fol. Alph. 8. pl. 13.

QUanquam Eccleſiæ Dei & Chriſti hoſtes immaniſſimi ſint Turcæ, nec tantum religionis veræ ac pietatis, verum & omnis omnino honeſtatis ac pacis everſores; non male tamen de Chriſtianorum rebuspublicis merentur, qui curam ſuam & laborem eo conferunt, ut conſtitutionem regiminis, quam barbara gens amplectitur, rerumque ab ea geſtarum memoriam nitide & integre deſcriptam habeamus, quod hinc cumprimis cauſæ cognoſcantur & adminicula, quibus imperium ad tantam amplitudinem & potentiam eſt perductum. Privandus itaque laude ſua non eſt Autor, qui ex duobus rerum harum peritiſſimis ſcriptoribus, Anglico uno & altero Veneto, ſplendidum hoc Volumen concinnare, figurisque æri affabre inciſis exornatum paſſim, publici juris facere conſtituit.

Duabus vero partibus integrum abſolvitur, quarum prima quidem gubernationis formam & conditionem, ſi quam habent, religionis: altera res Turcarum geſtas complectitur. Regiminis deſcriptio præter imperii potentiam, axiomata regni politica exhibet, eorumve cum ſuperſtitione Muhammedana congruentiam: præterea omnis generis officiales, quibus & in aula imperatoria, & in re militari, & in tribunalibus ſuis Turcæ ſolent uti. Hinc provincias cum ſuis gubernatoribus enumerat, annuosque earum reditus & tributa: tum in ſervitutẽ abductæ juventutis educationem exponit, ſtructuram totius palatii, ut & ſexus ſequioris, in aulico gynæceo degentis vivendi rationem, ejusque diſciplinam & famulitium. Forma reipublicæ deſcripta, doctrinæ quoque Muſulmannicæ præcipuæ partes proponuntur, ita quidem, ut ſimul oſtendatur, quomodo ſub hujus involucro artes politiæ ſuæ ſervientes tegant & occultent: recenſentur diverſa templorum genera cum ſuis reditibus & miniſtris; præcipuæ in precibus, circumciſione, conjugio, divortio, & concubinatu ceremoniæ; feſtorum, eleemoſynarum, & proceſſio-

numeratio, quæque inter ipſos vigent cum novæ tum antiquæ ſectæ & ordines. Ultimo loco, qui explicationi rei militaris tribuitur, deſcriptum habes univerſum Turcarum apparatum bellicum, ejusque non ſolum prærogativas, verum & defectus, una cum gravi Autoris judicio, in quonam totius imperii robur maxime & infirmitas conſiſtat, decernente. Atque hæc deſumta & in idioma vernaculum translata eſſe profitetur Autor ex celebris Domini Ricautii libro, qui Anglicana primum lingua eſt conſcriptus, Gallico poſtmodum idiomate iteratis vicibus expreſſus. Textui hujus partis eruditæ ſimul obſervationes Domini Peſpierii, in hiſtoriis linguisque orientalibus verſatiſſimi, ſerie continua ſubjiciuntur.

Poſterior Voluminis pars, in libros quindecim digeſta, exactam hiſtoriam complectitur rerum ab omnibus Turcarū monarchis geſtarum, inde a prima gentis origine, usque ad noſtra fere tempora. Quam rurſus deſcriptioni Italicæ Johannis Sagredi, Senatoris Veneti, nec non laudato jam Ricautio acceptam Autor ferre nullus dubitat. Celerrimum ea nobis patefacit potentiæ Ottomannicæ incrementum, aperta tyrannidis ſpecimina, miſerrimam tot regnorum & urbium deſolationem, cruenta bella, vigilantiam gentis incredibilem, & miram aſtutiam, quæ diſtractos Chriſtianorum animos in ſuum vertere novit commodum. Cæterum gravi ubique & urbano ſermonis genere Autor uſus eſt, ac res Turcarum ita perſequitur, ut Herorum quoque ac Principum Chriſtianæ fidei addictorum res glorioſe geſtas, ſuſceptas expeditiones, & victorias ex hoſte crudeliſſimo partas, cum utiliſsimis obſervationibus politicis haurire non minus inde & addiſcere liceat. Ut vero librorum & capitum ſingulorum argumenta, cum indiculo autorum, qui allegati partim, partim illuſtrati & emendati hic fuerunt, præmittuntur operi; ſic in ejusdem fine copioſum habes rerum atque nominum indicem.

RERUM AMOR FORTIARUM SCRIPTORES duo inediti. Produxit, notisque & obſervationibus illuſtravit Antonius Matthæus, Juris in illuſtri Academia Lugduno-Batava Antecesſor.

Lugduni Batav. apud Fridericum Haaringh. A. 1693. in 4. Alphab. 2. plag. 11½.

Ve-

VEtuſta ſatis eſt ac nota urbs in diœceſi Ultrajectina, quæ Amorfortia, itemque Amerſurtum, nec infrequenter Amisfurtum dicitur, cujus hiſtoriam duo hi, qui a Clar. Editore primum nunc in lucem publicam protracti ſunt, ſcriptores texuere, inſtituto quidem ac diligentia aliquantum diſſimili, ſed adhibita tamen utrinque opera ejusmodi, quæ forſan non ingrata penitus curioſis harum rerum æſtimatoribus eveniet.

Alter horum Theodorus Verhœven, Gymnaſiarcha Gravienſis, dicitur, cujus valde commendatur diligentia, ingeniumque ac judicium, prout etiam ex ipſa ejus, quæ exhibetur, brevi ac ſuccincta rerum Amorfortiarum deſcriptione id cognoſci poterit; in qua ab urbis antiquitate exorſus, illius poſtea ſitum, etymologiam, mores civium, terminorum amplificationem, pluraque eo pertinentia commemorat. Mox Viros clariſſimos Amisfurto oriundos nominat, ac brevem vitæ ſingulorum deſcriptionem adjungit, e Theologis imprimis Nicolaum Zœſium, & Michaelem ab Iſſelt; e JCtis Joann. Vonckium, Paulum Buſium, Joannem & Eliam, fratres ab Oldenbarneveldt; e Medicis Stephanum Laurenbergium; e Literatoribus Godefridum Stegium, Joannem Cornelium Geſſelium, &c. commendans. Inde urbis regimen contemplatur, vetera ipſius jura ac privilegia enumerat, & ingruentes ſubinde calamitates, ac inter has præcipue bella cum Gelris, Hollandis, Ultrajectenſibus, & aliis, incerto ſæpe Marte depugnata deplorat. Obſidionem præſertim a Cæſareanis ductu Comitis de Montecuculi inſtitutam, factamque iis deditionem deſcribit, & in urbis D. D. Ordinibus tandem redditæ hiſtoria, annoque adeo circiter 1629, filum abrumpit.

Alterius, quem poſtremo loco collocare Editori libuit, paulo quidem major ætas eſt, ſed nomen ignoratur, quemadmodum & is breviores in enarratione ſua duxit lineas, ab ipſis tamen urbis initiis notatu digniora per ſingulos annos usque ad milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum tertium annotans.

Utrique notas atque obſervationes Cl. Matthæus addidit, ita tamen eas diſpertitus, ut priori paucas ſaltim & fere marginem tantum occupantes ſubjiciat, niſi quod poſt caput primum additamentum ſatis prolixum exhibuerit, in quo genealogiam vetuſtiſſimæ gentis Dominorum de Amersfoert diligenter concinnatam deprehendimus.

 mus.

Digitized by Google

mus. Operam vero majorem addixit poſteriori, qui cum privilegia Amerfortiis conceſſa ſuo quæque tempore annotarit, & ad monumenta maxime genuina provocaverit, verbis tamen eorundem utplurimum omiſſis, ideo defectum hunc ſupplere ipſe voluit, e tabulis apographisque probatisſimis hæc ad ſingulas Hiſtoriæ partes ſolicite producens. Haurire exin poteris poſt plura alia haud ſuperficiariam controverſiarum de epiſcopatu Trajectenſi quondam agitatarum notitiam, quæ ad mentionem Rudolphi Diepholdenſis, Suederi, Gisberti Brederodii, & Davidis Burgundi, ſuppeditata eſt. Ipſas autem urbis immunitates, & inita cum ſociis diverſis fœdera, ac quæ ſunt inſuper iſtius generis, ad eum modum excuſſit, quem inſtitutum primarium, ad quod cuncta iſthæc pertinent, poſtulare omnino videbatur. Quandoquidem & ipſe nihil eorum omiſit, quæ ad ornandam Amisfurti dignitatem quicquam conferunt, ſicuti & in operis totius inſcriptione ad inclytum illius urbis Senatum non minus antiquitatem ejus ac præſtantiam multo cum verborum apparatu celebrat. De cætero cum Autor iſte incertus in anno ſupra memorato deſierit, Noſter interim annales Amorfortienſes e Chronico quodam cœnobii Agathenſis, quod olim ibi ſedem habuit, manuſcripto usque ad annum 1632 utcunque continuat.

JO. DOUGHTEI, THEOLOGI ET PHILOLOGI Anglo-Britanni celeberrimi, de Calicibus Euchariſticis veterum Chriſtianorum Liber, cum JOANNIS FAES Præfatione, Marginalibus, & Mantiſſa, e MS. primo in Germania editus.

Bremæ, ſumtibus Philippi Godofredi Saurmanni.
A. 1694. in 8. plag. 19.

Dum promiſſam a celeberrimo Ciampino de *ſacris profanisque calicibus* commentationem Orbis eruditus adhuc expectat, præſens interim opusculum in lucem protrahitur, quod Auctorem agnoſcit Joh. Doughtejum, cujus in ſcriptis ſecularibus verſata admodum induſtria jam ſatis innotuit ex *Analectis ſacris*, ſive *excurſionibus philologicis ſuper diverſis Scripturæ locis*, quæ ab illo pridem vul-

vulgatæ ſunt. Nec mediocrem is eccleſiaſticarum antiquitatum notitiam in hac ſcriptione Lectoribus curioſis approbat, maximæque proin Plurimum Reverendo Editori gratiæ debentur, quod eandem tam opportune ab interitu vindicare voluerit.

Quemadmodum vero ſolos calices Chriſtianorum eucharisticos Autor eruditiſſimus conſiderandos elegit, ita nec in etymologica vocis generalis evolutione diutius, quam ferat propoſitum, occupatur, nec adeo prolixum ſeſe gerit in delineandis calicibus, qui vocantur, baptismalibus, tametſi horum uſum e monumentis fide dignis aſſerere neutiquam omittat. Iſtorum de cætero originem paulo altius dum repetit, ad eam controverſiam delabitur: quid de quaternario poculorum numero a Judæis in cœna Paſchali conſtituto ſentiendum veniat? Ubi non calicum modo illorum nomina, ſed etiam ſignificationem examinat, &, poſtquam hoc inventum a vetuſtioribus Judæis minus derivari poſſe docuit, a Chriſto in ultima cœna nonniſi unicum fuiſſe adhibitum demonſtrare nititur, plusculis abhinc de patrefamilias, illius poſſeſſore, diſputans, nominis tamen determinationem non minus ac inſecutam ipſiusmet calicis ad alios translationem in medio relinquens. Eorum vero calicum, quorum uſurpatio ſuam ex hoc originem in Eccleſia Chriſtiana traxit, materiam primum accurate perpendit, a ligneis, tanquam vilioribus, ſermonem auſpicatus, quibus ſtatim vitreos adjungit, mox ad fictiles marmoreosque progreditur, poſtea metallinos, æneos nimirum & ſtanneos, nec minus corneos, conſiderat, aureos etiam & argenteos, eos itidem, qui ex cryſtallo & onyche confecti fuiſſe legantur, producit, allegatis ubique conſtitutionibus eccleſiaſticis, quæ ſingulorum uſum aut introductum aut rurſus abolitum manifeſto edoceant. In determinanda eorum quantitate variam pro temporum varietate amplitudinem commemorat, ea occaſione nonnihil diſſerens de calicibus miniſterialibus, quos a poculis, quæ hodie a Pontificiis vocitentur, ablutionis longe facit diverſiſſimos, utpote cum illi miniſterio ipſius ſacroſanctæ Euchariſtiæ in magna populi communicaturi frequentia inſervierint, longe autem alia ſit ratio poculorum ablutionis, quæ ortum quoque ſuum nonniſi ad Remigium, & ſeculum adeo nonum, referant. Circa formam anſulas iis plerumque additas, gemmas inſuper inibi conſpicuas, ob oculos proponit. E figuris, quibus exornari

nari hi calices euchariſtici conſueverint, crucis præcipue & crucifixi Salvatoris imaginem commemorat, nec eam ſilentio involvit, quæ paſtorem humeris oviculam portantem repræſentet, prout & eorum inſcriptiones pari diligentia enumerat. Sed cum ſanctiſſimo hoc Sacramento multi temere abutantur, ideo calicum quoque euchariſticorum abuſus taxat, eosque tam antiquiores, illorum nempe a collo ſuſpenſionem, ſuper pectus Sacerdotis vita defuncti collocationem, ad certa ſortilegii genera deſtinationem, &c. quam recentiores, & inter hos morem illum, quo in conſignandis adverſus hæreticos edictis, vel in aliis gravioribus negotiis deſcribendis, calamos in iis velut atramentariis intinxerint: quinimo & poculum ablutionis antea nominatum, & ſchedulas votivas electionis Pontificum calici injectas abuſibus pariter annumerat, ac loco tandem ultimo de calicum euchariſticorum fractione quædam notatu haud indigna ſubjicit. Et cuncta hæc ad iſtum modum explicantur, ut ex Hiſtoricis profanis æqualia inſtituta & ſimilem poculorum fabricam ſubinde referri videamus.

Sed quod ad operam a Reverendo Editore huic Tractatui navatam attinet, neminem omnino ſua ſpe fruſtratum iri confidimus, quandoquidem is præter Auctores alios, qui pertractatam in textu ipſo materiam dilucidius prolixiusque excuſſerint, in margine pasſim adjectos, Mantiſſæ loco notas quasdam non ineruditas ſuperaddidit, e quibus inſigniores iſtæ ſunt, ubi agit de poculis vitreis, quibus cum Judæi tum Græci in actu copulæ neonymphorum uti, quæque ad lapidem colliſa frangere conſueverint; ubi, quid per ναὺς ἀργυρᾶς Act. XIX, 24. nominatos, intelligendum ſit? diſquirit, & vocabula hæc de ædicula ad formam templi Dianæ expreſſa, imagunculam ejus Deæ in ſe continente ac monſtrante, accipit; ubi verba facit de Euchariſtia mortuis olim data, particulisque ejus cum ipſis ſepultis; de Henrico VII. Victore II. & III. aliisque per venenatum calicem Euchariſticum interfectis: ut alios iſtius generis excurſus, quos ille pro ſua induſtria inſtituit, hac vice taceamus.

LIBRI NOVI

Memorials of the moſt Reverend Father in God Thomas Cranmer, ſometime Lord Archbishop of Canterbury: collected by John Strype. London 1694. fol.

Origo

Origo Legum : or a Treatiſe of the Origin of Lavvs and their obliging Povver : by George Davvſon. London 1694. fol.

Nouveaux Elemens des Mathematiques, par Jean Preſtet. A Paris 1694. in 4.

Juſtini Hiſtoriæ Philippicæ, ex recenſione Joannis Georgii Grævii, cum ejusdem Caſtigationibus. Amſtel. 1694. 12.

Hiſtoire univerſelle de Juſtin. Traduction nouvelle avec des Remarques. A Paris 1694. 12.

Nouveau Voyage du Levant. A la Haye 1694. 12.

Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire Eccleſiaſtique des ſix premiers Siecles. Tome I. A Bruxelles 1694. 12.

Hiſtoire du Triumvirat de Jules Ceſar, Pompée & Craſſus. A Paris 1694. 12.

Hiſtoire de la Papeſſe Jeanne, fidelement tirée de la Diſſertation Latine de Mr. de Spanheim. A Cologne 1694. 12.

Les Oeuvres de Mr. Saraſin. A Paris 1694. 12.

Sermons du Pere Cheminais, Predicateur du Roy. A Paris 1694. in 12.

Chriſtiani Wormii Wilh. F. De Corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem veſtigiis Liber II. Hafniæ 1694. in 4.

Johannis van Muyden Compendioſa Inſtitutionum Juſtiniani Tractatio. Trajecti ad Rhenum 1694. in 8.

Cornelii Van Eck Theſes Juris controverſi. Trajecti ad Rhenum 1694. in 8.

Ejusdem Principia Juris Civilis ſecundum ordinem Digeſtorum. Trajecti ad Rhenum, 1694. in 8.

Moderna Theologia Judaica delineata per Johannem à Lent. Herbornæ 1694. in 8.

Praxeos Medicæ Idea novisſima, auctore Joh. Bernh. Gladbachio. Herbornæ 1694. in 8.

Numiſmata Imperatorum Romanorum præſtantiora, a Julio Cæſare ad Poſtumum & Tyrannos. Per Johannem Vaillant. Pariſiis 1694. in 4.

Hiſtoire de la Guerre de Guienne, commencée ſur la fin du mois de Septembre 1651 & continuée jusqu' à l' année 1653. A Cologne, 1694. 12.

Les

Les Stratagemes & les Ruſes de guerre. A Paris 1694. 12.

Le Negoce d' Amſterdam, ou Traité de ſa Banque, par le Sr. le Moine de Leſpine. A Amſterd. 1694.

Methode pour guerir toute ſorte de Fievres, ſans rien faire prendre par la bouche; par le Sr. Helvetius. A Paris 1694. 12.

Promptuarium Praxeos Medicæ, ſeu Methodus medendi præſcriptis Medicorum Londinenſium concinnata & in ordinem Alphabeticum digeſta a Joh. Pechey. Amſtel. 1694. 12.

Arliquiniana, ou les bons mots recueillies des Converſations d' Arlequin. A Paris 1694. 12.

T. Burnetii Theoria ſacra Telluris, & Archæologiæ Philoſophicæ. Amſtel. 1694. in 4.

Andreæ van de Wiele Epigrammata ſacra. Lugd. Bat. 1694. 8.

Eliæ Camerarii Diſſertationes tres, exhibentes 1. Spiritum animalium ſtatum naturalem & p.n. occaſione experimenti Bellino-Bohniani. 2. Spiritum D. Boylii fumantem. 3. Uſum & abuſum potuum Thee & Caffe. Tubingæ 1694. 8.

H. L. Spiegels Hertſpiegel en andere Schriften, meeſt noyit voor dezen gedrukt. t' Amſterdam 1694. in 8.

Petri Danielis Huetii Poëmata Latina & Græca, quotquot colligi potuerunt. Ultrajecti 1694. in 8.

Th. I. ab Almeloveen Amœnitates Theologico-Philologicæ. Amſtel. 1694. in 8.

De Huys-houding Gods in ſyn Kerke na de Sund-vloed tot aan de geboorte van Iſaak; door P. van Stavere. Tot Leyden, 1694. 12.

Het Vervolg van het vergift van de Carteſiaanſche Philoſophie: door Jacobus Kœlman. Tot Utrecht 1694. in 8.

Tractatus Hiſtorico-Canonicus exhibens Scholia in omnes Canones Conciliorum. Leodii 1693. in 4.

Joh. Henr. Maji Examen Hiſtoriæ Criticæ textus Novi Teſt. Simonis. Gieſſæ 1694. in 4.

Jacobi Baſnage Diſſertationes Hiſtorico-Theologicæ. Roterod. 1694. in 8.

Baconis de Verulamio Opera omnia. Lipſiæ 1694. fol.

(o)

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Maji, Anno M DC XCIV.

DN. MARCHIONIS HOSPITALII Solutio problematis Geometrici nuper in Actis Eruditorum, (Anno 1693. p. 235.) quæ Lipſiæ eduntur, propoſiti.

Translata ex Commentariis Mathemat. Phyſic. Pariſienſibus. Anno 1693. 30. Jun.

Quamvis Illuſtrisſimi Marchionis Hoſpitalii ſolutio ſtrictim jam propoſita fuerit in Actis Anno 1693. non tamen poſſumus quin eam, prout in Commentariis extat Mathematico-phyſicis Pariſienſibus fuſius expoſita, denuo afferamus, ut vis objectionum, quas anonymus Analyſta contra eam direxit, eò melius poſſit percipi.

Analyſeos uſitatæ non vulgarem defectum eſſe, quod ad Mechanicas non extenditur lineas, quæ tamen proprietates habent obſervatu digniſſimas, plurimi doctorum Geometrarum cenſuerunt. Id quod occaſionem dedit Dn. Leibnitio novum inveniendi genus calculi, quem adpellat differentialem, cujus regulas in *Actis Eruditorum Lipſ. Anni 1684. Octobri menſe* propoſuit. Atque hujus quidem adminiculo facile tangentes curvarum tam geometricarum quam mechanicarum; maximæ minimæque adplicatæ (quorſum reducuntur quæſtiones omnes de *maximis* & *minimis*;) puncta inflexionis; evolutæ Hugenianæ, & cauſticæ Tſchirnhauſianæ inveniri poſſunt.

Id tamen, quod eſt difficillimum, adhuc abſolvendum reſtat, inverſa ſcilicet hujus calculi, ſeu methodus generalis deſcribendi curvas, ſi tangentium proprietas data fuerit. Dependent enim hinc proble-

Digitized by Google

mata Geometriæ maxime curioſa, qualia ſunt quadraturæ indefinitæ ſpatiorum, dimenſiones ſolidorum eorumque ſuperficierum, rectificationes linearum curvarum, centra gravitatis & oſcillationis, & plurimæ quæſtiones phyſicæ; ita ut optandum ſit, ad inveniendam methodum tam utilem docti curas ſuas ut conferant. Dominus Bernoullius, medicus, qui in ejus inquiſitione plurimum progreſſus eſt, ut vel ex inventis, quibus non raro Acta Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, auget, nuper ejus generis problema valde curioſum in illis propoſuit. Cujus jam damus ſolutionem a *Dn. Marchione Hoſpitalio* inventam, quæ generaliſſima & forte ſimpliciſſima eſt illarum omnium, quæ inveniri poſſunt.

TAB. V. Fig. 1.

Problema.

Curva CMM hanc habet proprietatem, ut tangens quæcunque MT ſit ad CT partem axis terminatam origine C & occurſu tangentis T, in ratione p ad q. Quæritur hujus lineæ natura & modus illam deſcribendi.

Solutio.

Caſus primus. Quando ratio p ad q eſt numeri ad numerum, ſi CP dicta fuerit y; PM, x; adhibendæ ſunt formulæ generales:

$$y = \frac{z^{\frac{q-p}{q}}}{\left(zz + q + p\right)^{\frac{\;}{2}}} \quad \text{vel:}\ y = \frac{z^{\frac{q+p}{q}}}{\left(zz + q - p\right)^{\frac{\;}{2}}} \quad \& \ x = \frac{zzy + qqy - ppy}{2pz}$$

& poſtquam ſublata eſt incognita z, formanda eſt æquatio exprimens naturam Curvæ CMM quæſitæ.

Eligemus autem in caſu propoſito pro y formulam ſimpliciſſimam, neque enim offerunt reliquæ niſi curvas ejusdem ſpeciei. Sit ergo e. g. p dupla q; erit $y = \dfrac{a^4}{z^3 + 9aaz}$, vel etiam $y = \dfrac{z^3}{zz + aa}$ (a eſt recta pro lubitu aſſumta, ut obſervetur lex homogeneorum,) & $x = \dfrac{zzy - 3aay}{4az}$, ex quibus formabuntur, efficiendo ut z evaneſcat, duæ Æquationes:

Fig: 5




Fig: 3.





Fig. 4.



Digitized by Google

Digitized by Google

$432y^4 + 432\,xxyy + 72\,axyy + 64\,ax^3 = aayy$
& $16y^4 + 16\,xxyy - 72\,axyy - 64\,ax^3 = 27\,aayy$
quæ ſingulæ exprimunt naturam curvæ *CMM*, cujus tangentes *MT* ſunt duplæ partium axis *CT*. Si ponatur in priori $a = 108\,b$, & deinde fiat diviſio per *432*; in poſteriori autem $a = 4b$ & dividatur per *16*, utraque Æquatio reducetur ad eandem $y^4 + xxyy \mp 18bxyy \mp 16bx^3 = 27\,bbyy$; ubi notandum eſt, ſignorum variationem ante terminos $18bxyy$ & $16bx^3$ non variare curvæ naturam, ſed ejus tantum poſitionem.

Caſus ſecundus. Quando ratio *p* ad *q* non eſt numeri ad numerum, Curva ſatisfaciens eſt mechanica & conſtruitur ſupponendo quadraturam hyperbolæ: id quod hoc in genere ſimpliciſſimum eſt.

Ductis ſcilicet rectis infinitis *AB*, *DE* normaliter ſe in puncto *C* ſecantibus, deſcribatur inter aſymptotos *CA*, *CD* hyperbola quæcunque *KOQ* & facta pro lubitu *AK* parallela *CD*, occurrenti hyperbolæ in *K*, & *EF* parallela *CB* ita ut rectangulum *CEF* ſit ad rectangulum *CAK*, ut differentia linearum *p* & *q* eſt ad lineam *q*; conſtruatur alia hyperbola *FH* per punctum *F* tranſiens. Deinde ducatur libere *GH* parallela *CB* & ſumta *CB*, æquali $p + q$ fiat, ut quadratum *BG* eſt ad quadratum *BE*, ita *CA* eſt ad *CL*, per quam ducatur *LO* parallela *CD*. Tandem capiatur ſpatium hyperbolicum *LPQO* (verſus eandem partem ſpatii *ALOK* reſpectu *CD*, quando *p* excedit *q*, verſus oppoſitam autem, quando *p* minor eſt *q*) æquale ſpatio hyperbolico *EGHF* & ponendo $CP = y$; $CG = z$, producatur *PQ* in *M*, ita ut ſit $MP = \frac{zzy + qqy - ppy}{2pz}$. Dico punctum *M* eſſe in curva quæſita *CMM*.

Vel etiam, ductis rectis indefinitis *AB*, *DE*, ſe interſecantibus normaliter in puncto *C*, deſcribatur inter aſymptotos *CA*, *CD*, hyperbola quæcunque *KOQ*; & facta pro lubitu *AK* parallela *CD*, occurrente hyperbolæ in *K*; & *EF* parallela *CB*, ita ut rectangulum *CEF* ſit ad rectangulum *CAK* ut $p + q$ eſt ad *q*; deſcribatur per *F* inter aſymptotos *CB*, *CE* alia hyperbola *FH*. Porro ducatur libere *GH* parallela *CB*, & ſumta *CB* æquali differentiæ linearum *p* & *q*, fiat, ut quadratum *BG* eſt ad quadratum *BE*; ita *CA* eſt ad *CL*, per

Bb 2 quam

quam ducatur *LO* parallela *CD*. Tandem capiatur ſpatium hyperbolicum *LPQO* (verſus partem oppoſitam ſpatii *ALOK* reſpectu *CD*) æquale ſpatio hyperbolico *EGHF* & vocando $CP = y, CG = z$, prolongetur *PQ* in *M*, ita ut $PM = \frac{zzy + qqy - ppy}{2pz}$. Dico punctum *M* eſſe in curva quæſita *CMM*.

Dominus Marchio Hoſpitalius alia quadam occaſione dabit analyſin, quæ illum ad hanc ſolutionem manuduxit; quoniam dependet ex quibusdam principiis parum notis, quæ nimis longum foret hic explicare.

DIFFICULTAS SUPER SOLUTIONE Problematis Bernoulliani, quæ habetur in Commentariis Mathematico-phyſicis Pariſienſibus Anno 1693. d. 30. Junii, ab Analyſta anonymo propoſita, & ex Gallico in Latinum idioma converſa.

Qui non minus Geometriæ quam Medicinæ excellit ſcientia, & ſubinde egregiis mathematicis inventis, (quæ non poſtremam eorum, quæ in hoc genere curioſa complectuntur Acta Eruditorum Lipſienſia, partem conſtituunt) rempublicam litterariam locupletat *Joh. Bernoullius*, ſequenti problemate Mathematicis propoſito, Viro & genere & ſcientia illuſtri ſolutionem ipſius quærendi occaſionem ſuppeditavit. Comparuit illa ante quosdam menſes in Commentariis Mathematico-phyſicis, deſumtis ex adverſariis Academiæ ſcientiarum Regiæ, in eaque, ſi examinetur, non vulgaris analyſeos ratio obſervatur. Quandoquidem vero ipſius Auctor eam ex principiis parum vulgo cognitis dependere aſſerit, nemini mirum accidere debet, quod in cujusdam eam perlegentis animo ſuborta ſit difficultas, cujus expoſcit declarationem, quam ipſi non denegaturus videtur ſolutionis Auctor; præſertim cum is, qui publice quæſtionem reſolvendam ſuſcepit, ejusdem explicationem, quæ ab aliis poſtulatur, non defugere poſſe videatur.

TAB. V. Fig. 2. Problema hoc eſt: *Curva CMm hanc habet proprietatem, ut quævis tangentium MT ſit ad partem axis CT, ſumtam inter C originem*

ginem ſuam & occurſum T tangentis, in ratione data p ad q. Quæritur natura curvæ & modus eam deſcribendi.

In ſolutione duo diſtinguantur caſus, quorum prior eſt, quando p ad q eſt ut numerus ad numerum, vocataque ordinata *MN*, æquali ſuæ parallelæ *CP*, y, abſciſſa vero *NC*, aut diſtantia ab origine æquali ſuæ parallelæ *PM*, x, certæ formulæ generales proponuntur, ex quibus exempli gratia deducitur Æquatio:
$y^4 + xxyy \mp 18bxyy \mp 16bx^3 = 27bby$, quæ dicitur exprimere naturam curvæ *CMm*, cujus tangentes *MT* ſunt duplæ partium axis *CT*, quas occurſu ſuo definiunt, h. e. $p = 2q$. Reſolutio hæc nullam additam habet demonſtrationem, cum alii reſervetur occaſioni analyſis, quæ illam probare poſſit.

Ad difficultatem autem quod attinet, quæ eſt argumentum noſtræ animadverſionis, nititur ea principiis maxime vulgaribus analyſeos ordinariæ, requiritque ſolum, ut ſequatur quis calculum cum attentione modica.

Sint ergo, uti dictum, $MN = y$ & $NC = x$. nec non $NT = t$ & $TM = ſ$: TC erit $x - t$, & in triangulo rectangulo *TNM*, cujus hypotenuſa eſt *TM*, erit æqualitas inter $ſſ$ & $tt + yy$. Jam vero per proprietatem, quam Dominus Bernoulli attribuit tangenti curvæ *CMm* hæc orietur analogia:
$ſ . x - t :: p . q$. & conſequenter $ſ = \frac{px - pt}{q}$; Ergo $ſſ = tt + yy = \frac{ppxx - 2ppxt + ppt}{qq}$; hinc $tt = \frac{2ppxt - ppxx + qqyy}{pp - qq}$ & tandem $t = \frac{ppx \pm \sqrt{ppqqxx + ppqqyy - q^4yy}}{pp - qq}$, quam ſuppoſitio $p = 2q$ reducit ad expreſſionem ſimpliciorem $\frac{4}{3}x \pm \frac{1}{3}\sqrt{4xx + 3yy}$ pro exemplo Auctoris hujus ſolutionis. Jam vero hoc exemplum eſt Æquatio $y_4 + xxyy$ &c. certi loci Geometrici, & ſecundum methodum Tangentium explicatam in 32 Diario Eruditorum Pariſienſi 1692. p. 375, nulla datur talis Æquatio, ex qua immediate non poſſit deduci expreſſio ſubtangentialis, in reſpectu ad ordinatas & abſciſſas ſuper axe aut diametro. Qua-

 propter

propter *NT* vel *t* hic eſt $2y^4 + xxyy \mp 18bxyy - 27bbyy$ quoniam $\overline{\pm 24bbxx \pm 9byy - xyy}$ puncta curvæ, de qua agitur, referuntur ad axem *CTN* per rectas *y* reſpondentes rectis $+$: Inſuper ex circumſtantiis Problematis neceſſario ſequitur, qnod etiam ſit: $\frac{4}{3}x \pm \frac{1}{3}\sqrt{4xx \pm 3yy}$, quemadmodum notatum eſt ſecundum ſuppoſitionem noſtri auctoris. Æquentur ergo illi duo valores inter ſe, & invenietur (multiplicando per crucem & relinquendo ſolam in uno membro partem incommenſurabilem producti) alia Æquatio localis; $6y^4 + 7xxyy \mp 96bx^3 \mp 90bxyy - 81bbyy = \overline{\pm 24bxx \pm 9byy - xyy}\ \sqrt{4xx - 3yy}$, quæ diverſa eſt a propoſita $y^4 + xxyy$ &c. Inutile autem foret illas elevare ad altiorem gradum quadrate multiplicando membra ſingularum, neque enim id faceret evaneſcere illarum differentias. Evidens quoque differentia reperiretur, ſi aſymmetria unius ſublata per multiplicationem quadratam, factis ambobus membris æqualibus nihilo per transpoſitionem, (unde reſultat $4y^8 + 9xxy^6 \mp 144bxy^6 - 132bby^6 + 5x^4y^4 + 729b^4y^4 \mp 244bx^3y^4 + 594bbxxy^4 \pm 1620b^3xy^4 \mp 128bx^5y^2 + 1536bbx^4y^2 \pm 1728b^3x^3y^2 + 768bbx^6 = 0$) & duplo alterius poſitæ æqualis nihilo quadrate multiplicato, (unde fit $4y^8 + 8xxy^6 \mp 144bxy^6 - 216bby^6 + 4x^4y^4 + 2916b^4y^4 \mp 272bx^3y^4 + 1080bbxxy^4 \pm 3888b^3xy^4 \mp 128bx^5y^2 + 2304bbx^4y^2 \pm 3456b^3x^3y^2 + 1024bbx^6 = 0$) ſi, inquam, æquationum h.m. ortarum ſinguli termini inter ſe comparentur. Denique ſi quis ſubire vellet laborem dividendi utramque Æquationem localium quarti gradus per quantitatem $y^4 + xxy^2 \mp 18bxy^2 - 27bby^2 \mp 16bx^3$ datam in loco Geometrico propoſito, prior deprimeretur ad $y^4 + \frac{5}{4}xxy^2 \mp \frac{42}{4}bxy^2 - \frac{27}{4}bby^2 \mp 12bx^3 = 0$, altera vero ad $y^4 + xxy^2 \mp 18bxy^2 - 27bbyy^2 \mp 16bx^3 = 0$, qui ſunt duo loci Geometrici differentes, cum tamen ſecundum problematis naturam, ſolum provenire deberet locus propoſitus. Solutio ergo talis primo intuitu videtur priori in caſu, ut *x* & *y* non ſint amplius indeterminatæ, atque ita ſolum

ſolum puncta nonnulla *M* exhibeat, loco lineæ curvæ integræ *CMm*. Ex quo poſſet concludi; quia omnis Æquatio localis exprimit certæ curvæ naturam, tangentes curvæ Geometricæ, de qua quæritur, non habere proprietatem ſuppoſitam. Malo tamen ſuspendere meum judicium, donec ſolutionis Auctor, quid de hac difficultate ſentiat, aperuerit. Interim veritas hujus propoſitionis, quod *Æqualitas duarum diverſarum expresſionum ejusdem ſubtangentialis ſemper reſtituat Æquationem loci geometrici*, firma manet & extra dubitationis aleam poſita, omnisque in analyſi Geometrica verſatus certiorem ſe de ipſa reddere poteſt, factis, quotcunque lubet, periculis circa omne exemplorum genus. Ex quibus nonnulla faciliora dabo: Æquatio loci infiniti ad Parabolas omnium generum eſt $y^{p} = a^{p-q}x^{q}$: diverſæ vero expresſiones ſubtangentialis ſunt $\frac{px^{1}}{q}$; $\frac{py^{p}}{qa^{p-q}x^{q-1}}$; $\frac{pa^{p-q}x^{q+1}}{qy^{p}}$ Harum expresſionum binas ſibi invicem æquales pono, atque ita tres habeo combinationes, in quibus omnibus divido per p & multiplico per q: in prima porro multiplico per $a^{p-q}x^{q-1}$; in ſecunda poſt factam multiplicationem per y^{p}, divido per x^{1}; in tertia facta multiplicatione per crucem per $a^{p-q}x^{q-1}$ & per y^{p}, radicem extraho quadratam: omnesque illæ reductiones, quæ admodum breves ſunt, exacte reſtituunt eandem Æquationem infinite generalem loci dati. Idem accidit, ſi locus denuo inventus fuerit mediante ſubtangentiali, & alia quadam conditione data, ut in exemplo ſequenti. Sit locus $ddx = 2dyy - xyy$ ad certam curvam, quæ eſt Quadratrix circularis Dn. Leibnitii, ut facile demonſtrari poteſt, nec non expresſio $v - \frac{dx}{t}$ ſubtangentialis t alterius curvæ, cujus locus inveniendus eſt. Hunc in finem ponatur $y = v - t = \frac{dx}{v}$: Ergo $yy = \frac{ddxx}{vv}$

cujus

cujus ſubſtitutione facta loco yy in æquatione data oritur (poſtquam per vv multiplicatio & per ddx utrinque diviſio facta eſt) $vv = 2dx - xx$ pro loco quæſito, cujus ordinata eſt x & abſciſſa v, quique eſt ad circulum, in quo ſinus rectus eſt æqualis & parallelus v, ſinus autem verſus lineæ x. Jam vero quæritur, utrum ſubtangentialis ſuppoſita $v - \frac{dx}{v}$ eidem competat. Generalisſimum & maxime ſecurum medium id experiundi eſt, ſi ex hoc loco deducatur expresſio ſubtangentialis per calculum, de quo in antecedentibus ſum locutus, & alteri ponatur æqualis. Nam vel plane ſecundum ſingulos terminos inter ſe æquales erunt, vel ipſarum æqualitas locum ad circulum reſtituet. Et omnino ex $\frac{2dx - 2xx}{2v} = v - \frac{dx}{v}$ provenit manifeſte $2dx - xx = vv$ locus inventus. Poſſem hoc argumentum proferre ulterius, niſi jam ſatis prolixus fuiſſem in hac animadverſione.

DE MOTU MUSCULORUM MEDITATIONES Mathematicæ, communicatæ a Joh. Bernoullio Baſil. Med. Doctore.

SUppono (1) fibras motrices muſculorum, quæ ſine fibrillis transverſalibus cylindrum excavatum repræſentarent, per illas dividi in multa ſpatiola, quorum tamen cavitates per totam longitudinem fibræ motricis inter ſe communicant, ob laxam ligaturam fibrillarum transverſarum. (2) Cum anima vult ut corporis aliquod membrum moveatur, fieri agitationem quandam ſpirituum animalium in cerebro, ita ut vellicando principium alicujus nervi, concutiant per totam longitudinem ſuccum ſpirituoſum intra contentum, atque ab illa irritatione principii nervi guttula extrema ſucci nervoſi ex altero oſculo levi vibratione ejiciatur, quæ ſine actuali concusſione non excideret, quia ſubſtantia ſpongioſa nervorum ei loco valvularum inſervit. (3) Quando hoc modo innumeræ guttulæ per totam muſculi molem, quæ inſtar ſpongiæ perpetuo ſanguine humectata eſt, ſimul ejiciuntur ex orificiis nervulorum, particulas earum ſpirituo-

ſas

ſas ſpiculis ſuis ſubtilisſimis impingendo in particulas ſanguineas tenuiores easdem diffringere, & inſito aëri condenſato exitum præbere, qui ſeſe expandendo ebullitionem & ſubſequentem inde muſculorum inflationem cauſatur. His ita poſitis, ſi quæratur 1. *de natura curvæ ſecundum quam fibra motrix expanditur*, hæc ita poterit determinari:

Sit ABC fibra, vel ſi mavis filum perfecte flexile in extremitatibus A & C affixum, quod in omnibus ſuis punctis B trahitur vel pellitur perpendiculariter ad ſuam curvaturam potentia æquali & indefinite parva, quæ hic denotatur per lineolam B H; ſitque abſciſſa A F $\sqcap$ *x*, ejus differentialis Ff $\sqcap$ *dx*, applicata FB $\sqcap$ *y*, ejus diff. GB $\sqcap$ *dy*, Curva AB $\sqcap$ *ſ*, ejus diff. GB $\sqcap$ *dſ*, BH (potentia pellens & multiplex ipſius B*b*) $\sqcap$ *ndſ*. Quia nunc quælibet potentia pellens BH dividi poteſt in duas laterales, horizontalem BE & verticalem BD, quæ rectangulum DE conſtituunt, cujus diagonius eſt ipſa BH: erunt ob ſimilitudinem triangulorum BG*b* & BDH, BE $\sqcap$ *ndy* & BD $\sqcap$ *ndx*. Quoniam autem potentia ſuſtinens in A ſemper eadem & conſtans manet, ubicunque etiam filum præter in C figatur, ceu cuilibet attendenti patebit, ponatur illa $\sqcap$ *a*, ſed ex mechanicis conſtat, eam tantã eſſe, quanta foret, ſi loco fili curvi AB ſubſtituerentur duo alia recta tangentia & alligata in punctis A&B, quæ traherentur in puncto cõcurſus I a duabus potentiis L & K, una horizontali LI, & altera verticali KI, quarum illa omnibus potentiis horizontalibus BE, hæc autẽ omnibus verticalibus BD ſimul ſumtis æquivaleret: verum omnes BE æquantur integr. *ndy*, quod eſt $\sqcap$ *ny*, & omnes BD $\sqcap$ integr. *ndx* quod eſt $\sqcap$ *nx*: ideoque potentia L $\sqcap$ *ny*, & potentia K $\sqcap$ *nx*. Igitur ad inveniendam potentiam partialem in A, quæ nimirum requiritur ad ſuſtinendam ſolummodo potentiam L, faciendum eſt, ceu docet Dn. *Varignon* in ſua propoſitione fundamentali ponderum ſuſpenſorum, ut ſinus anguli AIB, vel ejus complementi, ad duos rectos KIB, ad ſinum ang. MIB, i.e. ut IM ad MG, ſeu ut *b*G ad GB, i.e. ut *dx* ad *dy*, ita potentia L ſeu *ny* ad potentiam partialem in A, quæ itaque invenitur $\sqcap \frac{nydy}{dx}$. Quia nunc directio potentiæ K eſt ipſa tangens KI, ſuſtinebitur hæc tota a puncto A; ideoque potentiæ partiali inven-

TAB. V. Fig. 3.

tæ $\frac{nydy}{dx}$ addenda eſt potentia K ſeu nx, ad habendam potentiam totalem & conſtantem in A, quam poſuimus $= a$; & ſic eliciemus hanc æquationem differentialem $\frac{nydy}{dx} + nx = a$, quæ multiplicata per dx dat $nydy + nxdx = adx$, ſumtisque integralibus habebitur $\frac{1}{2}nyy + \frac{1}{2}nxx = ax$ ſeu $yy + xx = \frac{2ax}{n}$; quæ æquatio oſtendit curvam quæſitam ABC eſſe circularem, cujus radius vel ſemidiameter $= \frac{1}{n}a$. Q.E.I. Si ergo muſculus nullam reſiſtentiam ſuperandam haberet, machinulæ in perfectos & integros circellos expanderentur; ſed quia muſculus ſemper pondera & reſiſtentias, ſi non forinſecus advenientes, ſaltem ſui ipſius & oſſium ſubmovere debet, fit ut machinulæ muſculares, quas ut planas conſideramus, non integram adipiſcantur figuram circularem, ſed ex duobus ſegmentis æqualibus ejusdem circuli compoſitam. Per eandem propoſ. Varignonii potentia ſuſtinens in B, ſeu vis firmitatis, quæ requiritur ne filum rumpatur, reperitur ubique æqualis potentiæ ſuſtinenti in A.

2. *Si in rationem inter vires inflantes & vires ſuſtinentes ſeu firmitatem fibra requiſitam inquiratur*, h. e. ſi creſcentibus aut decreſcentibus n aut BH, determinare libeat, in qua ratione creſcant vel decreſcant potentiæ ſuſtinentes in A vel B, manentibus interim radiis circulorum æqualibus, ponatur BH $= mds$ & potentia ſuſtinens in A vel B $= b$, & habebitur hæc æquatio $yy + xx = \frac{2bx}{m}$; quia autem radii ponuntur æquales, erit $\frac{b}{m} = \frac{a}{n}$, ideoque $n. m :: a. b.$ h. e. vires ſuſtinentes vel firmitates requiſitæ ſunt in ratione virium inflantium; id quod etiam Frater meus ita invenit, ut videre licet in regulis, quas publicavit pro determinatione curvaturæ veli, in *Act. Lipſ.* 1692. menſ. Majo.

3. His ita ſe habentibus, ſupputare licebit *rationem inter vim dilatantem & reſiſtentias*, ſeu quanta requiratur elaſticitas auræ motivæ pro ſingulis ſublevationibus reſiſtentiarum ſemper æqualium?

cujus

Digitized by Google

cujus rei gratia fere totum Opus Borellianum confectum eſt. Sit itaque machinula muſcularis BEAD compoſita ex duobus ſegmentis circularibus BDA & BEA, & C centrum arcus AEB, ductisque radiis CA, CE, illo ad extremitatem, hoc per medietatem machinulæ, ita ut DE ſit latitudo maxima, quam bifariam ſecat in R longitudo maxima AB, ſeu chorda arcus AEB vel ADB: quoniam nunc ang. EAC = recto = RAC + ACR, erit ang. EAR = ACR, ideoque arcus AE eſt menſura anguli EAR, vel duplus BEA menſura dupli EAD. Hinc datis ſemilongitudine lateris machinulæ, i. e. arcus AE in partibus æqualibus 100000, & ſemiangulo dilatationis EAR, inveniri poteſt ſublevatio reſiſtentiæ *Z*, quæ nempe eſt æqualis exceſſui, quo arcus AEB ſuperat ſuum ſinum rectum AR, quod ita peragitur: Fiat ut peripheria circuli ad radium, i.e. ut 44 ad 7, ita numerus graduum peripheriæ 360 ad quartum $57\frac{3}{11}$, qui erit æqualis longitudini radii in gradibus: facto nunc ut numerus graduum ang. EAR vel arcus EA ad $57\frac{3}{11}$, ita numerus partium æqualium 100000 longitudinis arcus EA, ad quartum, qui erit æqualis numero partium æqualium radii AC, qualium arcus EA continet 100000; habebitur tandem longitudo ipſius AR, nimirum faciendo, ut ſinus totus ad ſinum ang. EAR vel arcus EA, ita numerus inventus partium radii AC ad quartum, qui erit æqualis numero partium æqualium ipſius AR, qualium arcus EA continet 100000; duplus itaque exceſſus arcus AE ſupra ſinum AR inventum, erit ſublevatio reſiſtentiæ Z quæſita. Q. E. I. TAB. V. Fig. 4.

4. Poſtquam ſublevationes ſic inventæ ſunt, *vires dilatrices reſpectivas* pro ſingulis ita determinabimus. Supra n. 1. poſuimus potentiam curvam in quolibet puncto, vel potius in qualibet differentiali curvæ, perpendiculariter prementem = *nds*: vis itaque dilatans, vel elaſticitatis auræ motivæ abſoluta, qua latera machinulæ dilatantur, exprimitur per *n*, ſed ibidem invenimus ponendo vim ſuſtinentem vel firmitatis in quolibet fili puncto requiſitæ = *a*, radium arcus circuli, in quem filum incurvatur, fore $= \frac{1}{n} a$. Quia vero, per citatam Dn. Varignonii propoſitionem, reſiſtentia *Z* eſt ad vim ſuſtinentem in B, cujus utique directio eſt ipſa tangens BF, ut ſinus anguli EBD ad ſinum anguli EBR, erit $a = \frac{z M \mathit{ſin.}\, EBR}{\mathit{ſin.}\, EBD}$

& ſic ſubſtituto in quantitate $\frac{1}{n}a$ loco a ejus valore, habebitur radius (per modum ſuperiorem inventus, quem itaque vocemus r) $= \frac{zM\,\text{ſin.}\,EBR}{nM\,\text{ſin.}\,EBD}$, ideoque vis elaſticitatis abſoluta auræ motivæ $n = \frac{zM\,\text{ſin.}\,EBR}{rM\,\text{ſin.}\,EBD}$: & conſequenter vis, qua premitur ſemilatus machinulæ, id eſt nAE erit $= \frac{100000\,zM\,\text{ſin.}\,EBR}{rM\,\text{ſin.}\,EBD}$. Calculi hujus beneficio conſtruximus tabellam quandam, ad imitationem illius, quam Borellus pro ſua hypotheſi confecit; quæ ſi conferatur cum noſtra, videbitur ingens diſcrimen, tum quoad vires motivas, tum quoad ſublevationes: ubique enim illas aut juſto majores, aut juſto minores facit.

Ex hac autem tabula liquet, veſiculam muſcularem AEBD integram circularem figuram nunquam adipiſci poſſe, quia nempe vis abſoluta elaſticitatis eo in caſu infinities ſuperare deberet reſiſtentiam, id quod impoſſibile eſt; & quia maxima machinulæ contractio ſeu reſiſtentiæ ſublevatio *ad quam non* eſt æqualis 72728 partibus earum qualium ſemilongitudo lateris continet 100000: clarum quoque eſt, quamvis machinulam in maxima ſua diſtenſione ad partem circiter ſui tertiam non contrahi; id quod etiam de ipſo muſculo cenſendum. Conſtat etiam hinc, quoniam ab initio intionis, cum angulus ſemidilatationis EAR valde acutus eſt, reſiſtentia permagnam habet rationem ad vim abſolutam elaſticitatis auræ motivæ, (ſiquidem angulo EAR exiſtente 30 min. reſiſtentia eſt ad vim elaſticitatis ut 22900000 ad 1) debili admodum ebullitione opus eſſe in muſculis ad immenſam, imo incredibilem energiam muſculorum efficiendam; imo minimam inflationem muſculorum datam quamvis reſiſtentiam ſuperare, & proinde tenerrimum infantem quantamcunque molem elevare poſſe. Sed quanto reſiſtentia major eſt vi motiva elaſticitatis, tanto ſublevatio minus ſenſibilis evadit.

4. *Quantitates ſpirituum animalium, quæ manente ſublevatione reſiſtentiarum ſemper eadem pro ſingulis reſiſtentiis impenduntur*, h. m. inveniuntur.

Vires inflantes i. e. vires abſolutæ elaſticitatum auræ motivæ in æquali-

æqualibus circulis ſunt viribus ſuſtinentibus proportionales per *n. 2:* quoniam autem, manente ſublevatione reſiſtentiæ vel angulo EBD ſemper eodem vires ſuſtinentes (ceu patet ex prop. Dn. Varignonii) ſunt in ratione reſiſtentiarum *Z*, oportet ut etiam reſiſtentiæ elaſticitatibus ſint proportionales. Pro conceſſo etiam aſſumimus, quantitates auræ motivæ, i.e. denſitates ejusdem voluminis auræ motivæ, & quantitates ſpirituum animalium vel ſucci nervoſi, eandem ſemper ſervare rationem, h.e. duplam, triplam, quadruplam copiam, ſucci ſpirituoſi excitare duplo, triplo, quadruplo denſiorem auram motivam. Res itaque expedita foret, ſi conſtaret, quomodo creſcentibus denſitatibus creſcant elaſticitates. Id quod h. m. indagatur. TAB. V. Fig. 5. In dato volumine *a* concipio particulas aëris vel auræ elaſticæ occupare ſpatium *b*, & materiam ſubtilem reſiduum voluminis ſpatium $a-b$; nunc in æquali volumine *a* aliam quantitatem auræ elaſticæ *c* concipio, ita ut reliquum ſpatium materiæ ſubtilis ſit $a-c$; ideoque ex iis, quæ demonſtravit Frater in *Diſſert. de Gravit. Æth. p. 97. ſſ.* elaſticitas aëris primi voluminis eſt ad elaſticitatem ſecundi, in ratione compoſita ex reciproca ſpatiorum a materia ſubtili occupatorū & directa aëreorum, nempe ut $ab-bc$ ad $ac-bc$. Sed denſitas primi eſt ad denſitatem ſecundi in ratione directa ſpatiorum aereorum, nempe ut *b* ad *c*. Si itaque conſtruatur curva ACD ad axem AF, ejus naturæ, ut ſumta in axe AB $=a$, & ductis adplicatis DF, CE, rectangulum ſub BE & AF ſit ad rectangulum ſub BF & AE, ut DF ad CE, ſumanturque abſciſſæ AE, AF pro denſitatibus aëris in volumine per cōſtantem lineam AB deſignato contenti, erunt adplicatæ DF, CE, ejusdem elaſticitates. Si more Algebraico quæratur æquatio naturam curvæ ACD exprimens, invenietur poſitis conſtante AB $=a$, & alia ad libitū aſſumta BF $=f$, DF $=g$, abſciſſa AE $=x$, & adplicata EC $=y$, hæc æquatio: $fgx = aay - afy - axy + fxy$, quæ indicat curvam quæſitam eſſe hyperbolam, & adplicatam BG in B fore infinitam adeoque aſymptoton hyperbolæ; cujus centrum habetur producendo aſymptoton GB in R, ita ut BR ſit quarta proportionalis ad AF, FD & BF; ſemiaxis transverſus eſt æqualis mediæ proportionali inter BR & duplam AB. Ex quibus perſpicuum eſt, elaſticitates præſertim in aere multum condenſato in longe majori ratione creſcere, quam ipſæ denſitates: elaſticitas etenim tandem abit in infinitum

Digitized by Google

nitum, quando denſitas ſuum quidem maximum, ſed non niſi finitum gradum attingit.

Quandoquidem igitur denſitates auræ motivæ ejusdem voluminis quantitatibus ſpirituum animalium impenſorum, qui illum effervescendo cum ſanguine produxerunt, proportionales eſſe ſumſimus, elaſticitates vero ſunt proportionales reſiſtentiis, hinc colligimus, ipſam etiam hyperbolam ACD determinare relationem reſiſtentiarum ad quantitates ſpirituum abſumtorum, i. e. ſi CE, DF notent reſiſtentias, denotabunt AE, AF quantitates ſpirituum abſumtorum. Sit jam volumen machinulæ muſcularis, vel quod etiam valet, omnium muſculi machinularum ſimul ſumtarum, quod exprimitur per AB, 10 partium, BF ſeu f ⊏ 1, FD ſeu g ⊏ 100000; ſi nunc quantitas ſpirituum animalium, i. e. AE ſeu x ſit partium

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

per æquationem curvæ reperietur CE ſeu y i. e. pondus elevandum partium 1234. 2778. 4762. 7407. 11111. 16666. 25926. 44444. 100000. *infinit.* Hinc etiam ratio petenda eſt, cur magna pondera (viribus noſtris proportionata) non multo majori cum difficultate eleventur ad eandem altitudinem, quam exigua. Omnis enim difficultas in motionibus animalibus peragendis unice, ut credo, provenit a diſpendio ſpirituum animalium; verum ſpiritus in longe minori ratione abſumuntur quam ſunt pondera elevanda; ita ut, ſi e. g. elevandum ſit pondus duplum, non ideo requirantur etiam duplo plures ſpiritus animales, ceu ſatis clarum eſt ex laterculo iſto, ubi reperitur quod ope quantitatis ſpirituum animalium, quæ ſit ut 8, elevetur pondus quadruplo majus, quam alia quantitate, quæ ſit ut 5, licet jactura ſpirituum illo in caſu ne quidem duplo major ſit, quam jactura in hoc, utpote quæ ſe habent ut 8 & 5. In hac igitur ratione etiam ſe habebunt difficultates, quæ ſentiuntur in attollendis ponderibus.

AL SERENISSIMO PRINCIPE DI Toſcana, Formazione e Miſura di tutti i Cieli, con la ſtruttura e quadratura eſatta dell' intero, e delle parti di un nuovo Cielo ammirabile, e di uno degli antichi delle Volte regolari degli Architetti. Curioſa Eſercitazione Matematica di V. V. ultimo Scolare del Galileo, Accademico Fiorentino, il Rinvigorito Accademico della Cruſca.

h. e.

h. e.

Vincentii Viviani Exercitatio curioſa Mathematica, de formatione & menſura fornicum &c. dedicata Sereniſſimo Hetruriæ Principi.

Florentiæ, typis P. Matini, 1692. in 4. Plag. 6.

QUi problema Florentinum, cujus ſolutionem tum Leibnitius, tum Bernoullius calculo Leibnitiano uſus, in Actis noſtris A. 1692. p. 274. 370. & A. 1693. p. 42. dederunt, propoſuit, *Vincentius* eſt *Vivianus*, Magni Ducis Hetruriæ Mathematicus & operum publicorum Director, Mathematicorumque noſtri temporis per Italiam facile princeps, genuinus quippe magni Galilæi ſucceſſor ſoluſque ex ipſius diſcipulis ſuperſtes. Id quod ipſe quoque nomine *D. Pio Liſci Puſillo Geometra*, quod transpoſitione literarum facta mutatur in *poſtremo Galilei Diſcipulo*, innuere voluit. Editurus autem ſolutionem problematis commemorati, non ab re ſe facturum putavit, ſi de aliis quoque fornicum generibus quædam adderet, ſimulque doceret, quomodo non torno ſolum elaboranda, ſed ad menſuram quoque ſint revocanda, exactam quidem illa, quæ quadrari poſſunt, veræ propinquam autem, quæ quadraturam reſpuunt. Nam ex ſex fornicum generibus quæ adferuntur, tertium ſolum quod ſcaphiforme Romanum dicas (*Volta a ſchifo alla Romana*) & ſextum ſeu veliforme Florentinum, (*Volta a vela alla Florentina*) de quo problemate I agitur, eſt quadrabile. Id vero hac ratione conſtruitur: Sit ſphæra cujus circulus maximus verticalis eſt ACBD, diameter Horizontalis AB, centrum E, radii EA, EB. Biſecentur radii in F & G, & fiat trepanum, cujus acies ſecans ſit æqualis radiis AE, EB. Perforetur hoc inſtrumento globus ita, ut axis trepani ſemper ſit perpendicularis plano ACBD in punctis F & G, & ex illo auferat duos circellos AHEL, & EIBM ſe tangentes in E. Erunt h. m. ablata ex ſuperficie cujusvis hemiſphærii quatuor ſpatia æqualia, quæ feneſtrarum vices gerunt, ita ut, quod in quavis ſuperficie hemiſphærica reſtat, ſit æquale quadrato axis ſphæræ, vel duplo quadrati ACBD inſcripti circulo maximo: tota autem ſuperficies ſphærica, demtis feneſtris quatuor circularibus, quadrupla quadrati illius, perinde ut integra ſuperficies ſphæræ quadrupla eſt circuli maximi, ac tandem quævis fe-

TAB. V. Fig. 6.

ne-

neſtra circularis quadrupla ſegmenti ARC vel CSB. Quæ ſolutio tantopere probata fuit Leibnitio noſtro, cujus ingenium Auctor pro humanitate ſua ſingulari, & candida in aliorum laboribus cenſendis æquitate, ſummis laudibus effert, ejusque quadraturam circuli arithmeticam, in *Actis anni 82. menſe Febr.* olim publicatam, admirandam judicat, ut ipſi viſa ſit propria elegantior. Cæterum quamvis celeberrimus Vivianus præclaro de Maximis & Minimis opere, aliisque egregiis ſcriptis dudum ſibi immortalitatem pararit, ut ad gloriam partam accedere vix quidquam poſſit; Reipublicæ tamen intereſt edi adhuc præclara multa, quæ premit: ex quibus opus de locis ſolidis jam perfectum, ſed nondum publicatum, eſſe intelleximus. Et cum circa motus aquarum, aliaque ad publica commoda pertinentia, multa eum præclara & ſeculis profutura obſervaſſe audiamus; optamus perſuaderi ipſi poſſe, ne perire theſauros illos patiatur.

DESCRIPTION DE L' AIMANT, QUI s' eſt formé à la pointe du Clocher neuf de N. Dame de Chartres: par M. L. L. de Vallemont, Pretre & Docteur en Theologie.

h. e.

Deſcriptio Magnetis geniti in faſtigio novæ turris campanariæ B. Virginis Carnutenſis, auctore L.L. Vallemontio, Presbytero & Doctore Theologiæ.

Pariſiis apud Laur. d' Houry, 1692. 12. plag. 9½.

QUæ circa principium Octobris anni 1690. impetuoſa furebat, in Belſia præcipue, procella, non aliis ſolum ædificiis damnum attulit, ſed novum quoque campanile B. Virginis Carnutenſis ita concuſſit & afflixit, ut collapſurum videretur. Cum ergo, ne ſuo lapſu noceret vicinis, æſtate ſequenti dirueretur, in faſtigio ipſius circa ferrum, quo jungebantur lapides, reperta fuit denſa quædam rubigo, aut cruſta ferruginea, cujus pars inter lapides latens optimi magnetis naturam habet, ut primus deprehendiſſe dicitur Caſſegrain Chirurgus

gus Carnutenſis. Cum autem ſingularis plane ſit magnetis extra terræ gremium geneſis, & ferri in lapidem magneticum mutatio, digna non ſolum viſa fuit Academicis Regiis Pariſienſibus, ut eam ſcrutarentur, ſed Vallemontio quoque, qui nactus particulas quasdam hujus Rubiginis, eas variis ſubjecit tentaminibus, illasque, quæ ferrum attrahunt, magneti ex terra erui ſolito tam eſſe ſimiles, ut ovum ovo, proprietatesque magnetis omnes habere comperit. Affudit etiam aquam fortem, ſpiritum nitri, nec non vitrioli, qui in ferrum promte agunt, ſed magnetis nativi nigram partem intactam relinquunt, Rubigini Carnutenſi magneticæ, eique nullam mutationem accidere obſervavit, ſecus atque contigit in partibus reliquis, quæ virtute magnetica ſunt deſtitutæ. Quandoquidem autem cogitationes, quas de ortu magnetis hujus amicis expoſuit, non parum diſcrepare deprehendit ab illis, quas Dominus de la Hire in Ephemeridibus Eruditorum Pariſienſibus recenſuit, ſuaſu illorum eas præſenti libello comprehenſas edidit in publicum. Atque primum quidem non plane novam hanc rem eſſe, ſed jam pridem a Gaſſendo Aquis ſextiis A. 1634, nec non Mantuæ a Philippo Coſta obſervatam oſtendit. Ipſum autem magnetem Carnutenſem genitum ſuſpicatur, dum ferrum, quod, ubi repertus fuit magnes, maxima ex parte exeſum fuit, ſulphur; lapides, ſal vel nitrum; pluvia vero limum quendam & humiditatem, qua in motum & fermentationem reliqua excitata fuerint, tanquam ſymbolas, contulerint; & materia magnetica circa terram perpetuos gyros deſcribens, in molli adhuc materia tales ſibi efformaverit poros, quales in magnete alias reperiuntur. Quod vero reliquæ partes illius cruſtæ aeri nimis expoſitæ virtutem magneticam non acquiſiverint, hinc factum putat, quod in formatione citius, quam par erat, ab aere exſiccatæ induruerint, ut materia ſubtilis magnetica conformationem interiorem requiſitam ipſis dare non potuerit. Omnia autem ſtrictim hic expoſita fuſius ex philoſophia magnetica illuſtrat clariſſimus Auctor, & quæ in Domini de la Hire ſententia requirat, commemorat.

CHRISTIANI VVORMII, VVILH. FILii, de corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem Veſtigiis. Liber Secundus.

Hafniæ, proſtat apud J. M.Liebe, A.1694.in 4.
1. Alph. 6. plag.

QUæ ſit inſtituti a Clariſſimo Auctore in opere hoc ſuſcepti ratio, jamtum in Actis anni ſuperioris p. 443. ſeq. indicavimus, cum Libri primi contenta recenſeremus. Sed qui ſecundum hunc inſequentur, nonniſi poſt annos aliquot in lucem publicam emittere is conſtituit, qui diligentiam ſuam in notis ad R. Sabathai Strimeri Bibliothecam Rabbinicam שפתי ישנים inſcriptam, ac Latinitate abs ſe donatam, interea collocaturus eſt. Prout autem in poſtremis libri præcedentis capitibus diverſas de Judæorum origine ſententias apud Tacitum commemoratas examinare occœpit, ita telam hanc ulterius pertexere nunc allaborat.

Cap.I. Ad tertiam enim, quæ inibi refertur, opinionem ſeſe conferens, num Judæi ortum ducant ab Æthiopibus? disquirit. Ubi fabuloſa quidem plurima de gente Æthiopum narrari in anteceſſum monet, (quo etiam iſtud trahit, quod de hominum nonniſi uno in fronte oculo inſtructorum grege abs ſe in Æthiopia viſo Auguſtinus obſervet;) ſtatimque opinionem illorum allegat, qui ab Æthiopibus Ægyptios ſuam deduxiſſe coloniam affirment, velut iſtos etiam pro populis omnium primis multi venditent; ac licet e contra paſſim extremi hominum appellentur, non alio tamen ſenſu id capiendum eſſe docet, quam quod communiter accolæ maris, quales & illi fuerint, iſtam olim appellationem geſſiſſe deprehendantur. Quod autem Tacitus

C. 2. non adeo incredibilem duxerit hanc Judæorum ex Æthiopibus originem, non aliunde eſſe arbitratur, quam quod notiſſima fuerit inter gentes fabula de Moſe per quadraginta annos Æthiopibus imperante, & filiam Regis in matrimonio habente, cujus quidem natales potiſſimum accerſendi ſint ex hoc, quod per communem errorem uxor Moſis pro Æthiopiſſa fuerit agnita, cum tamen vox כשית de ea potius exponi debeat, quæ ex Arabia oriunda eſt, prout etiam alibi patria ejus Madian in Arabia & maris rubri littore conſtituatur. Pro Regis filia eam inde haberi, quod Jethro, Moſis ſocer, in Scripturis appelletur כהן, e qua voce gentiles Principem eum fuiſſe exſculpſerint. De cætero Moſen pro omnium Judæorum patre fuiſſe agnitum, argumentis paulo pluribus evincere conatur. Et primum quidem ab eo petitum eſt, quod is a Græcis alpha dici ſoleat, hoc autem nomine ab anti-

Digitized by Google

antiquis eum, qui primus fuerat aut artis alicujus inventor aut populi Pater, vocitatum aſſerit. Atque ita ſpeciatim Moſen audiviſſe cenſet, quoniam Græci ex voce אלוף, Dux, quam ei frequentisſime tribui cognoverint, ſuum ἄλφα derivaſſe videantur. Accedere poſt alia & hoc, quod gentiles ipſum Judæ coævum, imo hujus avunculum crediderint; quemadmodum corruptioni quoque anſam præbere potuerit Judæorum myſtica cum Æthiopibus comparatio in illorum ſcriptis haud inconſueta, e qua gentiles literalem interpretationem hauſerint. Imo magnum Judæorum numerum olim pariter ac hodie inter Æthiopes repertum depravandæ antiquitati viam ſtraviſſe ſuperaddit. His ita deductis, methodi ſuæ in præcedentibus jam uſurpatæ memor, manifeſtum reddere ſtudet, Æthiopiam non ſaltim nomen, ſed & omnes fere incolas, Palæſtinæ debere, quam ob rem nominis αἴθιοψ originem nequaquam ab αἴθω, quod ſit καίω, & ὄψ, ſed ab Hebræorum אתיפו, vel terminatione Syriaca אתיופי, apud Joppen, derivat, & affinitatem inter Æthiopiam & Joppen pluribus, quam heic referre liceat, oſtendit. Iſtud autem imprimis annotari meretur, quod fabulam de Andromeda Ceto expoſita nihil exhibere cenſet aliud, quam corrupta eorum veſtigia, quæ Jonæ quondam circa Joppen accidiſſe referantur. Licet enim ſexus notionem obſtare aſſerto huic dixeris, facilem tamen fuiſſe hanc detorſionem regerit, cum terminatio nominis יונה fœminina Mythologos, ut fœminam eum facerent, commoverit, ac poſtmodum, quanta inter utriusque facti deſcriptionem, apud ethnicos & in Scriptura Sacra obviam, ſimilitudo interveniat, declarat. Inſuper, ut amplius demonſtret, Æthiopes Hebræis ſua incunabula debere, iſto argumento utitur, quod eorum cum Phœnicibus congruentia e Veterum monumentis abunde diſpaleſcat, prout & Cerne inſula Æthiopica ob commercia cum Phœnicibus inſtituta paſſim celebretur; Phœnices autem origine Hebræos eſſe, primo jamtum libro indigitavit. Quinimo Æthiopes cum Chaldæis ab antiquis fuiſſe confuſos, ex eo clarum eſſe vult, quod iſti ſæpius dicantur Cephenes, quæ appellatio majori jure Chaldæis debeatur. Ac ne ſic quidem deſinit confirmare arctisſimum cognationis vinculum inter Phœnices ac Æthiopes; in inſulam quippe Cyprum proficiſcitur, Cypriosque Phœnices facit, ac inter Cyprios Æthiopes oſtendit; ad Cretenſes item exſpatiatur, & iſtos recte haberi

c. 3.

c. 4.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

c. 8.

pro

c.9. pro Phœnicibus declarat, ſed & maximam partem Æthiopes conſti-
c.10. tuit. Deinceps vero ad horum ſacra delabitur, atque ex eorum Diis Mi-
thram primo ſeligit, & ſub hoc nomine prius apud Æthiopes quam
c.11. Perſas Numen aliquod pro Jove pluvio cultum fuiſſe docet. Huic
c.12. Iſidem adjungit, cujus fabulam ex hiſtoria de prima viventium matre,
Eva, conſarcinatam opinatur. Mox Pana cum ſociis ſuis Silenis,
Satyris, & Sylvanis, nonniſi Hebraismo originem debere aſſerit. Et
cum ſpeciatim Panis geſta cum Moſaicis contulerit Huetius, nihil de
his porro ſuperaddere cenſet neceſſarium; nomen ſaltim ex Hebrai-
co ſermone depromit, eumque dictum putat quaſi Deum פן terren-
tem, ſeu פאן, terrorem, conſternationem, vel quia Moſes populis fi-
nitimis terrorem nimium incuſſerit, vel quia Pan ipſe terroris Deus ab
antiquis creditus legatur. Herculem a radice parum uſitata רחל,
mutare ſedes, nomen ſortitum, & in majorem emphaſin ה adjectum
fuiſſe autumat, nec eo quenquam denotari præter Joſuam, qui ſedes
ſuas revera commutarit, novas tam ſibi quam Iſraelitis quæſiturus. Sa-
tyros vocari quaſi סתורים, i. e. latentes, vel quia in ſpeluncis &
abditis locis ſacra iis peragere Romani conſueverint, vel quia in ſylvis
degiſſe & latibulis potius quam habitaculis ſe delectaſſe perhibean-
tur. Silenum ſeu Sylvanum a vocabulo סלוי, quod ſpinas denotet,
deſcendere. Per Satyros intelligi Iſraelitas, tamdiu in ſylvis delite-
ſcentes, quandoquidem & ii vitam paſtoritiam egerint, & præter ar-
menta nullas fere divitias habuerint. Sileno autem quæ attribuan-
tur, ad Moſen ſimiliter ſpectare. Mercurium Maja credi genitum,
ac reſpici ad Moſen, qui e מים ſive aquis extractus fuerit. Ab
c.13. his Numinibus inter Æthiopes quondam divino cultu affectis ad alia
eorum inſtituta progreditur, a circumciſione auſpicatus, quam mini-
me ab iis primum inventam, ſed ab Hebræis ad eos traductam contra
Spencerum probat; tametſi inter obſervationem utrinque occurren-
tem, ſeu intentionem ſpectes, ſeu ipſum opus conſideres, differentiam
c.14. inſignem deprehendere omnino liceat. Qua occaſione, cur Judæis
a Martiali & Perſio recutitorum cognomen tribuatur? diſpicit, & ab
initio haud omnes Judæos, ſed illos ſaltim, qui a religione defecerint,
& quaſi cutem reaſſumſerint, ita dictos; poſtea vero, cum forſan ob
nimiam tyrannorum ſævitiam repræputiationem plerique Judæo-
rum, ſaltem Romæ degentium, admiſerint, hanc appellationem in-

con-

conſuetudinem abiiſſe reputat. Talem vero repræputiationem utique poſſe fieri, teſtimoniorum copia ex ipſis ſcriptoribus Judaicis aliisque producta demonſtrat. Locuſtas Hebræis in deliciis, & Iſraelitarum in deſerto cibum fuiſſe præſupponit, ac ſimile quid apud Æthiopes obtinuiſſe ſuperaddit. c. 15.

Sed miſſa nunc tertia apud Tacitum ſententia, ad quartam properat,& in hac iſtud ante omnia breviter reprehendit, quod Judæos terras proprias coluiſſe ſcripſerit,cum tamen eos Cananitis omnes agros vi eripuiſſe notisſimum ſit. Hujus autem erroris hic fons ab ipſo conſtituitur: Judæos dictos ab antiquis Phœnices, Cananæos autem eſſe Phœnices,atque ita Tacitum Judæos Phœnices, i. e. Cananæos, credidiſſe. Verum majoris eſſe momenti ait quæſtionis illius excusſionem: cur Aſſyrios convenas Judæos nuncuparit Tacitus? & ad eam dum reſpondet, frequenter admodum apud antiquos Syriam Phœniciamque confundi, & id ex depravato Tyri, urbis Phœniciæ, nomine צור manaſſe probat. Suum vero iſtud placitum hic repetit, quod Cyprii origine Phœnices ſint, ac inſuper hoſpites hujus inſulæ Aſſyrii quoque appellati fuerint. Cumque ibi præcipue Venerem divino honore cultam noverimus,Tyro ei incunabula ſuppeditante, inde hanc Deam ethnicis eandem eſſe,quam Hebræis Saram, conjecturis quibusdam roborare nititur. E quibus ſatis queat perſpici,hoc in loco per Aſſyrios non intelligendos eſſe alios,quam Phœnices. Iſtos de cætero aliqua hujus generis ſervare inſtituta, quæ eorum cum Hebræis cognationem eloquantur, perhibet. Nobis autem plura jam referre non vacat,præter iſthoc unicum,quod de cultu columbarum apud eos celebrato adducit,& hunc quidem exinde ortum profitetur: Nomen nempe divinum יהוה olim raptisſime pronunciatum fuiſſe Jhova. Hoc cum Cananæi audirent,pro Jhova forte יונה columbam eos intellexiſſe, præſertim cum pro Iſraelitis vixdum natis בני יונה filios columbæ offerri comperemint, atque hoc pacto ad ſuperſtitionem ſingularem fuerint provocati. c. 16. c. 17. c. 18. 19. c. 20.

Tandem,cum Tacitus alios Judæorum initia ſcribere teſtetur a Solymis,gente carminibus Homeri celebrata, conditæ urbi Hieroſolymæ nomen e ſuo faciente,multos præterea ſententiam hanc cum Tacito communem habuiſſe annotat, quod inde natum videatur, quoniam urbs Hieroſolyma ſæpius in Scriptura S. Jebus & Salem c. 21.

Digitized by Google

nuncupetur, e quibus vocibus conglutinatis, non magna adeo inter ב & ר quoad ſcriptionem differentia accedente, Jeruſalem quaſi Jebuſalem dictam exiſtimarint; & quia Jebus terram aridam ac ſæpe montanam denotet, Salem vero proxime ad Solymos accedat, ortum hinc figmentum Taciti & Stephani περὶ πόλεων, Hieroſolyma dicta quaſi Oroſolyma ἀπὸ τῶν ὀρῶν Σολύμων. Ipſemet autem Joſephus ab hac opinione non alienus eſt, ac proinde verba quædam ejus hac de re Auctor examinat, & vel duplici de cauſa eadem falſi arguit, ſemel, quod Judæos ſub Xerxe militaſſe aſſerant, & iterum, quod ex allegato Chœrili Poëtæ teſtimonio τροχοκουρίδες hi Solymi appellentur, quo titulo ſi quis Judæos inſigniret, illum ne lotis quidem manibus ad ſacra ipſorum adſpicienda acceſſiſſe dicendum. E contra Solymorum olim nomine veniſſe Pamphilios, Cilices, Lycios, Piſidas, gentes a Judæis longe alieniſſimas. Rhodios tamen, inſulæ Lyciorum Dominæ habitatores, Phœnices eſſe probat, & apud hos a Judæis mutuatam videri legem de coma apud certos homines peculiari voto obſtrictos non radenda; de mortis reo extra portas urbis ejecto; de bobus ad imitationem Salomonis in Templo Jovis Atabyrii conſtitutis; lucum item quadratum in memoriam Paradiſi e quolibet angulo ad irrigandam terram certum flumen emittentis; variaque ſacra ad recolendam Moſis, Joſuæ, & Calebi memoriam inſtituta; ut Phœnicum linguam Rhodiis uſitatam, aliaque huc facientia, ſilentio prætereamus, nec multum exponamus, quibus argumentis neceſſitudinem inter Solymos ac Rhodios evincere ſtuduerit. Populos vero modo dictos Solymorum nomine, quod idem ac montanos denotet, a regionum ſitu appellari credit, iterumque Solymos hos origine Phœnices eſſe rationibus quibusdam probatum dare ſatagit.

C. 22. (margin, at "ces, Lycios")

C. 23. (margin, at "Populos vero")

LA SCIENCE DES MEDAILLES &c.

i. e.

Cognitio Rei Numariæ, ad erudiendos eos, qui Numorum Veterum & Novorum intelligentiam ſtudere incipiunt.

Lutetiæ apud viduam Marbre Cramoiſy.
1693. in 12.

Scitus

SCitus hic atque elegans Libellus eſt, arguta ac erudita ſimul brevitate complectens omnia, quæ quoquo modo illos, qui animum ad Rei Numariæ ſtudium applicant, ſcire convenit: nec poterat in hoc genere fingi quid elegantius. Dolendum, Autorem nomen ſuum nos ignorare, nec inire gratiam voluiſſe, quam publicitus promeruit. Marius Gratidianus, Cicerone & Plinio teſtibus, cum primus artem reperiſſet, Denarios probandi, multitudini apud Romanos tam charus fuit, ut omnibus vicis ſtatuas, & ad eas thus & cereos illi dicarent. His paria facere, cum diſciplina temporum non permittat, nec ſi permitteret, *Ἀνδρὶ ἀγνώςῳ* ea præſtari queant, habendus igitur in pretio magno liber eſt, geſtandusque in ſinu. Cæterum, cum nihil temere, nihil fruſtra in eo dicatur, difficilis illius evadit in brevem recenſionem coarctatio, & ab archetypo labi neceſſe eſt. Summam tamen rerum quas Auctor inculcat, & plurimum rationibus ac exemplis corroborat, indicabimus, ut ipſius libelli legendi ſalivam moveamus.

In Præfatiuncula dicit Autor, nolle ſe poſt tot tantosque, qui in laudando Rei Numariæ ſtudio, ingenium & induſtriam exercuerunt, aliquid in commendationem ejus afferre, præter ſolum illud, quod non minus, quam Hiſtoriarum cognitio, ingenuos animos deceat; quodque harum veritas, haud firmiore, quam ex Numis petito præſidio, nitatur. Cæterum, cum multi illis, qui Notitiæ in re Numaria parandæ cauſa, Veterum Monetam colligunt, imponant, & turpi quæſtu, malos Numos pro bonis obtrudant, pollicetur, ſe oſtenſurum modos, quibus quis, ne decipiatur, cavere debeat. Affert autem, hac occaſione, cætera quoque, in tota Re Numaria notatu digna, XII. Præceptionibus ea includens.

Præceptio I. De Ætate Numorum & de Tempore, quod pretium illorum adauget.

Veteres mortales res invicem permutabant, & difficultas cudendorum metallorum, diu prohibuit, ne Numi ex ipſis effingerentur. Quin & hodienum integræ Nationes reperiuntur, quæ Numis carent. Etiam, ex quo metalla, pro rerum emtarum pretio adhiberi cœperunt, per longum tempus ponderabantur, priusquam Numorum figuram acciperent.

Numi, *Generatim*, ſunt vel Veteres, vel Recentes. *Veteres*, quibus-

buſdam dicuntur, qui usque ad IX a Chriſto nato Seculum, fuere procuſi. Satius autem fuerit, eos cum Seculo IV. & Theodoſio Imperatore finire. *Recentes* vocamus, qui intra proximos hos trecentos annos, prodiere in lucem.

Veteres Numi, quatenus Antiquariorum Numismatotbecas componunt, dividuntur in Græcos & Latinos. *Græci Numi* Romanos, uti ætate, ita artificio quoque, in figurarum habitudine exprimenda, longiſsime antecedunt: ac ſunt in his illi, quos Civitates procuderunt, a Regibus cuſis antiquiores.

Latini Numi haud ulli *Conſularibus* ſunt vetuſtiores. Primi enim Reges, ſaltem Numos Aureos Argenteosque nullos dederunt. *Familiarum* ergo recenſio, primum antiquitatis locum tenet in Numis Romanis. *Imperatorii Numi* ſunt vel Veteris, vel Declinantis Imperii Romani. *Illud* a Julio Cæſare, vel Auguſto incipiens, ad XXX. Tyrannos usque ſeſe porrigit. *Hoc* inde, ad captam usque a Turcis Conſtantinopolin, extendere licet.

Recentium Numorum congeries, ubicunque gentium effictos admittit. Ac per hos, Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Civitatum, & privatorum quoque illuſtrium hominum, fit oſtenſio. Ad hæc figurant nobis Prælia terra marique depugnata, Coronationes Regum, Funera, Hymenæos, & cæteras Res Sacras ac Profanas omnes. Habent hoc boni, quod illorum intellectus, ob recentem memoriam, facilior eſt; quod temporum epochas ſignant; quod minor in iis, quam antiquis, adulatio; quod immunes a fraude, cum quid fuſum, quidve cuſum ſit, levi negotio in iis diſtinguatur, ac nulli adulterini adhuc effictí ſint, ad verorum imitationem. *Pontificum Romanorum* ſeriem, per annos 250, hoc eſt a *Martino V.* usque ex Numis integram dari conceditur. Sed eorum, qui *Julium II.* præceſſere, novi ſunt typi, Alexandro VII. ſedente, Bidoti cura, & Franciſci Barberini Cardinalis auſpiciis, effícti. Antiquiorum Pontificum ſucceſsio, tantum per ſigilla plumbea, Bullis eorundem appenſa, deducitur. Hæc autem, ſola illorum Nomina, cum Petri & Pauli Apoſtolorum imaginibus referunt, ac primus *Sixtus IV.* vultu ſuo Numos notavit. *Imperatorum ſequioris ævi Succesſionem Numariam*, monetalem pecuniam eorundem in ſubſidium vocando, inde a Carolo M. ſiſtere poſſumus, quod & Strada fecit ad Matthiam usque Cæſa-

Cæſarem, ſed Numis magna ex parte ſuppoſititiis. *Numorum Memorialium*, qui hos Imperatores autores habent, verus ordo, a Friderico II. (legendum III.) repetitur, cui addi ſolent *Numi Regum Hiſpaniæ*, qui Philippum I. Caroli V. Imp. patrem, non excedunt. *Franciæ Regum Seriem Numariam*, nulla alia, cujuſcunque in Orbe imperii, æquaverit, quæ inde a Clodovæo, per annos 1200. integra habetur. Sed, ſi Bidotum ſequimur, nemo ante Carolum VII. Monetæ ſuam imaginem impreſſit. Venerabilis Meneſtrerius, *novo invento*, Ludovici XIV. qui ſceptra tenet, Regis, vitæ totius hiſtoriam perpetuam, inde a primis incunabulis, per Numos elegantiſſime concinnavit.

Præceptio II. De Varietate Metallorum, quæ Numis præbuere materiem.

Pretii Numorum haud præcipue ex materia fit æſtimatio. Quippe Numus Æreus, raro ſe offerens, ejusdem commatis aureo, cujus copia habetur, eſt longe carior. Nempe ſic Otho æreus, majoris moduli, taxationem exſuperat: Aureum ementes, Ducatos octo, Argenteum, non totum Vallenſem, metalli æſtimio ſuperaddunt. Vel Numæ Regis as ſcorteus ſicubi ſeſe offerret, quantivis pararetur, ducendo inter Numos Romanos agmini.

Numi diverſorum metallorum, in eadem ſerie non ſunt permiſcendi, niſi quod quandoque Aureos, in Argenteorum, qui defecere, locum, ſubſtituere permittitur; id vocant, *ſtipe aliqua ſeriem ditare.*

Aurum in Numis Romanis eſt vel ſumme purum rutilansque, vel generis ſequioris, quod Alexandri Severi permiſſu invaluit, & quinta ſui parte eſt degener; quanquam ipſius Severi, & Imperatorum qui illum exceperunt, Numi Aurei bonitate nihil concedunt iis, qui Auguſti ævo fuere cuſi: vel eſt magis adhuc depravatum, & pallens, quale in Gothicis quibusdam deprehenditur. Eſt quoque *Aurum in veteribus Græcis Numis*, bonitatis eximiæ, & illi par, quod in antiquo Romano Imperio adhibitum, Caratiorum videlicet 23. & Granorum 16. Memori mente tenendum, Romanos, nullos Aureos Numos procudiſſe ante A.V.C.546. Quod ſi ergo in primorum Regum aut Conſulum Numos Aureos quis incidat, tanquam falſi ſpernendi.

Argenteæ Monetæ initium, apud Romanos incidit in A. V. C.

484. Argento autem fere ſemper ad eam rem uſi ſunt ignobiliore, maxime poſt Septimium Severum. A Gallieni tempore, in quibusdam Numis argentum penitus æroſum, & a Poſtumorum ætate, *æreos argentatos* offendas. Sunt & *Bracteati* aliqui, in quibus æs tenui argenti bractea obducitur: quæ fraus ingenioſa, jam in Auguſti Triumviratu cœpit, & antiquitatis in Numo nota eſt certisſima.

Æs in Numis modo eſt rubrum, modo luteum, modo coloris communis. Extant aliqui, quibus *Æs Corinthium* materiem præbuiſſe creditur, etſi non deſunt, qui negant, ullos ex Corinthio ære Numos fuiſſe procuſos; quia, diſſolvendo eos, qui tales exiſtimabantur, haud unquam vel minimum auri granum ſe prodidit. At Corinthium æs, ex variorum, cum Corinthus conflagraret, metallorum confuſione, prognatum eſſe dicitur.

Reperiuntur etiam, contra multorum opinionem, veteres *Plumbei Numi* genuini, rarenter tamen.

Ridendi, qui Æreos Numos antiquos *inaurant*. Ex puro puto *Ferro* effictos, nullos offendas.

E triplici Metallo, *tres* adornantur vulgo Numorum *Conſtructiones*. Una *Aureorum*, quæ mille & ducentorum numerum, in Imperatoriis non excedit. Altera *Argenteorum*, quæ trium millium numerum in Imperatoriis ſuperat. Tertia *Æneorum*, quæ ad millia ſex aut ſeptem poteſt produci.

Præceptio III. De diverſa Magnitudine, quæ diverſas, in Aureis, Argenteis, & Æreis Numis efformat Series.

Apud Veteres, tantæ magnitudinis ac craſſitiei Numi, quales nunc interdum confiunt, minime effingebantur. Antiquorum enim diameter ſumma eſt quatuor pollicum, quæ granditas, ad quartam usque pollicis partem, patitur imminutionem.

Metalliones vocamus Numos prægrandes, qui Monetæ uſum neutiquam præſtabant, ſed in Ludis publicis, aut Triumphis jactabantur in vulgus, aut quibus Legati, & peregrini Principes donabantur, Romanis *Miſſilia* dictos. Quia haud magna illorum ſuppetit copia, nec conſtat quenquam unquam ultra quadringentos aut quingentos poſſediſſe, in Numismatothecis primo loco poni ſolent.

Metal.

Metalliones Conturniati vocantur, quos limbus depreſſior ambit, & in quibus figuræ, longe minus, quam in veris Metallionibus protuberant. Origo a Græcis, & Ludorum ſolemnium brabeis petenda videtur, ac ſua opinione decipi eos, qui ante Theodoſium nullos tales cuſos fuiſſe contendunt, ſuadet ratio.

Argenteorum Metallionum, non quidem quoad Imperatores, Reges tamen aliquos, ac Civitates, inſtruere licet ſeriem, idque circa Syriæ Reges Vaillantius præſtitit. *Aurei Metalliones*, ob infrequentiam ad id tantum conferunt, ut reliquorum Aureorum vel Argenteorum ſint velut Anteambulones.

Ærei Numi diſtinguuntur in Maximæ, Mediocris, & Minimæ quantitatis: ac cuique ſua debetur laus. Sed *Maximorum* haud interrupta ſeries, in Poſtumis deſinit. Vel ſic tamen, numerus bis mille amplior eſt.

Mediocrium Numorum, non ſolum ultra Poſtumos, verum & in Occidentali Imperio Romano, ad ejus usque lapſum, in Orientali, ad Palæologos poteſt fieri extenſio. *Minimorum Numorum*, ab eo, quod Poſtumos excipit ævo, magna ubertas: ante illud, non item. Cum vero haud ullius quantitatis, omnibus numeris perfecta & abſoluta ordinatio inſtitui poſſit, fas eſt ad complendum ſeriem, minimos & mediocres interdum ſociare.

Poſt III. a Nato Chriſto Seculum, in Numis mera, quoad habitudinem, literas, icones, & verba ipſa, barbaries: nec refloruit Ars Monetaria, niſi cum Pictura, ſub Seculi XIV. initium.

Præceptio IV. De diverſis Numorum Vultibus, quatenus ex iis Sequelæ fieri poſſunt.

In quibusque Numis perfectis, duo conſideranda veniunt, Vultus, & Pars averſa. Vultus continuat ſeriem; atq; Vultus nomine nobis venit, etiam res alia præter faciem, uti Nomen aliquod, aut Monumentum publicum, modo locum perſonæ teneat, & in averſa parte Inſcriptionem habeat adjectam. Videas interdum Numos, averſa icone deſtitutos, quod, niſi *Incuſi*, vel potius *Semicuſi* illi ſint, plurimum novitatem eorum prodit.

Pro Vultuum varietate, *Quinque evadunt Numorum Coagmentationes.* Una Regum; Altera Civitatum; Tertia Familiarum Romanarum; Quarta Cæſarum & Imperatorum; Quinta Numinum.

Regiorum Numorum, pulchra & numeroſa coagmentatio fieri poteſt, ſi e diverſis metallis fabrefacti commiſceantur. *Syriæ Regum*, a Seleuco I. Nicatore, usque ad Antiochum XIII, cui Epiphanes, Philopator, Callinicus, cognomina, hoc eſt, Regum univerſorum XXVII. qui per annos 250. poteſtatem adminiſtrarunt, ſeriem, nobis dedit Vaillantius, communicaturus mox nobiscum *Regum* quoque *Ægypti* ſeriem. *Macedoniæ Regum* Numi extant elegantisſimi, quibus ſi jungantur, quos ex *Ponti*, *Bithyniæ*, *Cappadociæ*, *Parthiæ*, *Numidiæ*, & *Judæorum* Regibus tenemus, pulchrum, & ad Hiſtoriam multum conferens, prodiret ſyſtema. Superſunt *Gothicorum Regum* Numiſmata aliqua egregia, non ex argento tantum, verum & auro, quamvis ſupra modum pallido. Feruntur alia iis accepta, quorum monſtroſi Vultus, neutiquam humanam figuram referunt; literæ haud magis, quam Punicæ & Hiſpanicæ priſcæ, ſunt legibiles. *Franciæ Regum* antiquorum, maxime VI. Seculi, Numos habemus, notatos Vultibus Imperatorum Orientalium, quorum indulgentia, jure cudendæ Monetæ illi fruebantur.

Coagmentatio Numorum, quos Civitates procuderunt, inſignis evadit; atque ſolis Græcanicis urbibus editorum, 200. amplius tenemus. Goltzius in his exercuit ſuam induſtriam, cujus, non minus ac Plinii in rerum naturalium hiſtoria, fidem multi nequicquam ſolicitant. Geographiæ ſtudioſi, *Numos Coloniarum Romanarum* ſeparatim ut inſtruant, licet. Multum circa Numos ejusmodi, debemus Harduino, & Vaillantio: atque notandum, Vultus Urbicorum Numorum, plerunque Genium cujusque Civitatis componere.

Conſularium Numorum Coagmentatio, ad ducentos, aut quingentos, ſupra millenarium aſſurgit. Antiquis, ante Reipublicæ lapſum, nihil valde memorabile, ſive quoad Inſcriptiones, ſive quoad Icones, ineſt; vix enim aliud prorſi quam Romæ caput galeatum, aut Numinis cujusdam caput, averſi vix aliud quam Currum Victorialem, quem duo aut quatuor equi agunt, exhibent. Seculo VI. Urbis Romæ, ea Monetarii uſi ſunt libertate, ut ſuarum Familiarum Illuſtrium Virorum memoriam, vel in ipſorum, vel in Dei tutelaris imagine conſecrarent, donec, cum ſuis fatis jam urgeretur Reſpublica, Julii Cæſaris, ejus Percuſſorum, & qui poſtea poteſtatem uſurparunt, Triumvirorum, vultibus, Numi ſignabantur. Ante id tempus, nemini

mini permiſſum fuit, ſuum caput Monetæ indere. Conſulares Numi, etſi omnes fere Argentei ſunt, reperiuntur tamen aliqui Aurei, & Æ̈rei etiam, atque Æ̈rei quidem quantitatis cujusque. *Familiarum Deſignatio*, aut ſecundum Alphabeti literarum ordinem, cum Urſino, aut ad Goltzii imitationem, ſecundum Faſtos Conſulares fieri poteſt; atque poſterius inſtitutum, præ priore magis bellum eſt, magisque ingenioſum, modo effectum dari queat, ſed quod vix ac ne vix quidem poſſibile evadit. Cavendum enim, ne quis cum tyronibus in Re Monetaria opinetur, Conſulares Numos ſic dici, quia a cujusque anni Conſulibus fuere procuſi: nam id nominis tantum gerunt, quoniam ea tempeſtate, qua Conſules Romanam Rempubl. regebant, prodiere. Familiarum in iis expreſſa nomina, a Monetariis proveniunt.

Quarta Coagmentatio eſt Numorum Imperatoriorum, quæ ſe porrigit ad præſens usque tempus. Sed in his eorum, qui vetus, intra Julii Cæſaris, & XXX. Tyrannorum ætatem, reſtrictum Imperium ſpectant, præcipua laus; etſi poſteriorum quoque, ad Conſtantinum usque Imperatorem Numi aliqui, a venuſtate, & raritate, commendationem accipiunt. In Imperatoriis antiquis repræſentandis, Occo, quem Mezzabarba adauxit, & Patinus, operam navarunt.

Quinta, quæ eſt Numinum, Coagmentatio, facit, ut cum ſenſu, & voluptate, illorum Appellationes, Symbola, Templa, Aras, & iis devotas Provincias, cognoſcamus: quam efformant, tum Æ̈rei Numi Urbium Græcarum, tum Familiarum Argentei.

Poſſet quoque *Sexta parari Coagmentatio, ex Numis, qui ætatem tulere, Hominum Celebrium*, uti Fundatorum Rerumpublicarum, Reginarum, Legislatorum, aliorumque quos fama prædicat.

Noviſſime tenendum, Numo, qui plures uno Vultus, ſive ex adverſo ſe mutuo contuentes, ſive occipite junctos, commonſtrant, haud ita eſſe obvios.

Præceptio V. De Paginis averſis, quæ Numos magis aut minus pulchros ſcitosque reddunt.

Numi antiquiſſimi Romanorum, nil erant niſi rude æs, non figuris tantum, ſed & notis deſtitutum, primusque Servius Tullius Monetæ Bovis aut Vervecis imaginem impreſſit: inde *Pecunia* dicta, a *pecude*. Ferunt *Janum* Regem, ſeptingentis annis ante Romam conditam, Numos in Italia ſignaſſe, ac Monetæ eſſe repertorem;

quod inventum tamen alii *Saturno*, quem Janus hoſpitio exceperit, tribuere malunt. In his autem Numis, adverſa pars, Jani caput, aut Jani, Saturnique capita, occipitibus cohærentia; pars averſa, navis proram exhibebat. Talis Numorum erat conditio, quoad Romani Italiam univerſam ſui juris fecere, hoc eſt uſque ad A. V. C. 484. & C. Fabium Pictorem, ac Q. Ogulnium Gallum Coſſ. quo primum Argentei Numi fuere cusi, eosque Aurei, 62. annis poſt, fuere ſequuti. Atque tum primum utraque Numorum pagina, cultum & elegantiam accepit. Videlicet, ſucceſſit in adverſa parte Jani vultui, vultus Romæ, aut alicujus Numinis; averſa pars Caſtorem & Pollucem, equis inſidentes, aut Victoriam, bigam vel quadrigam agentem, monſtrabat; unde *Victoriatorum Bigatorum*, & *Quadrigatorum* appellatio invaluit, cum priores Numi, *Ratiti*, a *rate*, vocarentur. Mox *Monetarii* ſua nomina, & Familiarum ſuarum decora in Numis expreſſere. *C. Julius Cæſar*, cum nomine Dictatoris Perpetui, totam Rempub. Romanam ſub imperium accepiſſet, tributa ei quoque poteſtas ſignandi Numos vultu ſuo, & figuras in averſa parte addendi ex ſententia. Atque deinceps quicquid Imperantium ambitio flagitare, quicquid aſſentatio iisdem concedere poterat, Numi referunt, &, cum interdum defectum Hiſtoriæ ſuppleant, viciſſim ex ea explicationem depoſcunt.

Ut averſarum paginarum venuſtas & pretium recte cognoſcatur, ſciendum, eas eſſe varii generis. Jam enim figuras quasdam, aut perſonas, jam monumenta publica in iis conſpicimus: interdum nuda ſe offert Inſcriptio, quam cum literis oram ambientibus, quas vulgo *Legendam* vocamus, confundere non oportet. Significat autem *Inſcriptio* ſubinde Epochas temporum, facta illuſtria, elogia Principum, meritam gratiam, & alia hujus generis, ſed ſemper arguta brevitate. Siquidem recens eſt, Germanis ac Batavis frequentata conſuetudo, Numos prolixis onerare Inſcriptionibus,

Numi, qui *Figuras*, aut *Perſonas* exhibent, ex numero, & habitudine illarum æſtimationem accipiunt. Quippe, Virtutem tantum aliquam, aut Numen referentes, cum nihil ad Hiſtoriam faciens contineant, communibus annumerandi. Huc autem minime pertinent Numi, *vultu aliquo in utraque pagina notati*; nam iſti inter rariores locum ſibi vindicant.

Monu-

Digitized by Google

Monumenta, eventus aliquis in literas relatus; *Animalium figuras*, earum peregrinitas commendat.

Ordo in digerendis Numis, quoad averſam partem, vel communis eſt, quando omnes ejusdem Imperatoris, ſeriatim locantur; vel eruditior, ubi cum Occone ſecundum Annos, quorum Conſulatus & Tribunitia poteſtas indicium faciunt, digeſtio inſtituitur. Oiſelius magis concinnam ordinationem reperit, primo loco vultus Imperatorios in ſerie haud interrupta locando, deinde faciendo ſtructuras ſeparatas, ex Numis qui ad Geographiam, icones Numinum, pacis bellique opera, Religionem, & Ædificia attinent.

Sequuntur apud Autorem, de Romanorum & Græcorum Epochis Numariis, de literis S.C. & Δ.Ε. de Notis Monetariorum, & valoris in pecunia, eruditæ Obſervationes, quæ, ne quid iis deteratur, apud illum legi debent.

Præceptio VI. De epigraphis Numorum, quæ Legendæ appellantur.

Verba quæ oram Numi ambiunt, Legendam vocamus. Eſt igitur in quoque Numo Legenda duplex. Una, adverſæ partis, quæ notificat perſonam, ex proprio nomine, officiis, & cognominibus ob virtutem inditis. Altera, in averſa pagina, indicium facit virtutum, & præclararum actionum, quibus perſonæ, ſibi gloriam, Reip. ſalutem pararunt. Interdum tamen expreſſio Officiorum, imo & ipſius proprii nominis, averſam etiam Numi partem occupat. Familiarum Numi, ſæpe minorum quorundam Reipublicæ Officiorum ſignificationem habent, ſed Numi Imperatorii, ſumma tantum Munera, qualia Auguratus, Tribunitia poteſtas, Conſulatus, & Proconſulatus erant, memorant. At vero honorum Auguratus, & Pontificatus, poſt Gratianum, hoc eſt, illud tempus quo Pagana religio penitus fuit abolita; Conſulatus, ſive a Cæſaribus, ſive ab aliis geſti, poſt Juſtinianum nulla amplius profeſſio. In Urbium, & Provinciarum Numis, quia adverſa pagina, plurimum Genium, vel Patrium Numen Urbis aut Provinciæ alicujus oſtendit, hinc Legendæ quoque vicem, Urbis, Provinciæ, aut Numinis nomen ſubit. In pagina averſa, Symbola Urbium, vel ſine Legenda, vel cum Nominibus earundem conſpiciuntur. *Præclaræ actiones*, tum ipſæ illarum icones, tum ſymbola exhibent: atque typis

typis Numorum Veteris Romani Imperii, ratio ſemper ſubeſt. Ii, quos habent Numi Imperii declivis, fere a ſola conſuetudine provenere.

Quæ ſic generatim monuerat Autor, prolixe deinde per Exempla Latina & Græca, confirmat: ſimul, quis *Votivorum Numorum*, qui in Theodoſio finem habuerunt, modus fuerit, quid in Comnenorum Numis ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΣ, quid in Latinis literæ REST. notent, & alia præclara, de elogiis, *Senior*, *Nobilis Cæſar*, *Princeps Juventutis*, de prænomine *Flavius*, de mox neglecta in Numis adoptionis mentione, ediſſerit.

Poſitura Legendæ, poſt Nervam, ſemper ea eſt, ut a ſiniſtra verſus dextram lectio inſtituenda ſit. In XII. autem priorum Cæſarum Numis, ſæpe a dextra verſus ſiniſtram legendo progredi oportet: notandumque, eſſe, cum in Græcis Numis, verba eam lectionem deſiderant, qualem Hebrææ voces requirunt.

Reperiuntur Numi quidam, *Legendis privi*, non Conſulares tantum, ſed & Imperatorii. In aliquibus, alterutra pagina, Legenda deſtituitur. His accenſendi, qui nudum tantum nomen Monetarii, aut ſolas literas S. C. referunt, cum iſta ad typi explicationem nihil quicquam conferant.

Præceptio VIII. De variis Linguis, quæ Inſcriptiones & Legendas Numorum, ſecundum Provinciarum, in quibus cuſi fuere, diverſitatem, componunt.

Supponendum hoc loco, *Linguam Numariam, non ſemper idiomati in ea provincia, ubi cuſus Numus fuit, recepto, eſſe conformem*. Sic enim Latini multi ex Græcia & Gallia exiverunt. Nempe, exercuit *Latina lingua* ſemper dominatum in illis Provinciis, quas Romani occuparunt, atque, etſi una cum Monarchia eorum exſpiravit, tamen adhuc ab omnibus Chriſtianis Principibus, in publicis monumentis, & Numis inſignioribus, adhibetur.

Poſt Latinam *Græca Lingua*, Numorum reſpectu, primas fert, quam intelligendi, & in qua verba faciendi, Romanis cura fuit. Unde nec graviter tulerunt, quod non tantum iis ſubjectæ Orientis, ſed & in quibus Græci habitabant, Occidentis Provinciæ, Sicilia puta, Gallia Narbonenſis, & inprimis Magna Græcia, hac in Numis utebantur.
Obiter,

Obiter de *Hebraicis Numis* tenendum, omnes, qui Moſis, aut alterius hominis, imo & Chriſti Servatoris, imaginem referunt, adulterinos novosque eſſe. Nunquam Judæi, etiam a Romanis Cæſaribus ſubacti, vultu eorum Numos ſignarunt, nec etiam, florente illorum Republica, Aurum Numis videtur præbuiſſe materiem. Solos Argenteos Æreosque procudebant, quorum aliqui etiamnum extant, & Legendam uniformem, nempe in uno latere, verba *Schekel Iſrael*, in altero, *Jeruſchalaim Hakedoſcha*, habent. Typus, hinc *Aaronis Virgam*, inde, *Vas fumigans*, (quod quidam falſo *Mannam reſervantem Urnulam* interpretati ſunt,) demonſtrat, nec occurrunt Ærei alii, quam Samaritano charactere notati. Cavendum, ne *Amuleta Numaria*, & *Sigilla Planetarum*, quibus plurimum verba Hebraica inſcribuntur, cum antiquis genuinis Numis confundantur, inter τὰ περίεργα referenda, quæ primi Chriſtiani flammis addixerunt.

Arabici Numi multi circumferuntur, ſed quos nemo, tum quia novi & rudes ſunt, & raro Vultu aliquo figurantur, tum &, quia Arabica lingua paucis cognita eſt, magnopere æſtimat.

Numos, qui *Lingua & Literis Punicis* notati creduntur, Saracenos Hiſpaniæ & Africæ autores habere, veriſimile fit, & jure dubitet quis, num eæ literæ, quoniam tantopere ab Hebraicis diſtant, Pœnis quondam uſitatæ fuerint, quorum lingua Hebraicæ tam affinis erat.

Informes alii, & quoad legendam typumque barbari, qui ſe offerunt, Numi, *Gothici* vocari ſolent, quanquam immerito. Superſunt enim Gothicorum Regum Numi, quibus Linguæ Majeſtatisque Romanæ ineſt ſimulacrum.

Jam ut ad *Græcam Linguam*, quæ longe ante Romanam in Numis adhibita, fiat acceſſio, ſciendum, Characteres illos, quos nos Majuſculos appellamus, in Numis ſemper ſervatos eſſe, ita tamen, ut in ipſis literis, facta ſit interdum ἀλλοίωσις quædam. Eſt quoque, cum Græcarum, & Latinarum literarum, fit mixtura. Venuſtas ſua conſtat utcunque Characteri, ad Gallienum usque. Poſt id tempus, minus rotundus, magisque gracilis conſpicitur, imprimis in Numis Ægyptiacis. Porro, a Conſtantino inde, usque ad Michaelem Rhangabem, per annos 500. ſola Latina Lingua comparet in Numis, etiam iis, qui Conſtantinopoli fuere cuſi. At Michaelis Numis

Græca lingua reddita eſt, ſed ad Palæologos usq;, & quoad Characterem, & quoad verba, indies magis depravata.

Latinus Character, ad Decium usque pulcher eſt. Dehinc, per aliquod tempus, elegantia & rotunditas detrimentum paſſæ ſunt: quæ tamen poſtliminio redditæ, donec ad Juſtinianum perventum eſt, poſt quem ſenſim, uti rebus cæteris, ita Numis quoque, barbaries incubuit. Cavendum, ne orthographica vitia quis eſſe arbitretur, cum V pro B, aut O pro V, ſcribuntur. Item, cum ſecunda & tertia Vocalis geminatæ ſe ſiſtunt.

Pleræque Europæ Gentes, Galli, Angli, Germani, Batavi, Sueci, Poloni, aliæque Nationes, nobis non Monetas tantum, ſed & Memoriales Numos, ad Hiſtoriam utiles, ſuppeditant; cujus rei ſpecimen luculentiſſimum Cl. Bizotus in Hollandica Hiſtoria perfecit. Numi hi, Latinas habent Epigraphas; nec enim alia lingua Monumentorum publicorum titulis aptior. Sed Character ſubinde, æque ac in libris, eſt Gothicus.

Præceptio VIII. De Integritate Numorum, quæ maxime eorum ſpeciem & pretium conſtituit.

Vetuſtas ſola in Numo haudquaquam æſtimatur, niſi integer is ſit, figuras in utraque pagina habeat conſpicuas, & epigraphas facilis lectionis. Equidem, nimia perfectio Numum interdum novitatis ſuſpectum reddit, ut Paduani & Parmeſani opus videatur. Sed habemus ex omni metallo, & cujusque quantitatis, Numos vetuſtos veros, in quibus nihil deſideres, quos vulgo Cuſores *florem* appellitant.

Adauget Numorum pretium, ex conditione ſoli iis adhærens *Ærugo*, cyanea interdum, aut coccinea, interdum hyacinthina, quam nulla induſtria imitari poteſt; ſale armoniaco, & aceto parabilem longe vincens, tenuis, ductibusque etiam delicatisſimis, citra obliterationem, & encauſto melius, ſe inſinuans. Ineſt ſolis Æreis Numis; nam Argento applicitus viror & rubigo, illud corrumpit, ac eam ob cauſam aceto, aut ſucco malorum citreorum effricari debet.

Numi, quibus aliquid eorum, quæ ad integritatem requiri diximus, deeſt, *Fruſtati* vocantur, haud digni qui aſſerventur, ſed in æris argentique fabrorum officinas ablegandi, niſi aut Vultus aut Legendæ ſumma raritas, iis parcere jubeat. Nu-

Digitized by Google

Numos, quos cuſoris impetus *tenui rima diffidit*, rejicere non oportet; ea enim fiſſura & vetuſtatis, & probitatis magnum argumentum præbet.

Pari ratione, nec ſpernendi Numi ſunt, *qui oram habent denticulatam;* quando & ipſum hoc ingenuitatis nota eſt, taleſque, proprio nomine, *Numiſmata Serrata* vocantur. Sic compoſiti Conſulares, usque ad Auguſtum, frequenter ſe offerunt, nam poſt ejus ævum, nullos amplius videas. Offerunt ſe Regum Syriæ Denticulati quoque Ærei Numi, ſed in quibus, ornatus cauſa ambitus ſic effictus. In Romanis, remedium hoc adhibitum, detegendæ fraudi eorum, qui æs argentea lamina incruſtabant, cujus generis Numiſmata, *Pelliculata* dicta ſunt. Labente Romani Imperii ævo, aliter Monetam ſic adulterantium nequitiæ occurrebatur; tam exiles enim tenueſque fiebant Numi, ut argentum induci non poſſet.

Monetariorum negligentia, interdum vultum duplicem pro uno, & gemellam epigraphen, ſimplicis loco, Numis impreſſit, notabili vitio. Eidem incuriæ adſcribendum, quod interdum in Numis altera pagina deficit, quales *Incuſorum* nomen habent; aut quod aliqui eundem typum, & in adverſa, & in averſa parte, ſed ſemel protuberantem, iterum cavum, exhibent.

Notandum, conſpici interdum in Numis *Notas quibus pretium eorum mutatum fuiſſe ſignificatur.*

Præceptio IX. De Notitia Ornamentorum, & Symbolorum quibus Numi onerantur.

Eccujus Vultum Numus commonſtret, facile Legenda indicat: ſed Ornamenta quæ iis accedunt, & Symbola in averſa pagina expreſſa, ſæpe mera ſunt ænigmata.

Quantum igitur ad *Vultus* attinet, interdum ſola Capita, in collum deſinentia, interdum thoracidæ, hoc eſt, humeris brachiiſque inſtructæ figuræ, nonnunquam dimidiati corporis ſimulacra exhibentur.

Sola Capita, vel nuda ſunt, vel amicta. Sed de Principum Capitibus tantum ſermo eſt: nam *diverſa Vittarum genera*, quæ Auguſtarum aliarumque Fœminarum Capita contegunt, propriis appellationibus nemo diſtinguat. Has oculis uſurpare, & deinde pro

Digitized by Google

convenientia, quam cum noſtrarum mulierum calyptris & reticulis habent, ex arbitrio nominare convenit.

In Imperatoriis Numis, *Caput plane nudum*, plerumque filii Imperatoris, ſive veri, ſive adoptivi, aut alia quacunque ratione heredis, indicium facit.

Amicta quæ ſunt Capita, ea Diadema, Corona, Caſſis, Calantica peregrina, aut Velum operit.

Diadema, præ Corona, vetuſtior ornatus eſt, Regum proprius, quem collabentis Imperii Cæſares ſibi ſumſere. Faſcia textilis fuit, nunc latior, alias anguſtior, cujus innodatæ tæniæ, in collum propendent. Poſt Conſtantinum demum, Cæſares Diadema uſurparunt, idque ſerie una aut duplici unionum vel gemmarum oneratum, idemque Conjugibus ſuis conceſſere, cum veterum Auguſtarum nulla diademate honorata conſpiciatur.

Corona Imperatorum, plurimum ſunt laureæ. Primus Juſtinianus, genus quoddam Coronæ clauſæ, cui Crux impoſita, & quam limbus margaritatus ambit, adhibuit. Ea Cl. Cangio dicitur *Camelaucium*. *Radiata Corona*, Divinitatem arguunt, qualem, novo exemplo, Nero vivus geſtavit. Offerunt ſe in Numis Coronæ quoque Roſtratæ, Murales, Civicæ, & aliæ.

Caſſides quædam Græcam, nonnullæ Romanam habent figurationem: iisque interdum Alæ, interdum Cornua annectuntur.

Ad *Calanticas peregrinas* referimus, Mitram Regum Armeniæ, & Syriæ; Tiaram Perſarum, & Phrygum κεκρύφαλον. Quidam Græci Reges, Herculem imitaturi, capita exuviis leonis condebant, quod nonnulli Cæſares quoque fecerunt.

Velum, Sacerdotale Officium, aut Apotheoſin patefacit, quam (Autoris quidem opinione: ſed exemplum videre geſtit animus; nam Conſtantini M. a Baronio & Patino allegatum, alia omnia probare, in Hiſtoria Univerſali argumentis probat Cl. noſtras Wagenſeilius) etiam Chriſtiani Imperatores coacti in Numis tolerarunt, ſed ut, quamprimum licebat, pro ea, *manum e nubibus prodeuntem, & coronam ipſis imponentem*, ſubſtituerent: profitentes hoc ipſo, Deo ſe Imperium ferre acceptum. Neque culpandum, quod quidam lucidum globum, quo Sanctorum vultus cinguntur, quique *Nimbus* vocari ſolet, admiſere. Veteres Imperii Cæſares aliqui, *Solis radios* vultui circumpoſuerunt.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtendit dehinc Autor Ornamenta, quibus *Deorum Vultus* ſe conſpiciendos præbent, quæ interdum ſunt congeries ſymbolorum diverſis Numinibus convenientium, atque iſta *Pantheon* dicitur.

Thoracidæ, in Metallionibus, in Numis item cadentis Imperii, pro re nata, manibus tenent Globum, Sceptrum, Spiculum, Ferulam, Labarum, quin & oblongum quiddam, nondum Eruditorum oculis agnitum.

Dimidiata Corpora Metallionum, aut Numorum majoris æris, præter Scutum & Haſtam, etiam equum aliquando additum habent.

Averſa pars Numorum, propria Symbolorum ſedes eſt, eaque modo figuris adhærent, modo ſeparatim locantur: nonnunquam ipſæ figuræ ſymbolorum vicem ſuſtinent. Hanc doctrinam porro Autor, ad finem usque Præceptionis, cum cura perſequitur, docetque, quid Symbola, quæ Hominibus, Diis, Provinciisque addi ſolent, proprie innuant.

Præceptio X. De Numis Adulterinis: modis quibus ad Verorum ſpeciem confiunt, & qua ratione falſitas deprehendatur.

Modi, falſos pro veris Numis ſupponendi, varii ſunt. Primus eſt rudis & agreſtis, cum Numi efformantur, quales nunquam extitere, aut ſaltem averſa illorum pars eſt inſolens. In his, fuſio, metallum, ipſa figurarum expreſſio, ultro novitatem facile produnt.

II. Modus eſt, cum formæ antiquæ Numi novi funduntur. In his cavernulæ, quæ hinc inde in utraque pagina ſe offerunt, oræ inæqualitas, literarum hebetudo, lineamenta obtuſa, imminutum pondus, fraudis indicium præbent. Medentur quidam ingenioſe nequam cavernulis, quas fuſio in Numis poſt ſe relinquit, æruginem iis allinendo, aut politura: ſed illius, mollities, hujus, nimia lævitas facit oſtenſionem.

III. Modus eſt, cum Numi antiqui fruſtati, & obliterati, cælo, addito etiam interdum ſignino, quod ærugine incruſtatur, reparantur, & perficiuntur. In talibus vero, admotum ſcalprum, campus modo elatior, modo depreſſior, & cælaturæ infelix ſucceſſus, conamina latere non ſinunt.

IV. Modus eſt, cum typi parantur, ad Numos novos, veterum figura excudendos; in qua arte, ii, qui Paduani, Parmenſis, & Hol-

landi cognominibus noſcuntur, magiſtri fuere. Horum deceptioni occurritur tamen, conſiderando probe figurarum antiqua ſeveritate deſtitutam tenuitatem, & metallum ipſum, quod nec colorem, nec pondus veteris refert. Adde, quod nimia integritas, in ejusmodi Numis, ipſos ſuſpectos reddit.

V. Modus eſt, cum Numi veteres detriti, typis novis recuduntur; qua fraude nulla ad ſeducendos homines aptior, quia haud alia, æque recondita, ac abſtruſa. Exerit ſe nihilo ſecius, per cælaturæ novitatem, & oræ ſenium.

VI. Modus eſt, cum in averſa pagina, communi antiquæ figurationi, nova rarior ſubſtituitur, aut quando unius Numi veteris adverſæ, & alterius averſæ paginæ fit conglutinatio. In his cælaturam difformem eſſe, & oram alicubi pauxillum hiare contingit.

VII. Modus eſt, cum in Legenda, unum nomen pro altero, quo cum literis fere convenit, ſubſtituitur. Numorum, qui ſic comparati ſunt, fidem, literarum inæqualitas ſuſpectam reddit.

VIII. Fraus committitur, Æruginis, ope defosſionis in terram, ſalis armoniaci, aceti, aut favillarum chartæ combuſtæ, affrictu. At novam Æruginem, veterem tantum mentiri, hujus poſterioris color, fulgor, lubricitas, & durities evincunt.

IX. Quia Fiſſura in Numo, pro certo ejus ingenuitatis indicio habetur, ideo hanc quoque plani Numis ſuis concilians, ſed non ſatis profundam, nec in inſenſili exitu denique deficientem.

Superſunt *duo falſorum Numorum Criteria*, *unum* pervulgatum, cum ex duobus Numis unius ejusdemque typi, alteruter, niſi ambo id fuerint, falſus judicatur; ſed cujus, recepti cæteroquin aſſerti veritatem, Baudelotius nuper ſolicitare cœpit: *alterum*, Patini, qui omnes Romanos Numos, degeneris auri, confictos pronunciat.

Præceptio XI. Axiomata aliqua, quæ Numorum Veterum curioſi pro veris venditant, quæque Rei Numariæ Notitiam facilem reddunt, complectens.

Omnino in Rei Numariæ cognitione, uti in rebus cæteris, *optimis artium Magiſtris concedendum eſt*, & niſi contrarium evidens reddi queat, poſitiones illorum pro veris habendæ. Tales ſunt eæ, quæ ſequuntur, quæque locum commodum in hactenus traditis non reperiebant.

De

De Numis Generatim.

I. Numi æſtimatio, nec a materie, nec a quantitate, ſed unice a Vultus, aut paginæ averſæ, aut denique Legendæ raritate dependet.

II. Numi aliqui, non niſi in genere certo rari ſunt, in alio haud item. Quidam in quoque genere infrequenter ſe offerunt.

III. Numi, qui definitum pretium excedunt, a ſolo affectu, & facultatibus emtorum, æſtimationem porro accipiunt.

IV. Numi μοναδικοὶ ſunt inæſtimabiles: quales dicuntur, quos etiam in Principum Numiſmatothecis Antiquarii non deprehenderunt.

V. Nihilo ſecius Numos, quorum Antiquarii nullam unquam fecere mentionem, ſuſpectos habere, cauteque tractare oportet.

De Metallionibus.

I. Metalliones Monetæ uſum minime præbuiſſe, ſummum illorum artificium, & magnitudo arguunt.

II. Invaluit opinio, Senatum, ad Hadrianum usque, jus cudendi Metalliones habuiſſe, ob notam S.C. quæ in iis comparet: Hadrianum autem, ut Monumentis his publicis venerationem adderet, ſibi ſoli illorum effictionem reſervaſſe. Obiter ſe ingerit hic difficultas, plane inſolubilis. Si enim omnino res ita ſe habet, ut vulgo credimus, Senatui conceſſam fuiſſe facultatem omnes æreos Numos cudendi, iisque notam S. C. imprimendi, unde tandem fit, quod ea in nullis Numis minoris moduli comparet? ἄδηλον.

III. Metallionum Veteris Romani Imperii indicia, craſſitudo, porrectio, cælatura, & capitum granditas habentur. In labente Imperio, omnes Numi, qui mediocres Æreos excedunt, Metallionibus accenſentur.

IV. Argentei Metalliones, quos Itali procuderunt, raro drachmas 4. pondere excedunt. Græcis frequens fuit, Metalliones hujus generis, Civitatum, Regum, & Imperatorum dedicare memoriæ.

V. Coloniarum Metalliones nullos, æreos majoris moduli Numos, usque ad Septimium Severum perpaucos poſſidemus.

De Numis Coloniarum.

I. Omnes Numi Coloniarum rari ſunt, reſpectu Numorum communium, atque pretium illis accedit, quando ad Geographiæ, aut Magiſtratuum faciunt illuſtrationem.

II. Cum

Digitized by Google

II. Cum averſa pagina bovem unum, aut boves duos, cum Sacerdote aratrum agente, aut Signa militaria tantum exhibet, Numum in communium cenſum referimus.

III. Coloniæ, illorum, qui eas fundaverunt, aut a quibus robur ac reparationem acceperunt, gerunt nomina.

IV. Etſi erant in Italia quoque Coloniæ, nulla tamen earum Caput Principis in Numis expreſsit.

V. Græci Numi, ſæpe mutuum fœdus Urbium quarundam, voce ΟΜΟΝΟΙΑ commemorant.

VI. Romanarum & Latinarum Coloniarum diſcrimen, Numi in lucem proferunt.

VII. Poſt Caligulam, nulli amplius Numi Coloniarum Hiſpanicarum conſpiciendos ſe præbent, quorum magna copia ſub Auguſto & Tiberio ſe ingerit.

VIII. Poſt Gallienum, vix ulli Numi Imperatorii ſe offerunt, ab Urbibus Græcis, aut Coloniis procuſi.

IX. Non Urbes tantum, ſed & Provinciæ integræ, honori Imperatorum Numos ſuos dicare ſolebant.

De Numis quibusdam Particularibus, ſive Præcipuis.

I. Nemo ſibi perſuadeat, Numos haud alios, quam ad rariorum aut cariorum ſimilitudinem effictos, ſupponi.

II. Sola Metalli qualitas, aut quantitas Numi, interdum ſufficiunt, ad faciendum de ingenuitate judicium.

III. Idem Numus, in una regione creberrime, in alia inſolenter ſe offert.

IV. Primo Julio Cæſari conceſſum, ut Vultu ſuo Numos ſignaret, qui in æreis majoris moduli non reperitur.

V. Solus Agrippa, permiſſu Senatus, ac ideo literis S. C. notatos Numos, cum nec Auguſtus, nec Cæſar eſſet, procudit.

VI. Cavendum, ne cui Numi mediocris æris, in Othones transformati, imponant, nec etiam pro falſis illico habendi, in quibus galericulum non dignoſcitur.

VII. Vaillantius contendit *Lucillam*, Ælii Conjugem, nec Numos nobis dediſſe, nec Auguſtam vocatam eſſe.

VIII. Ad Numos diverſorum Antoninorum, præcipue Caracallæ

callæ & Heliogabali, quorum uterque *M. Aur. Antoninus* vocatur, diſcernendos, judicio opus eſt.

IX. Repertus modus eſt, transfigurandi Gordiani III. in Gordiani Africani Numos, ex PIUS faciendo AFR. & mento barbam affingendo.

X. Dubio nunc caret, *Etruſcillam* fuiſſe Trajani Decii, minime vero Voluſiani, Conjugem.

XI. Valerianorum, quorum unus Gallieni & Saloninæ filius fuit, dictus *Cornelius Saloninus*, alter Valeriano & Mariniana genitus eſt, ac Gallieni avunculus erat, Liciniusque vocabatur, Numos, a ſe invicem ſolicite ſegregare convenit.

XII. Æmiliani æreî majoris moduli cum care emantur, repertus modus eſt, quo Philipporum, in Æmilianos, ob convenientiam vultuum, fit metamorphoſis.

XIII. Non continuo, tanquam falſi contemnendi ſunt, Numi, in quibus averſa pagina, ad proſam haud ſatis quadrat.

Præceptio XII. De ratione quam is tenere debet, qui animum ad ſtudium Rei Numariæ transfert, & Numiſmatothecam adornare inſtituit.

Ad Numos cognoſcendos, animum in Hiſtoria Græca & Latina, Geographia veteri & nova, Chronologia inſuper, ac Mythologia & Theologia Gentilium probe ſubactum afferre oportet. Illuſtris Spanhemii incomparabilis liber, *De Præſtantia & Uſu Numiſmatum*, dignitatem & utilitatem hujus ſtudii commendabit. Numos Græcarum Urbium Goltzius, Familiarum Romanarum Fulvius Urſinus, Imperatorum Occo & Patinus recenſuerunt; nec contemnenda ſunt, quæ in hoc genere Gevartius, & Oiſelius præſtiterunt. Speciatim, ad intelligentiam Aureorum & Argenteorum Numorum Hemelarius ac Vaillantius, ad labentis Imperii Cangius, ad rariorum Triſtanus cum Baudelotio, multum auxiliantur: a Cl. Morello autem (in cujus ſummis laudibus id unum deeſſe alibi dixerat Autor, quod Eccleſiæ Romanæ nondum mancipatus eſt) plura exſpectamus, quam quiſquam, in hoc genere eruditionis, præſtitit. Interim æquum eſt, ad ſedulam quoque lectionem libri, quem Harduinus, *Numi antiqui Populorum & Urbium Illuſtrati*, inſcripſit, Dialogorum Antonii Auguſtini, & Theſauri Goltziani, facere hortationem.

Digitized by Google

Pretium Numorum definiri non poteſt, cum id ſolum Venditoris ac Emtoris arbitrium ſtatuat.

Novorum Numorum Notitia, quæ minime contemnenda, ſi quem capit, Lukium, Typotium, & Galliam Metallicam, (ſed hanc poſteriorem non ſine circumſpectione) conſuluiſſe juvabit.

Poſtremis verbis, bene Libello ſuo ominatur Autor. Euge!

—— Dii noſtra incepta ſecundent,
Auguriumque ſuum.

JOANNIS MARCKII TEXTUALES Exercitationes ad quinquaginta ſelecta loca Veteris & Novi Teſtamenti.

Amſtelædami, excudit Gerardus Borſtius, A. 1694. in 4.
Conſtant Alphab. 2. plag. 20.

CUm e ſtudio Theologiæ exegeticæ haud mediocrem voluptatem Clariſsimus Auctor ſemper ceperit, hinc in eodem excolendo diligenter admodum verſatus eſt, ac ſuas, quibus Oracula Scripturæ diverſa explicantur, meditationes luci ſubinde expoſuit; quandoquidem & nos in Actis hiſce Anno 1687. p. 377. ſeq. *Exercitationes* ejus, quas vocat, *juveniles* ſex & viginti, ad locorum aliquot Scripturæ ſenſum indagandum facientes, recenſuimus. Præter has *Analyſin* quoque *exegeticam capitis LIII. Jeſaiæ*, una cum *Mantiſſa obſervationum textualium ad quindecim illuſtria loca V. & N. T. Exercitationes* item *miſcellaneas*, quibus plures quam viginti textus difficiles enodantur & *Commentarium* denique *in Apocalypſin* evulgaſſe ipſum conſtat: quemadmodum e Prophetis minoribus, quos ultra mediam partem publicis in prælectionibus illuſtravit, *Hoſeam* cum Diſputationibus quibusdam continuatis, tum ad *Zachariæ* quædam, tum de *ducenda ab Hoſea uxore ſcortationum*, proxime ſe daturum pollicetur. Interim exercitiis Academicis dicta hactenus ex utroque Teſtamenro bene multa deſtinavit, quæ verborum ac rerum gravitate imprimis ſe commendant, ipſeque in id ſedulo incubuit, ut ad ſingula genuinum ſenſum perſpicue proponeret, ac ritus veteres, ſicubi in his aliqui occurrunt, minime relinqueret intactos. Atque inde præſens hoc Volumen natum fuit, quod quinquaginta textuum ſacrorum examen con-

continet, & iſtud quidem quale ſit, e ſpeciminum hinc decerptorum numero exiguo Lectori judicandum relinquemus.

Exercitatione III. *de ſcelere Iſmaelis in Iſaacum*, Gen. XXI, 9. memorato, conjecturam aperit, & verbo צחק apud Moſen neque laſcivam libidinem neque idololatriam, ſed tentatam ab Iſmaele quaſi per luſum Iſaaci cædem, ac diſceptationem jocoſam ſimul & ſeriam inter fratres admodum impares, intelligi debere aſſerit; iſtaque ratione manifeſto conſtare arbitratur, quo ſenſu Paulus Gal. IV, 29. dixerit, *ἐδίωκε*, perſecutus eſt, quæ vox proprie vim intentatam exprimat: unde non incommode cum hac Iſaaci perſecutione conferatur altera, quam Judæi carnales non nudo certe peccatorum exemplo, aut vili contemtu, ſed ſuppliciis potius duriſſimis, in Chriſtianos moverint.

Exerc. VIII. *veſtes Iſraelitarum in deſerto minime detritas* ad miraculum refert, longiusque recedit ab iis, qui hæc ita exponere conantur, quaſi veſtes & calcei nunquam Iſraelitis ſic defuerint, quin prioribus detritis abunde ſuppeditata ſit materia, unde nova corporis & pedum tegumenta pararentur. Licet vero priorem ſententiam iſto pacto amplectatur, veſtium tamen cum corpore incrementum non autumat fuiſſe neceſſarium, cum nempe grandiores veſtimenta adultorum paſſim per deſertum morientium, & iſtorum porro indumenta minores accipere potuerint.

Exerc. X. *ducentos ſiclos*, quibus 2. Sam. XIV, 26. ponderatum dicitur *Abſalomi capillitium*, non ad ipſos capillos, ſed ad eorum venditorum pretium, omnium optime referri judicat.

Exercit. XIV. *fractionem capitis ſuper terra ampla* Pſ. CX, 6. Meſſiæ tributam, non de certo aliquo Principe, ſed hoſtium in univerſum omnium capitibus exponit, ut iſte adeo ſenſus emergat: hoſtes plane eſſe ſubigendos cum opprobrio & excidio tali, ut nulla vi vel fraude reſurgant. Eos non tantum cadaverum inſtar fore proſtratos, ſed & capita eorum conterenda, per terram amplisſimam, quæ vel campum latum, vel diſſitas regiones plures denotet.

Exerc. XXVI. Chriſtum ob *ædificata Prophetarum monumenta* Phariſæos, tanquam *conſentientes Patribus, qui Prophetas occiderant*, Matth. XXIII, 29--32. ideo redarguiſſe cenſet, quod trophæa crudelitatis erexerint, quod magna cum lætitia ſtructuræ huic incubuerint, quod pauperum numos eam in rem corraſerint, fidem atque imitatio-

nem decentem neglexerint, & mundo inani pompa Sanctos ſimiles reddiderint.

Exercitatio XXIX. præ cæteris prolixa valde eſt, communemque Chriſtianorum fidem vendicat, quæ *Dæmoniacos*, in quibus curandis Chriſtus & Apoſtoli benignitatem ſuam exercuerunt, *vere ab infernalibus Spiritibus obſeſſos* fuiſſe perhibet. Ubi ſimul ii, qui *vel* nomina Dæmonum & Spirituum de morbis uſurpari, *vel* Scripturam ex perverſa Gentilium & Judæorum opinione, non rei ipſius veritate, loqui; *vel* denique Diabolum, quatenus ab ipſius prima ſeductione ſit peccatum, adeoque & pœna ſeu calamitas omnis, heic nominari ſtatuant, ex inſtituto refutantur.

Πορνείαν, a qua abſtinere gentes decreto ſuo jubent Apoſtoli, Act. XV, 29. Exercit. XXXVI. præcipue exponit de *cibo meretricio*, non eo quidem, qui præciſe mercede meretricia emtus ſit, vel fornicandi cauſa porrigatur, ſed qui ſumatur apud ſcorta, & ſic ad ſcortationem facillime ducat, ejusque ſuſpicionem injiciat. Hunc cibum in ſe non utique pollutum, ſed tamen ob dictas modo rationes juxta idolothyta merito vitandum fuiſſe, cum ex Iſraelis eſu cum Moabitarū filiabus populi olim fluxerit ſcortatio & idololatria, imo & externum ejusmodi cum ſcortis, tanquam impuris, conſortium Judæi damnaverint, unde hoc decretum quodammodo videatur illuſtrari poſſe ex aſſerto Pauli: *ἔγραψα ὑμῖν -- μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις. Ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος -- τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν.* 1. Cor. V, 9. 11.

Exerc. XXXIX. *vitam mortalibus fidelium corporibus per inhabitantem Spiritum tribuendam* ex Rom. VIII, 10. 11. non pro beatitate animæ & corporis poſt reſurrectionem, ſed pro vita gratiæ ac ejus incremento accipit.

Exerc. XLII. ita inquirit in differentiam vocum *δεήσεως, προσευχῆς, ἐντεύξεως*, & *εὐχαριστίας* ex 1. Tim. II, 1. ut amplectatur ſententiam, quæ apud Eucherium aliosque antiquiores legitur, & apud recentiores vulgo recepta eſt, dum *obſecrationes* fieri dicantur pro peccatis præteritis & præſentibus; (ſub quibus tanquam cauſis merito mala inſequentia omnia intelligere liceat;) *orationes* pro adipiſcendis iis, quæ ſperamus; *poſtulationes*, cum pro aliis intervenimus; *gratiarum actiones*, cum pro Dei beneficiis gratias laudesque referimus.

Erudita

Digitized by Google

Erudita quoque non minus ac jucunda lectu ſunt, quæ de *uxoris ad ſororem ejus accipienda interdicto ad Polygamiam trahendo* Exerc. V; de *ſemine Molocho neutiquam ſola luſtratione per ignem, ſed ipſa omnino combuſtione conſecrato* Exerc. VI; de *ſolenni Regum Iſraeliticorum unctione* Exerc. IX; de *deſpecta Meſſia ſuper aſino & pullo ſeſſione* Exerc. XXIV; de *unctione familiari tam vivorum quam mortuorum apud Judæos uſitata* Exerc. XXVII; *de unctione invalidorum a Papiſtarum æque ac Seldeni expoſitione vindicata* Exerc. XLV; deque argumentis aliis, quæ ſunt ex iſto genere, Auctor commentatus eſt, & ob quæ librum hunc ſacrarum literarum ſtudioſi procul dubio ſibi quam commendatiſſimum habebunt.

De cætero, cum Nicolaus Mulerius, verbi divini in Eccleſia Hardervicena, dum viveret, Miniſter, in ſuis, quibus Apocalypſin illuſtravit, Exercitationibus, quædam ex Auctoris noſtri in eundem librum commentario ſub examen revocarit, nonnullas hic vindicias eorum, quæ inibi docuerat, ſubjungit, *non unam integram & ab initio usque ad finem continuatam viſionem* in Apocalypſi haberi denuo oſtendens, ac inſuper ea, quæ de *equo nigro & illius ſeſſore*, itemque de *beſtia, quæ erat, & non eſt*, olim ſcripto conſignaverat, adverſus objectiones Mulerianas defendens.

Duplicem tandem appendicem annectit, & in *priori* de cenſura, qua Vir celeberrimus, Guil. Cave, in Hiſtoria ſua Literaria ſententiam ejus, quod Sibyllina carmina hæreticis, Montaniſtico præcipue ſpiritu correptis, originem debeant, inſequi voluerit, conqueritur; *poſterior* inauguralem Orationem de debita Scripturarum veneratione abs ſe anno 1689 Lugduni Batavorum recitatam exhibet.

D. CASP. LOESCHERI SS. THEOlogia Nucleus.

Witteberga, apud Chriſtianum Schrödterum. A. 1694. in 8.
Conſtat plagul. 16.

Cum libellorum methodicorum, qui totius doctrinæ ſacræ ſummam exhibent, haud mediocrem in Theologia utilitatem perpenderet maxime Reverendus D. Loeſcherus, Profeſſor apud Wittebergenſes Theologus, & Circuli Electoralis Saxonici Superintendens Ge-

neralis, non male de ſtudioſa, cui præeſt, Juventute mereri ſe poſſe cenſuit, ſi & ipſe in concinnando Scripto aliquo iſtius generis ſuam collocaret operam. Quamobrem non intra privatos modo parietes ea, quæ circa fidei articulos prolixe alias executus fuerat, in nucleo quaſi repetiit ſuisque auditoribus inculcavit, ſed nunc etiam præcipua Eccleſiarum orthodoxarum dogmata ad ſuccinctæ iſtius methodi regulas propoſita in lucem publicam emiſit. Et ita quidem in hoc negotio verſatur, ut theſes principaliores verbis perſpicuis conceptas e quolibet fidei capite primum eruat, ſingulas dehinc dictis Scripturæ maxime ſtringentibus roboret, poſtmodum Eccleſiarum noſtrarum doctrinam ubivis dilucide explanet, tandemque motas adverſus eandem ab adverſariis objectiones accurate diſcutiat. Ut adeo non incipientes ſolum, ſed proficientes quoque in Theologiæ ſtudio, qua theſin qua antitheſin, ea quæ forſan alibi vel ob diffuſiorem verborum prolixitatem non ita diſtincte concepiſſent, vel ob materiarũ tractationem hinc inde diſperſam non ſtatim habuiſſent obvia, heic veluti ſub unum conſpectum relata, gratisſimaque, ſed minus tamen ſterili, brevitate indicata deprehendant.

AD DECISIONES ROTÆ MARCHIÆ D. Stephani Gratiani Scholia D. Caroli Antonii de Luca.

Neapoli ex typographia Franciſci Mollo, 1692. in fol.
Conſtant alphabetis 4.

CLarum eſt inter Italiæ Jureconſultos *Gratiani* nomen, interque alia ejus induſtriæ juridicæ monumenta *Deciſiones Rotæ Marchiæ* magnis laudibus feruntur, multo legum peritorum in Italia uſu celebratæ. Omnia autem cum non exhauſerit Gratianus, quæ quidem ad materias pertinent in Deciſionibus pertractatas; eo non minor fama nominis & juridicis ſtudiis *Carolus Antonius de Luca* inſignibus acceſſionibus iſtas auxit, & quæ Stephanus omiſerat adjecit, brevibus additiunculis ſeu ſcholiis ad *Diſceptationes* ejus ſubnexis: in quibus ſubinde ad ſua antea edita Opera, quorum non exiguum eſſe numerũ veroſimile eſt, provocat. Foro autem potisſimum opus hoc inſervire videtur, maxime quoad Appellationis, Poſſeſſionis & Hypotheca-

thecarum materias, in quibus multa pragmatico forenſi uſui inſervientia ſuppeditat; quæ recenſere prolixum foret. In Appendice nonnulla, quæ in ſcholiis tradiderat, obſervatione fori hodierna comprobare ſatagit; & de amortizatione & retributione manus mortuæ domino directo facta, pauca quædam ſubjicit.

RECUEIL DES TRAITES DE MAthematique, qui peuvent être neceſſaires à un Gentilhomme, pour ſervir par mer ou par terre: par le Pere P. Hoſte, de la Compagnie de Jeſus, Profeſſeur Royal des Mathematiques à Toulon.

h. e.

Synopſis Tractatuum Mathematicorum, qui neceſſarii eſſe poſſunt Nobilibus terra marive operam militiæ daturis; auctore Patre P. Hoſto, Soc. Jeſ. Profeſſore Regio Mathematum Telonenſi.

Pariſiis apud J. Aniſſon, 1692. in 12. Plag. 26. Tab. æn. 67.

QUum officii ratio Auctorem doctiſſimum compuliſſet conquirere media, quibus facile poſſent imbui neceſſaria matheſeos cognitione terra marive militantes; illud non poſtremum eſſe cenſuit, ſi conſcriberet ſynopſin quandam, in qua ipſi, quæcunque ſcitu eſſent neceſſaria, poſſent legere, vel etiam repetere ſine moleſtia, quæ jam didicerunt. Brevis ergo eſſe ſtuduit, veritus ne prolixitate deterreret ſciendi cupidos, & decem tractatus Mathematicos tribus non adeo magnis Tomis complexus eſt, quorum in primo elementa Euclidea, Arithmeticam & Trigonometriam, in ſecundo Geometriam practicam, Sphæricam, Mechanicam, Fortificatoriam, & Baliſticam; in tertio artem navigandi, navesque dirigendi explicavit. Ac principio quidem operam dedit, ſingula ut illuſtraret ac demonſtraret; in ſequentibus vero Lectoris induſtriæ faciliora nonnulla ſupplenda reliquit. Neque etiam anxie ſecutus eſt ſemper eandem demonſtrandi rationem, ſed ubi plures ſuppetebant unius propoſitionis demonſtrationes, illam potius quæ facilior, quam quæ exactior erat, elegit.

PETRI

PETRI DANIELIS HUETII POEMAta Latina, quotquot colligi potuerunt.

Trajecti ad Rhenum ex officina Guilielmi Broedelet. Anno 1694. in 8. Conſtant plag. 6.

PETRUS DANIEL HUETIUS, Epiſcopus nunc Abrincenſis, ut vir eſt ſummi ingenii diffuſiſſimæque eruditionis; quemadmodum, quæ ſæpe in Actis noſtris recenſuimus, ſufficientiſſime ejus teſtantur Opera: ita non minori carminis pangendi facultate præſtare cenſendus eſt. Id quod vel ex iſtis poematibus jam pridem conſtitit Orbi erudito, quæ ætate adhuc viridi applaudentibus Camœnis omnibus elegantiſſima cultiſſimaque compoſuit. Quapropter haud tralatitie de Muſarum cultoribus, magnum deliciis ejusmodi pretium ponentibus, meritus eſt, quos alias multis nominibus ſibi jam tenet obſtrictiſſimos, Vir celeberrimus, JO. GEORG. GRÆVIUS, quod cum in poemata Huetiana apud extorrem Galliæ bona quadam fortuna incidiſſet, tantum theſaurum Reipublicæ literariæ non invidere, ſed typorum potius beneficio communem facere voluerit. Nam id ſane bona cum omnium amœniores illas literas amantium voluntate factum eſſe, vel propterea dubitari nequit, quoniam quæ jam antea lucem publicam adſpexerant, omnibus, qui de ſtudiorum hoc genere rectiſſime exiſtimare poterant, ſeſe approbaverunt. Non poterit non harum rerum ſtudioſum mirifice delectare illius lectio Idyllii, quod de morbo, quem in ætatis flore contraxerat HUETIUS graviſſimum, deque illius remediis ſcripſit; quippe in quo, quorſum nemo adhuc alias adſpiraverat, Lucretiani carminis genium imitatione felici aſſecutus eſt atque expreſſit. Sic legere juvabit, quæ EIDEM, cum maximo illo Bocharto in Sueciam iter capeſſenti, in via evenerunt, quæ carmine perpetuo comprehenſa ſub *Itineris Suecici* nomine hoc in loco leguntur. Dignæ etiam Huetiano ingenio ſunt lacrymæ, quibus magni illius Claudii Salmaſii funus, pathetico admodum atque ſcitiſſimo carminis genere, proſequitur. Quin gratiſſima erit omnibus Elegia lepidiſſima, quam *Thea* inſcripſit, qui potu ex herba iſta confecto delectantur. Ut nihil de Epigrammatibus dicamus, quæ egregium Viri acumen ubique produnt. Ut optandum omnino ſit, reliqua ut etiam Huetiana carmina, quæ pangere ſolitus olim eſt præclariſſimus Auctor, quæq; latitare apud amicos dicuntur, quamprimum in vulgus edantur.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Junii, Anno M DC XCIV.

DER BETOVERDE VVEERELD, HET Derde Boek. VVaar in de Leere van de Geeſten, derselver Vermogens en VVerkingen, en besonderlik des Duivels, uit de natuurlike Reden en de H. Schriften ondersocht word.

En het vierde Boek.

VVaar in 't Bewijs, dat uit d' Ervarentheid genomen word, ten gronde toe word onderſocht &c.

h. e.

Mundi Faſcinati Liber tertius & quartus. In quorum priori Doctrina de Spiritibus eorumque poteſtate & operationibus, ſpeciatim vero de Geniis malignis, ex lumine tam Naturæ quam Scripturæ exponitur. In altero vero argumenta pro vulgari ſententia ab experientia petita ad juſtum examen revocantur.

Autore BALTHASARE BEKKERO, S.T.D. & V.D. apud Amſtelædamenſes Miniſtro.

Amſtelæd. apud Dan. van den Dalen, 1693. in 4. plag. 65.

NOn adeo videtur eſſe mirandum, paucos admodum in noſtris regionibus eſſe, quibus de controverſiis Cl. Autori noſtro, circa ſuam de Geniis eorumque operationibus opinionem, motis exacte conſtet. Ipſo enim in Præfat. dicente, vix

te, vix quiſquam in Belgio, ubi maxima animorum contentione agitatæ fuerunt, invenitur, qui ſi modeſte agere velit, plus quam olim Ahimaazus (2.Sam.18, 29.) *magnum*, inquiens, *videbam tumultum, quid tamen ille ſibi velit, neſcio*, dicere poſsit. Erunt igitur fortaſſe Lectores, qui haud inviti copioſiori duorum librorum iſtorum recenſioni (priores enim jam olim in Actis hiſce A. 1692. p. 19. & ſeqq. habent enarratos) aliquot paginas impendi patientur.

Cum vero ipſe Doctiſſ. Autor, ut eo rectius de mente ejus orbi conſtaret, aliquot foliis totius Operis œconomiam atque intentionem explicaverit, non magis fideles nos exhibere poterimus, quam ſi ejus ductum ſecuti, quanta tamen fieri poteſt brevitate, ipſius tantum non verbis, Lectorum animis eam propinaverimus, ſimul vero ſpeciminis quaſi loco, ut de methodo & ingenio ejus rectius conſtare queat, ejus obſervationes nonnullas admiſceamus.

Communem itaque, quæ plerorumque animis hæret, de Satanæ, eorumque qui pacto ipſi creduntur alligati, poteſtate opinionem, magis magisque ſibi jam olim redditam fuiſſe ſuſpectam affirmat, prælucente tam Naturæ, quam, quo iſtud perficitur, Scripturarum lumine. Nec id ſolum ægre animum ſuum habuiſſe, quod veritati ſatis conſentanea non videretur vulgi opinio, ſed hoc potisſimum, quod Religionis ſinceritatem ea adulterari ſibi perſuaſerit. Exegiſſe nihilominus officii rationem quotidianos fere de hoc negotio ſermones, quod ipſum acriorem adhuc ipſi addiderit ſtimulum, ut primam hujus erroris originem inveſtigaret. Quod etiam in prima Operis ſui parte olim præſtiterit, utpote in qua, poſt explicatas variarum Gentium de hoc negotio ſententias, expoſitamque ipſarum Proteſtantium Eccleſiarum opinionem, ejusque cum reliquis inſtitutam collationem, quanam potisſimum re ſe in eam induci paſſæ fuerint, & quare in ea hodieq; perſiſtant, oſtenderit, ſub finem vero demum primi libri ad cauſæ ſtatum deſcenderit. Quo rite formato, in ſequentibus demum libris communem ſententiam evertere conatum ſe dicit, ita ut in ſecundo libro ipſorum Geniorum iſtorum naturæ non convenire, quæ de illis vulgo jactantur, oſtenderit; in tertio vero de eorum qui pacto Satanæ alligati dicuntur conditione, ſubruere eandem ſuſceperit; argumentis quæ ab experientia ad ſtabiliendam eam deſumi plerumque ſolent, in quarto, quo fieri potuit ſtudio, examinatis.

Digitized by Google

tis. Nos cum,ut diximus, qualemcunque primi & ſecundi libri jam olim dederimus recenſionem, plura de iis hic non addimus, presſius Cl. Autorem in tertii & quarti libri, quos novos nunc habemus, Epitome ſecuturi.

Data autem opera præmittimus præliminarem quaſi Diſcurſum,quem antequam ad ſecundum & tertium Librum accedat, de uſu rationis in rebus Theologicis, jubentibus ita adverſariis, qui rationem Scripturæ magiſtram ab ipſo conſtitui ægre tulerant, inſtituit. Quod quamvis ſe feciſſe neget, non tamen diſplicere ſibi disſimulat mutuatam a Philone Judæo, Saræ & Hagaris hiſtoriam allegorice interpretandi pruriente libidine, ſententiam, qua rationem Scripturæ famulari pronuntiaverit. Præcedit enim omnino (ſi ipſe audiendus eſt) Scripturam ratio, imo hanc illa præſupponit, myſteria illi ſua revelans, divinitatisque ſuæ contra ab ipſa expectans teſtimonium. Poſtea vero non tanquam dominam ancilla, ſed tanquam domina, majoris dignitatis ſublimiorisque proſapiæ dominam Scripturam, ratio comitatur. Nec obſtant ex Autoris mente,quæ Scriptura de ratione obedientiæ fidei ſubmittenda docet: ſpectant namque iſta ad rationem, qua nunc utimur, corruptam & rerum in Scripturis revelatarum incapacem. Sed quicquid denique ſit, ex ratione Libro primo nonniſi contra Gentiles, quibus aliud lumen non affulſit, ſeſe egiſſe ait, ſepoſito omni ejus, ſimulatque ad Scripturæ veritatem pervenerit, reſpectu, non tamen quatenus Scripturæ ſenſus indagandi eſt medium, ſed quatenus normæ & regulæ dignitatem affectat. Indeque eos potius,qui ipſum hujus criminis poſtulant, ejusdem reos peragendos eſſe putat, qui ne quidem ſecundum rationem,ſed ſecundum præconceptas ſuas opiniones, divina Oracula interpretentur, & plane fruſtra,quaſi ipſe illa ad id, quod ſibi ſumſit, *in corpora* ſcilicet *ſubſtantias materiæ expertes operari non poſſe*, invita licet trahat, clamitent. Tantum enim abeſſe ait, ut huic principio Scripturas accommodare conetur,ut pro ſuo ne quidem id agnoſcat, atque illud ſtare,vel cadere, ſalva ſua ſententia poſſe exiſtimet. Quod vero poſitionis iſti contrariæ, quam adverſarii tuentur, rationem efflagitaverit, non ideo ſe feciſſe dicit,quod fulcrum ſuæ ſententiæ iſtud ſupponere voluerit, ſed quod iſti, ſi quam exigit rationem dare non posſint, cauſa cecidiſſe manifeſte appareant.

Digitized by Google

Sed ad rem ipſam accedamus. Librum itaque Tertium quod attinet, in prioribus ejus XIIX Capitibus omnia conquirit Autor, quæ ex Scripturis pro Magia & Diabolicis artibus tuendis vulgo afferri ſolent, ut in quinque ultimis demum, quantum ad id, quod probare debebant, ſuſtinendum efficiant, oſtendat. Proponit itaque primo ſtatim capite cauſæ ſtatum, non incantamenta & ſuperſtitioſas Magorum ut vulgo vocantur præſtigias, multo minus ipſorum malorum Spirituum exiſtentiam, ſed an malorum Geniorum auxilio illæ exerceantur, ſe in dubium vocare affirmans. Capite inde II. an rationi conſentanea ſit ejuſmodi hominum cum malignis Spiritibus conventio, qua unus per alterum operationes ſuas efficiat, inquirit, id quod variis argumentis negat, & Capite III. negationis ſuæ contra Anglum haud incelebrem Joſ. Glanvillum rationes reddit. Sequentibus vero XIV. capitibus omnia Scripturæ loca, quæ receptæ favere opinioni creduntur, ad examen revocat: ita quidem, ut Cap. IV. nominum, quæ in ſacris literis huic hominum generi tribuuntur, expendat ſignificatus; Capitibus vero V. VI. & VII. iſta potiſſimum Scripturæ loca conſideret, quibus Magi hujuſmodi & Striges earumque actiones deſcribuntur: qualia ſunt quæ de Magis agunt Moſi in Ægypto obſiſtentibus, de Bileamo, de Sacerdotibus Palæſtinorum, de Saga Endorienſi, de Magis quorundam Iſraelis Regum ſeductoribus, de Magis in aula Babylonica, de Ancilla Pythonem habente apud Philippenſes, de ſeptem fratribus Exorciſtis, &c. Quorum geſta, prout in Sacris nobis exponuntur, peſſimum quidem hominum genus iſtud fuiſſe oſtendunt; cum ipſo Satana vero aliquid ipſis fuiſſe familiaris commercii, nullo modo, ex ejus ſententia, evincere poſſunt. Videamus ex omnibus iſtis ea ſaltem, quæ de Saga Endorienſi, de qua 1. Sam. 28. agitur, ipſi in mentem venerint. Vocatur mulier illa dicto loco בעלת־אוב. Poſt varias, quas in diverſis locis adduxit hujus nominis interpretationes, ipſe tandem אוב *utrem coriaceum* notare ait; per Metaphoram vero de *ventre* etiam uſurpari, ex Jobi XXXII, 18. 19. probat, adeo ut בעלת־אוב nihil ſit aliud, quam *ventriloqua*, id eſt talis mulier, quæ arte edocta clauſo ore ita formare voces ſciat, ut ex ventre eas forte a Spiritu quodam formatas prodire, auditores decepti ſibi perſuadeant. *Μαγείας* vero ejus quod attinet, ſive ipſum Samuelem, ſive malignum aliquem Genium facie ejus indutum a fœmina iſta productum fuiſſe,

ex

Digitized by Google

ex Scripturis probari poſſe negat. De Saulo enim, quod Samuelem viderit, Scripturam non affirmare, ſed eum potius a fœmina, Samuelis ſpeciem in Iſraele ſatis notam ſe videre mentiente, deceptum procidiſſe in faciem, & vocem, quam artificioſe illa ita componebat, ut ab ea illam edi ſuſpicari non poſſet, pro Samuelis voce fuiſſe veneratum. Conſimili ratione reliqua quoque ex Scripturis prolata exempla poſtquam eliſiſſet, Capite IIX & IX iſtorum Scripturæ S. locorum ſubjungit examen, quæ leges atque ſtatuta contra iſtud hominum genus a Deo ſancita nobis exhibent, quarum nullam aliam rationem quam idololatriam populoque Dei indecorum fallendi ſtudium reddi poſſe ſibi perſuadet. Ut vero in hiſce etiam quomodo procedat Lectores videant, quid in luculentam iſtam de Incantationibus legem, Deuter. XIIX, 10-14. obſervaverit, age conſideremus; quem locum præ reliquis eo magis duximus eligendum, quod haud pauca quaſi per ſummam complectatur, quæ in præcedentibus prolixe notata fuerant. Monet igitur ante omnia, totius hujus legis ſcopum eſſe, Iſraelem a conſulendis omnibus doctoribus, quos in rebus arduis & difficilibus Gentilium adire ſolebat ſuperſtitio, dehortari atque avertere. Rationes hujus legis duas nobis aperuit Moſes: primam, quod non deceat populum Dei iſtas Cananæorum imitari abominationes (v. 9. 12. 14:) alteram, quod commodis eorum minime tale quid ſit conducturum, cum eis ipſis Deus ad decernendam Cananæorum exciſionem fuerit permotus (v. 12.) Pſeudo-Prophetas autem & præſtigiatores ſolum hic eſſe intelligendos, ex facta in v. 15. magni noſtri Prophetæ oppoſitione, clarius adhuc confici exiſtimat, nec non ex v. 20. in quo pœnæ & characteres falſorum hujusmodi Prophetarum indicantur. His ita præmonitis, ipſas quæ illis tribuuntur, denominationes examinat. Mentio autem primo fit מעביר בנו ובתו באש *tranſire facientis filium filiamve ſuam per ignem*, quo ipſo eos cum pleriſque eruditorum ſignificari ſtatuit, qui per luſtrationem igne factam, liberos ſuos a variis periculis tutos præſtare cupiebant: qua in re nihil Diabolicæ erat artis, quamvis præſtigiarum nonnihil adfuerit; dum ſcilicet, ut Jacobus Altingius obſervavit, poſt hujusmodi luſtrationem, divinam per ſomnum illuminationem expectabant; quod ipſum etiam in cauſa eſt, cur alia ſomniatorum mentio, inter præſtigiatorum in hac lege enarratas ſpecies non occurrat. Succedit alia hujusmodi hominum ſpecies, titulo

קסם קסמים inſignita. Sumitur in bonam partem vocabulum קסם Prov. XVI, 10. Joſ. II, 2. & paſſim, alibi vero in mala etiam accipitur, quo hic quoque procul dubio venit. Qua vero in re malitia iſto nomine ſignificata conſiſtat, id inquirendum. Sane nullum hic malis Spiritibus eſſe locum, tum ex inductione cæterorum Scripturæ locorũ omnium, ubi vox iſta occurrit, Autor probat, tum imprimis ex Ezech. XXI. patere putat, ubi קסמים Regis Babyloniæ nulla alia in re fuiſſe dicuntur occupati, quam in telis ad bellum parandis, in inteſtinis beſtiarum Diis cæſarum inſpiciendis, & in Teraphinis denique conſulendis, ut nullum adeo hic Diaboli ſuperſit veſtigium. Qui enim de Teraphinis forte nonnullos male habere poſſet ſcrupulus, eum jam ſupra Autor exemit, ubi ſuam de iis ſententiam, Theologi cujusdam a Druſio, ſuppreſſo tamen nomine, allegati verbis in hunc modum expoſuit: *Teraphini vocantur imagines falſorũ Deorũ, quibus nulla quidem oracula edendi erat facultas, niſi Deo hominum ſuperſtitionem punituro juſto id permittente judicio. Alii imagunculas fuiſſe putant, quas gentes vanitate deceptæ, antequam aliquod aggrederentur negotium, inſpiciebant, & ex earum habitu & conditione de ſuſcepti negotii ſucceſſu conjecturam faciebant. Cujusmodi figuras inepti quidam Aſtrologi ſub certis, ut loqui amant, conſtellationibus, quibus recipiendis aſtrorum virtutibus & influxui aptæ reddantur, ſolent conficere.* Aliud prohibitarum præſtigiarum genus in textu noſtro vox מעונן indicat, de qua jam antea c. IV. §. 7. & c. IIX. §. 7. ex R. Salomone, auctore Peſichtæ, Haskuni & R. Levi varia adnotaverat, utpote quorum primus vocem hanc ab ענן *nubes* derivatam, *conjectorem ex nubibus* reddiderat, ſecundus *præſtigiatorem*, tertius & quartus *dierum obſervatorem*. Hic ex Goodvvino illud tantum addit, obſervaſſe hoſce מעוננים facie ad Orientem obverſa nubium motus atque colorem, earumque itidem cum planetarum motu harmoniam, ex qua rerum eventus prædicere auſi fuerint. Ex quo hominum iſtorum in hoc negotio poſitu, Hebræi quoque Orientem קדים i. e. partem *anteriorem*, Occidentem אחור ſeu *poſteriorem*, Meridiem ימין ſeu *dextram*, Septentrionem vero שמאל ſeu *ſiniſtram* appellaverunt. Ex quibus omnibus hic etiam loco, quem vulgi opinio Diabolo dedit, ei cedendum eſſe, patere exiſtimat.

Sequi-

Digitized by Google

Sequitur in textu vox מנחש , quam nihil aliud niſi augurem notare c.IV & VI Autor oſtendit; hic vero ex Goodvvino & Kimchio addit, iſtos quoque,qui ominibus attentos ſeſe præbebant,ea denotari, ſive ad ſuſcipienda ſive ad omittenda negotia iis impelli ſeſe patientes. ut adeo hic quoque Diabolo opus non habeamus.

Quæ nunc ſuccedit vox מכשף , præſtigiatorem, aruſpicem vel veneficum notat, ut ſupra ex variis autoribus probaverat ante; ita ut illa quoque adverſariorum cauſam parum juvare queat.

Vox porro חובר a radice חבר deſcendens.in ſignificatu maxime proprio concionatorem ſeu cœtus alicujus coactorē notat; unde etiam Bodinus hoc nomen ob ſolennes quos agere ſolent conventus, alii vero ob pactum & conventionem cum Satana, Magis datum eſſe exiſtimant. Noſter vero Autor iſta voce ſuperſtitioſam verborum & incantationum adornationem, quæ tamen nihil cum Diabolo involvat commercii,indicari exiſtimat, qua in re aſſentientem habere ſe ait Maimonidem Doctoris Perplex. c. XI. Sect.X.

שואל אוב quid ſignificet,intelligitur ex parte ex illis,quæ paulo ante ex Autore memoravimus: addit tamen iſtud,quod cum שואל hoc loco nominetur, adeoque interrogans diſtinguatur ab interrogato, per אוב Spiritum intelligi facile largiri poſſit, ita tamen ut vulgi captui Spiritum S. hic ſeſe accommodaſſe dicat. Deinde etiam ne quidem ut eo confugiat opus eſſe ait, cum per שואל ille ſignificari poſſit,qui hujusmodi præſtigiatorem conſulit.

Duo reſtant in textu hoc Moſaico nomina. Prius eſt ידעני, in quo parum præſidii adverſariis vel ipſam vocis analogiam relinquere putat, quæ nullum alium quam *scioli* ſeu προγνώστου ſignificatum illi tribuere ſinat. Alterum eſt דרש אל המתים. Hoc quale ſit hominum genus,ex Maimonide de Idolol. c. 12. §. 15. oſtendit, qui eos poſt longum ſatis jejunium in cœmeteria ſeſe conferre,ibique ſomno ſe dedere ait, ut cui loqui cupiunt defunctus ſui per ſomnum ipſis copiam faciat: id quod corruptæ imaginationis virtute eos quoque obtinere,Reiſius & Goodvvinus exiſtimant; nec mirum ait Noſter,ipſis per ſomnum offerri,quæ vigilantibus tanta cum animi intentione obverſabatur, ſpeciem.

Sed ſatis ſuperque in hisce allegandis ſumus verſati. Sequitur apud Autorem tertium locorum Scripturæ, hinc inde ſc. diſperſorum & huc

Digitized by Google

& huc utcunque collimantium genus, quæ caput IX complectitur, utpote in quo in eis quoque communi ſententiæ parum eſſe præſidii, oſtenditur. XI vero & XII capite nuſpiam in tota Scriptura, (quæ paſſim tamen fœderum contra Deum, cum peccato, ad malum &c. mentionem faciat) pacti cum Diabolo vel leviſſimum inveniri veſtigium contendit; cui nullum etiam locum eſſe poſſe, ex fœderis divini natura evinci poſſe ſibi perſuadet.

Ex Scriptura poſtquam hac ratione ſe oſtendiſſe putat Cl. Autor, id in ea, quod vulgo creditur de Magis & Strigibus, haud dici, quid de illis ex ſententia ejus in ea revera doceatur declarat, eorumque perſonas non tantum, ſed artes quoque & præſtigias, quibus homines deceperunt, quidque de iis Scriptura præeunte judicandum ſit, monſtrat. Quo facto ad eos denique tranſit, qui vulgo vel mente perpetuum contra Satanam bellum gerere continuis vexati tentationibus creduntur, vel in corpore etiam vim ejus experiri, uti obſeſſi, exiſtimantur.

His omnibus vero peractis, quid homini Chriſtiano rebus ſic ſtantibus faciendum ſit, oſtendit, ita ut doceat primo, quid de toto hoc negotio judicare conveniat, id quod κατ' ἀνασκευὴν c. XIX. XX. & XXI. præſtat, κατασκευαστικῶς idem poſtremis capitibus oſtenſurus. Capite itaque XIX. ſpeciatim, infirma eſſe fundamenta, quibus innituntur primi etiam Doctorum contradicentium, contendit, quorum contrariantes opiniones ex Voetio velut in compendio ſiſtit. Reformatæ vero Eccleſiæ Symbola cum ſua ſententia non egregie tantum conſpirare, ſed etiam ſecum adverſus oppoſitæ partis patronos fortiter pugnare, capite XX. oſtendere conatur. XXI autem capite ab eadem adverſæ partis ſententia pietatis ſtudium reddi languidum, gloriæ Dei plurimum derogari, fidem & charitatem everti, Religionem infidelibus proſtitui, preces denique pollui & profanari non ſine zelo contendit. Et ita demum, quid in hac ſententia & ob quas cauſas repudiandum ſit, poſtquam oſtendit; quid admittendum ſit XXII & XXIII capite docet; quorum ultimo, quid de omnibus homini Chriſtiano ſit ſtatuendum, nec non de obſeſſionibus magorum procuratis incantamentis, & quæ demum in orbe vel admittenda vel neganda ſit Magia, ſpeciatim declarat. Et poſtremo denique, qua adverſus Deum reverentia, qua erga proximum charitate atque modeſtia, quo denique

nique ad proficiendum in vera pietate ſtudio, doctrina hac, quam veritatem eſſe credit, dignos nos gerere debeamus, poſtquam monuiſſet, tertio huic libro colophonem imponit.

Nos vero antequam ab eo diſcedentes ad quartum Librum faciamus acceſſum, non meminiſſe non poſſumus Manuſcripti cujusdam, celeberrimi & de ſacra Lingua optime meriti viri Joannis Druſii, quod in manibus ſuis eſſe clariſſimus Autor data ſibi capite quinto occaſione memorat. Fuerat ille aliquot ante Synodum Dordracenam annos ab Illuſtribus Belgii Fœderati Ordinibus annuo conductus ſtipendio, ut præcipuorum tam veterum quam recentiorum S. Codicis interpretum collationem inſtitueret, quo felicius hoc labore adjuti poſſent procedere, quos novæ procudendæ Belgicæ verſioni, quam jam tum meditabantur, eſſent deſtinaturi. Immortuo vero huic labori Druſio, Manuſcriptũ iſtud cum cæteris illius libris ad ejus in Profeſſorio munere ſucceſſorem Sixtinum Amamam devenit, a cujus hæredibus non modico argento iſtud noſter redemit Autor. Optandum igitur eſſet, ut quam morte doctiſſimi Druſii paſſus fuit orbis eruditus hujus fœtus jacturam, Reverendus Bekkerus edito, quantum ex iſto labore ad illum pervenit, reſarcire vellet; quod ut faciat, publico nomine eum non orare non poſſumus, & ut exorari ſe patiatur etiam atque etiam merito rogamus. Noſtri interea Lectores ut aliquod fœtus hujus Druſiani habeant ſpecimen, quæ ille in Geneſ. XLI. 8. annotavit, verbum verbo reddentes hic apponemus. חרטמי מצרים LXX reddunt τȣ̀ς ἐξηγητὰς Αἰγύπτȣ, Hieron. *Conjectores*, Aquila χερυφιαστὰς quod a χερυφιάζω eſt, cujus derivativum eſt ἐγχερυφιάζειν h.e. *involvere, occultare.* Videtur Aquila hac voce ſomniorum & aliarum rerum reconditarum revelatores indicare, qui apud Romanos *occultorum cognitores* vulgo dicebantur. Symmachus Μάγȣς vertit, quem ſequitur Santes Pagninus. Id quod Ariæ Montano diſplicuit, qui *Genethliacos* ponendum putavit. Si mihi credendum, rectius *Magos* vertitur; id quod iſtorum חרטמים operationes indicant: Genethliaci enim baculum in ſerpentem convertere non eſt, aut ranas producere. Onkeloſius & Jonathan חרשי מצרים ſunt interpretati, חרש vero idem quod Magus notat, qui apud Hebræos quoque מכשף vocatur, a qua voce חרשא deſcendit, quo vocabulo μαγείας Act.

XIIX. II. interpretatus eſt Syrus. R. Salomon חרטמים eſſe, ait, qui ex oſſibus demortuorum flammam inſtruunt, ut ita reſponſa iis extorqueant, quod hominum genus *νεκρομάνται* Græcis audiebat. Cui ſi ſtandum eſſet ſententiæ, compoſitum vocabulum חרטמים eſſet ex Rad. חרה *inflammatus fuit* & טימי quod oſſa apud Syros notat. Aben-Eſra ait, חרטם radicem quadriliteram Syriacam vel Ægyptiacam eſſe, & *Naturæ peritum* ſeu *Phyſicum* denotare. Sed ex Dan. II. apparet, aliquid inter חרטמים & המכשף intercedere diſcriminis, cum utraque harum vocum ibi occurrat; id quod R. David obſervavit, quando non gente quidem ſed arte tamen eos ab invicem differre ait. Quem hac in re ſequi mallem quam R. Levi, qui unum utriusque vocis ſignificatum ſtatuit, quamvis idem quoque faciat Chaldæus.

Nunc denique ad Librum Quartum eſt accedendum, in quo argumenta ab experientia pro recepta ab Eccleſiis ſententia peti ſolita examinat Autor. Diſtincte vero agit de iis primo, quæ ſe ipſum eſſe expertum ſibi perſuadere unus vel alter poſſit, primis ſcilicet XI. capitibus; poſtmodum vero XXII. ſequentibus de illis etiam tractat, quæ aliorum debemus relationi: quibus omnibus duo poſtrema capita coronidis quaſi loco imponit.

In unaquaque harum Tractationis ſuæ partium, monita primo nonnulla proponit, quibus omne excludatur fallendi periculum; id quod in prioris partis primis quinque capitibus facit: deinde vero quamplurimis exemplis confirmat, quod ſequentium VI capitum materiam ipſi ſuppeditavit, ita tamen ut & monitis nonnunquam exempla, & exemplis paſſim monita, exigente id inſtituti ratione adſperſerit.

Monita in prima parte ab eo propoſita iſta potisſimum ſunt: quod paucos inter nos invenire detur, qui ſano de rebus hujusmodi judicio ferendo ſint idonei. Quin deſtitui etiam pleroſque, ſi non omnes, opportunitate, qua ad eorum, quæ ad hujus rei pleniorem requiruntur cognitionem, notitiam pervenire queant. Prioris defectus culpam in præconceptas noſtras opiniones, nec non in terrorem, qui offerentibus ſeſe hujusmodi caſibus, nos occupare ſolet, capite I. rejicit, quibus tertiam cap. II. cauſam addit, noſtram naturæ ejusque vitium ignorantiam, quæ tamen quamplurima vulgo ignota tum re-

vera,

vera, ut capite modo citato, tum ut appareant, quod capite III oſtendit, efficere queat. Imo quartam etiam cauſam cap. IV. hujus rei allegat, noſtram in deprehendendis hominum fraudibus inadvertentiam, cujus varia ſpecimina a ſeipſo obſervata adducit. Quo facto ad id, quod ſecundo loco ſibi propoſuerat, capite V procedit, ut opportunitatem nimirum plerisque deeſſe oſtendat, quo minus ad hujusmodi naturæ artisve ſecretorum notitiam pertingere valeant. Eodemque capite V. examinis eorum, quæ ex ſpectrorum hiſtoria afferri ſueverunt, facit initium, poſteaque de obſesſis & faſcinatis diſſerere inſtituit, imprimisque in celebrem de pſittaco obſeſſo hiſtoriam inquirit. A corporum faſcinatione ad mentium ligationem pergit, de qua permulta, quibus ipſe Franequeræ interfuerit, quæq; ſuis adſpexerit oculis, capite VIII. & IX refert. Quibus fraudes circa quendam apud Rampenſes faſcinatum detectas capite X, ipſa eorum qui negotio iſti interfuerunt inſerta relatione, ſubnectit. Capite XI. vero hiſtoriam fraudum, in pervulgatis illis Urſulinarum apud Lodunenſes in Gallia incantamentis, exhibendam exiſtimavit.

Monita ſecundæ partis, ex prioribus facile deducenda, cap. XII. breviter proponit, eorumque pariter, ac omnium reliquorum, quæ in priori dederat parte, tam monitorum quam exemplorum lumine prælucente, ad illa, quibus præcipue fides habita nunquam non fuit, exempla examinanda progreditur. Facit vero ab iis auſpicium, quæ in libro primo abs ſe ipſo adducta ſunt, & primo quidem quæ ex gentiliſmo veteri adducuntur cap. XIII. Succedunt illis, quæ in gentiliſmo recentiori quotidie fere fieri dicuntur c. XIV. Judæorum vero & Mahumetanorum ſcrinia cap. XV. excutiuntur. Tandemque agmen ſuperſtitioſæ Pontificiorum fabulæ cap. XVI. claudunt.

Sequentibus XVI. capitibus Autor univerſum pervagatur orbem, exempla conquirens ea omnia, quibus fidē, & ad id, quod adverſarii credunt, probandum robur ineſſe, creditum hactenus fuit. Inter ea quoque iſta c. XXII. examinat, quæ ante annos non adeo multos in noſtris regionibus Annæbergæ geſta, & a Reverendo iſtius oppidi Paſtore Dn. Elia Zobelio literis conſignata fuere. Apparebat nimirum in illius ædibus ſpectrum aliquod, quod lapidum projectionibus, aliisque tumultuationibus, frigidis itidem attrectationibus, hominibus fæminei imprimis ſexus eſſet moleſtum. Varias ſuper iſta re

meditationes publico Zobelius communicavit. Quid in earũ nonnullas obſervet Bekkerus noſter, ut de ingenio & methodo ejus eo rectius conſtet, age videamus. Suſpicio Zobelio eſt, Spiritum iſtum ad libidinem nonnihil habere propenſionis, eo quod ancillæ præcipue laſcivia & petulantia ſua fuerit moleſtus: conſentit Noſter, qui ancillam melius forte, quam ullum alium, hujus Spiritus noviſſe naturam exiſtimat. Sagas iſtius negotii ſuis incantamentis extitiſſe autores Ille exiſtimat, eo forte fine, ut tum terrorem ſibi ſuisque incuterent, tum vero ut domum ſuam forte deprædarentur: id quod eum ſibi largiri Noſter iterum lætatur, contentus homines harum turbarum eſſe autores ſibi concedi; quæ Diaboli in illis fuerint partes, ſtatim viſurus. Spectrum hoc homines virilis imprimis ſexus atque ætatis veritum fuiſſe Zobelius obſervat, nec ipſum ſeſe iſtud unquam vel vidiſſe vel audiviſſe teſtatur, niſi quod unica vice lapidem decidere non adeo longo a ſe ſpatio viderit: quod ſuæ cauſæ admodum favere Autor noſter contendit. Magis vero adhuc iſtud Bekkero noſtro placet, quod annotatum fuerit, quandam in proximo pago habitantem mulierem, cum in urbe forte fortuna eſſet, neſcio quam mulierculam circa meridiem ad domum Zobelii accedere, lapidesque in eam conjicere vidiſſe. Nec iſtud etiam diſplicet, quod multos ad ædes iſtas accesſiſſe memoret, qui audire videreque ſpectrum iſtud cuperent, quo haberent quæ de eo narrare poſſent mirabilia: non mirum enim eſſe ait, eos qui videre ſpectrum volebant, facile ſe iſtud vidiſſe ſibi paſſos fuiſſe perſuaderi. Sed de iſtis ſatis; ad alia enim nobis pergendum.

Non prætermittenda vero etiam putamus, quæ XXIV. capite de judiciali cum ſagis proceſſu noſter Autor obſervavit. Sequitur in ejus deſcriptione atque examine libellum quendam, quem commendatum admodum cupit, Belgica & Latina lingua editum titulo: *Waarborg om geen quaad Halsgereght te doen.* Movetur in libello iſto inter alia quæſtio, quænam ratio & ordo in Sagarum proceſſu hodie ſoleat obſervari? Reſpondetur huic quæſtioni poſitionibus XLVI; quas ad numerum quindecim ita noſter Autor haud incommode reduci poſſe exiſtimat.

1) Ex vulgi opinione omnes fere, quas Deus immittit, pœnæ Sagarum inepte tribuuntur incantamentis. Quam ob cauſam

ſam 2) judicia publica importune haud raro, ut in homines hujusmodi inquirant, provocantur. Quo impetrato 3) prima haud dubie familiaris cum Diabolo commercii accuſabitur, quæ viliori utens fortuna uni vel alteri qualemcunque movit ſuſpicionem, vel in aliis rebus non bene audit. De hujusmodi hominibus tali dilemmate plerique utuntur mortalium: ſi vita non optima publicam reprehenſionem incurrunt, fundamento non caret ſuſpicio; ſi nullo eximio ſcelere ſunt inſignes, luporum pectora agnorum velleribus tegi certum eſt. Si 4) accuſata parum commoveri ſe patiatur, pro Diabolicæ indurationis indicio iſta habetur conſtantia. Si vero ut tormenta vitet exceſſerit, proverbio qui fugit male ſibi eſſe conſcius judicatur. Facile vero 5) qui male alicui volunt, in vita ejus aliquid reprehenſione dignum inveniunt, quod de prohibitis artibus ſuſpicioni alimenta præbere queat. Id quod 6) inquiſitionem exacuit atque maturat, ita ut ipſo illo, quo in judicium adducitur homo ejusmodi, die, haud raro ad rogum ſoleat condemnari; nec advocatus ipſi facile permittitur, nec ſi permittatur, facile invenitur, cum non ſoleat hominum iſtud genus in patrocinio huic reorum generi offerendo promtum admodum eſſe. 7) Poſt primum examen, ſive fateatur rea ſive minus, vinculis conſtringitur, & quo appoſite magis cauſam ſuam tuetur, eo diligentior eſſe Satanas in ſuppeditandis, quæ ad abſolutionem promovendam faciant, eſſe creditur; excuſare vero ſeſe non valens, habetur pro ſaga. Judices porro 8) ut criminis extorqueant confeſſionem, minantur tormenta, veſtibus totum corpus nudant, iſtudque fœmineum licet viris contrectandum permittunt, ne ſcilicet aliquid ad *μαγείας* ſuas exercendas idoneum ſecum occultent perveſtigandū. 9) Tormentorum vi confiteri coacta ad rogum ablegatur; 10) invicta vero perſiſtens pervicax eſſe dicitur, majoreque ſemper tormentorum vi, donec quod volunt fateatur, affligitur. Si neget amotis tormentis, quæ iis perferendis impar antea fatebatur, pervicaciæ accuſatur, fidemque quæ affirmanti facile adeo habetur, negans impetrare non poteſt. 11) Si circumſpiciat paulo liberius, Diabolum amaſiū ſuum oculis quærere putatur; dejiciens oculos tormentis exanimata, dormire, Satana a tormentorum ſenſu eam præſtante immunem, creditur. 12) Si ad mortem usque excruciata fuerit, moriens a Diabolo occiſa dicitur, ſepulcrumque ſub furca invenit. 13) Si vero

nec vita, nec confeſſio tormentis ipſi extorqueri poteſt, carceris diuturnitate fatigatur; adhibitis interea 14) Clericis, qui ſpiritualia quoque tormenta admoveant, æternæ damnationis periculis negantem terrentes. Quod vero ſeipſos nonnulli in judiciis, tanquam Magicis artibus pollutos, ad pœnam offerant, id morbis humoribusque eorum corruptis tribuendum eſſe, quamplurimis exemplis Autor docet.

Sed ut finem faciamus tandem, c. XXXIII. omnia pro ſententia ſua argumenta ſummatim proponit; c. XXXIV. vero male eos facere, qui communi ſententiæ alimenta quaſi præbent, oſtendit, multoque majorem hac in parte Theologorum, quam Magiſtratuum culpam eſſe ait; qui proinde etiam, ut huic malo occurrant, eo magis obſtrictos ſeſe exiſtimare debeant. Capite ultimo denique omnia iſta ad promovendum pietatis ſtudium a ſe prolata teſtatur: ſi vero qui ſint, qui ſua doctrina ad Libertiniſmum abutantur, ab iis Scripturas quoque ad peſſimas ſuas trahi opiniones ait; ſe nihilominus jamdudum fructus operis ſui Miniſtro Evangelii dignos vidiſſe, & plures etiam non fallenda expectatione erecto vultu ſibi promittere.

Cæterum Lectores noſtri hujusmodi rerum ſtudioſi, accuratius rem totam cognoſcere poterunt, poſtquam non Gallica tantum, ſed & Germanica libri Bekkeriani prodiit verſio, cujus etiam Latinam translationem cum tempore prodituram cognovimus.

DE BETOOVERDE VVEERELD VAN D. Balthaſar Bekker, onderſocht en vveederlegt door Jo. van der VVayen.

h. e.

Mundus faſcinatus D. Balthaſaris Bekkeri, examinatus, & refutatus a Jo. van der Wayen.

Franequeræ apud Leonh. Shick & Jac. Horreum 1693. in 4.
Conſtat plag. 82.

Iſta cujus titulum modo poſuimus libri Bekkeriani Refutatio, a Viro Reverendo, & aliis ſcriptis de orbe literato jam dudum bene merito ſuſcepta, principem inter cæteras, quarum haud unæ prodierunt, locum ſuo quodam jure ſibi vindicare poſſe videntur. Com-

Digitized by Google

Communicavit eam, antequam typis publicis exſcriberetur, adverſario ſuo; tum quod cum illo amicitiam haud paucos annos coluiſſet, tum quod eo quo fieri poterat candore agere cuperet, ſi minus recte forte in quibusdam mentem ejus percepiſſet, explicandi ſeſe & de ea monendi ſpatium ipſi largiens. Quod eo Bekkerum etiam compulit, ut ignorationem quidem elenchi & principii petitionem committi monuerit, cætera vero ſibi plane perſuaſum eſſe, veritatis amore iſta Autorem noſtrum moliri, publico etiam ſcripto fuerit teſtatus. Sed mutatus ſubito, ut Noſter queritur, Bekkeri animus, neſcio qua amarulentia illum repente fuit aggreſſus; id quod ex cauſæ diffidentia profectum ſibi perſuadet. Quæcunque autem cauſa ſit animi utrinque nonnihil commotioris, noſtra parum refert, qui rem ipſam potius, quantum fieri poteſt, Lectorum oculis exponere noſtrum eſſe putamus.

Ita vero Autor noſter ſe gerit, ut totum adverſarii ſui opus, vel priores potius duos ejus libros (poſteriores enim duo, cum iſte ſcriberet, editi nondum erant) percurrat, eorumque, quos in iis inveniri putat, varii generis errorum examen inſtituat, tum vero ad rem perveniat de qua præcipua inter ipſos verſatur contentio. Ut adeo in duas partes totum hoc opus abeat, quarum priori variorum Bekkeri errorum cæditur ſylva, poſteriori vero ſpeciatim doctrina de Spiritibus eorumque operationibus pertractatur.

Ut quales ſint illi errores Bekkeriani appareat, quosdam eorum hic recenſuiſſe juvabit. Dixerat ille inter alia, communem de Geniis & eorum operationibus doctrinam omnia religionis Chriſtianæ dogmata infirma reddere, imo opportuna Atheis contra eandem arma ſubminiſtrare. Ægre illa fert Autor noſter, Bekkerum hac ratione omnem Eccleſiarum fidem evertere exiſtimans; quam ut aſſertum eat, præcipua religionis capita de Chriſto, de Deo, de Scriptura Sacra, nullum cum hac doctrina nexum habere oſtendit, ita ut recepta Eccleſiarum ſententia nihil ſolidæ eorum demonſtrationi detrahere poſſit. Iſta vero Clariſſimi Viri opera an ii qui Bekkero favent, ad oſtendendum ejus opiniones in ſe conſideratas fidei fundamentum non attingere, adeoque paulo quam par eſt aſperius tractari, abuti nequeant, aliorum & alterius loci eſt examinare.

Aliud errorum genus eſt, quod eo fine in Bekkero notat Autor noſter,

noſter, ne forte nonnulli opinione de ejus eruditione occœcati, ab eo ſeduci ſe patiantur. Tales ſunt, cum Romanos in rebus religionem concernentibus leges devictis a ſe gentibus condidiſſe affirmat; cum
58. eosdem cum Romanorum Jove & Plutone Perſarum facit Oromasden & Arimanium; cum Parmenidem Pythagoræum, qualem hominem
61. nunquam extitiſſe Noſter arbitratur, allegat; cum Apulejum Plutarcho multo facit antiquiorem; cum vulgarem de Spiritibus & Ange-
66. lis opinionem, Synagogam pariter ac Eccleſiam Gentiliſmo debere ait, quod adeo falſum eſſe Noſter ſibi perſuadet, ut contra potius omnia, quæ Plato & ejus in Academia ſucceſſores de Dæmonibus & Heroibus tradiderunt, ex Hebræorum ſcholis profluxiſſe, vel ipſa nomina propriaque Platonis confesſio, cujus loca prolixe interpretatur, faciant manifeſtum. *Dæmonum* enim appellationem Hebraicæ voci ירע debere originem, jam Vosſio & aliis fuit obſervatum. Heroum vero nomen vel ab Hebr. ער quod vigilem notat, & a LXX. ἄγγελος vertitur, vel a voce ירש *hæreditare* (cum primogeniti adeoquo hæredes heroes fuerint) vel denique a voce חורין quam ἄρχοντες LXX. reddunt, deſcendere Autor ſibi perſuadet. Quin *Manium* quoque nomen Hebraicæ originis eſſe, ex Huetio notat, quos tamen, nemine antiquorum præeunte, a verbo *manere* nomen eſſe ſortitos Bekkerus putet, qui potius cum Macrobio & Feſto *Manes* idem eſſe ac *Bonos* ſcriptum reliquerint.

129. Plures alios hujusmodi in Bekkeri libro errores obſervavit: perperam enim eundem Præpetes & Oſcines definiviſſe putat; perperam itidem Indis tribuere, quaſi Diabolum ignorent, eo argumento niſum, quod adorationis cultu eũ proſequantur, quo honore, ſi ut malum cognoviſſent, neutiquam affecturos exiſtimat. Sed obſervatur Noſtro, ut malum genium omnino Diabolum Indos adorare; ideo ſcilicet, ne iram ejus neglecto hoc cultu nimis gravem ſentire cogantur. Alios hujusmodi Bekkeri errores ab Autore notatos prætermittimus. ne errorum ejus catalogum hic texere velle videamur, præcipue cum haud pauci eorum excuſationem aliquam adhuc videantur admittere.

Pasſim quoque ſibi ipſi Bekkerum non ſatis conſtare Noſter oſtendit. Exempli loco adduxiſſe ſufficiat, quæ ad illa notavit, quibus oſtenderat, quid Scriptura, quidque Philoſophia ad erroneas de Spiritibus opiniones formandas contulerit. Scripturam occaſionem de-

dediſſe dixerat, ut nonnulli ex igne & ſubtiliſſimo æthere Angelorum eſſentiam compoſitam eſſe crederent; id quod cum eo non ſatis conciliari poſſe Noſter dicit, quod alibi de origine & natura Angelorum nihil fere in Scripturis haberi affirmavit, item quod alio rurſus loco Scripturæ tribuit, quod carnea ſubſtantia Angelis a quibusdam adſcripta fuerit.

Et hujus quidem generis ſunt pleraque, quæ in primo Bekkeriani operis libro Noſter obſervavit. In Examinis libri ſecundi ſtatim limine notat, Bekkerum in eo non ſuæ ſententiæ argumentis confirmandæ, 157.
ſed oppoſitæ per varias ſtrophas evertendæ operam navaſſe. Si tamen forte aliquid hinc inde occurrat, quod argumenti loco ejus ſententiæ inſervire queat, id omne ex natura Angelorum deſumi; quam ita fingat eſſe comparatam, ut in alia, ſive corpora ſive ſpiritûs, Angelus operari non valeat. Expreſſis enim verbis Bekkerum dicere ait: *ſe adhuc dum expectare, ut argumentis iſtud probetur, ſeque ob hanc ſolam cauſam, quod argumentis id probari nequeat, communi opinioni bellum indixiſſe.* Verum iſtud pro principio ſuo Bekkerum non agnoſcere, jam in enarratione duorum poſtremorum ejus librorum a nobis obſervatum fuit. Reprehendit porro Autor quasdam Bekkeri poſitiones & phraſes, quas minus aptas eſſe judicat. Tales ſunt, cum naturam docere ait, differre inter ſeſe corpus & ſpiritum adeo usque, *ut ne minimam* quidem *invicem cognationem habeant*; cum naturam nihil de ſpirituum ſtatu nobis tradere affirmat; 165.
cum nullam totius orbis linguam hominum eruditorum inventioni deberi ſtatuit. Gravi quoque cenſura in id Noſter animadvertit, quod ſatis Bekkerus non perceperit, quæ Carteſius & ejus ſchola de loco Spirituum tradiderunt. Statuunt illi, ibi eſſe Spiritum, ubi operatur; quod ita accepit Bekkerus, quaſi ille, v. g. anima hominis, ſit ſemper loco præſens, quem cogitationibus ſuis attingit: unde illud enaſci inconveniens Noſter ſibi perſuadet, quod anima poſt centum forte annos a ſua e corpore emigratione elapſos iſtud conſiderans, ei adeſſe ſit ſtatuenda. 176.

Dixiſſe iſta de prima hujus operis parte ſufficiat; ad alteram enim etiam eſt accedendum. In quinque iſta abit capita, quorum primo poſitiones quædam & præſuppoſita proponuntur; in ſecundo ſtatus cauſæ rite formatur; in tertio argumentis variis communis

 Pro-

Proteſtantium ſententia confirmatur; quarto omnes Bekkeri ſtrophæ oſtenduntur & profligantur; quinto denique eorum argumentorum inſtituitur ſpicilegium, quæ a Bekkero, prout merentur, penſitata nondum fuerant.

Præſuppoſitorum, quæ primo capite proponuntur, quædam ita ſunt comparata, ut ne a Bekkero ipſo in dubium vocari queant, v. g. ***Deum eſſe, Deum eſſe Spiritum***, ab eo tamen per alias quasdam poſitiones vel obſcurantur vel infirmantur. Sic illam de ſpirituali Dei
245. eſſentia poſitionem eo obſcuram reddi Noſter exiſtimat, quod nullam plane divinæ cum creaturarum ſpiritualium eſſentia convenientiam admittit, adeoque diſtinctionem inter increatum creatosque ſpiritus in univerſum tollit: qua quidem in re antiquorum Patrum doctrinam ex parte ſecutus, utcunque forte Bekkerus excuſari poſſet.
254. Sed longe adhuc periculoſius eum ſentire putat, cum humanum noſtrum intellectum non tam quid ſit Deus, quam quid non ſit, comprehendere affirmat: hanc enim poſitionem, tanquam omnium, quæ in toto libro Bekkeriano continentur, maxime noxiam accuſat, utpote qua omnem veram Dei cognitionem abnegare videatur. Illi enim neque an ſit, neque an eſſe poſſit Deus, certo innoteſcere Noſter ſtatuit, cui de eo nihil, niſi quid Deus non ſit, pateat: imo ne quidem, quid non ſit Deus, dicere poſſe eum, qui quid ſit Deus ignorare ſeſe profitetur. Atheiſmo itaque viam poſitione iſta ſterni exiſtimat, quæ eo ſit periculoſior, quod fictitia Dei reverentia velata incedat. Vigeſimum quartum inter Præſuppoſita ſua locum Autor noſter dedit iſti: quod Filius Dei Angeli perſona indutus, vice plus una ante ſuum in carnem adventum, Patriarchis aliisque Dei viris apparuerit. Autor noſter hic licet a partibus ſuis habeat totam Eccleſiaſticam antiquitatem, Scripturæ tamen potisſimum teſtimoniis contra Bekkerum illud evincere ſtudet. Inter illa non poſtremum locum occupat hi-
238. ſtoria Geneſ. XIIX. & XIX. deſcripta. Nullum in illa Filio Dei eſſe locum Bekkerus, qui peculiari capite de eo egerat, inter alia ex Hebr. XIII. evincere fuerat conatus, ubi Angelorum ſolum mentionem ad hunc locum reſpiciens Apoſtolus faciat, cui longe fortius argumentum ad hoſpitalitatem perſuadendam Perſonæ divinæ ſuppeditaſſet majeſtas, ſi quæ in hiſtoria, loco Geneſeos allegato enarrata, partes ſuas haberet. Verum negat Noſter, Apoſtolum ad apparitionem Abra-

Abrahamo factam mentem intendiſſe, quem potius ad hiſtoriam Rahab, exploratores a Joſua miſſos comiter excipientis, reſpexiſſe exiſtimat. Sane Jacobi II. 25. ἀγγέλȣς Viros illos dici certum eſt, quemadmodum & Joſ. VI. 17. מלאכים nomine appellantur. Nec minus de eo quoque conſtat, hoſpitio eos a Rahab fuiſſe exceptos, antequam noſſet, eos in tanti momenti cauſa legatorum munere fungi. Iſto beneficio vero ſuo, quod inſcia illis contulerat, ſe ipſam quaſi cum univerſa familia ſua in ſecuturo mox periculo occultavit, ut tuta lateret. Apoſtolus itaque hoſpitalitatem commendaturus, quam inſigni fructu ea quondam exercita fuerit oſtendit, ἔλαθόν, inquiens, τινες ξενίσαντες ἀγγέλȣς, i. e. *latuerunt* vel *tuti fuerunt* quidam, Legatos illos Joſuæ hoſpitio excipientes. Favet huic interpretationi barbariſmi hic perperam a nonnemine accuſatus Interpres vulgatus, a Tena & Salmerone jam olim defenſus, & præter eum typicus, quem ingenioſe Noſter hic latere monet, ſenſus, aptisſimaque Joſuæ populum in terram promiſſam mox introducturi legatorumque ejus, cum Chriſto vero Joſua ejusque Apoſtolis & Legatis convenientia: quibus, veris quippe angelis pacis, quicunque in cordibus domibusque ſuis locum erant conceſſuri, latituri & ab omnibus iræ Dei infernarumque poteſtatum inſultibus tuti erant futuri. Sed nullum etiam licet locum inveniat iſta verborum Pauli interpretatio, nihil tamen Bekkerum iis juvari, ea repetens, quæ contra Socinianos locum hunc vindicaturi noſtrates afferre ſolent, oſtendit. Iſti vero etiam inprimis Bekkeri argumento ſatisfeciſſe videtur, quo ſanctos Dei Spiritus in iſto Geneſeos loco per Angelos non eſſe intelligendos evicturus, certitudinem reſurrectionis Chriſti periclitari dixerat, ſi Spiritus Angeli iſti fuiſſent. Veritatem enim reſurrectionis ſuæ perſuaſurus diſcipulis Chriſtus, carnem & oſſa monſtrabat, cibosque præſentibus ipſis ſumebat. At vero fecit hoc Chriſtus, monente Noſtro, non tam ut de invicta reſurrectionis ſuæ certitudine eos edoceret, quam ut ſedaret eos nonnihil atque pacatos redderet. Neque enim hæſitare deſinebant diſcipuli, vidiſſent licet edentem bibentemque magiſtrum, ſed tum demum plenam fidem adhibebant, cum intellectu corũ illuminato Scripturas iis aperiret, Luc. XXIV. 45. Unde Petrus etiam Act. X. 13. reſurrectionis Chriſti veritatem auditoribus perſuaſurus, ad ſolas Scripturas provocat, non vero

ad id quod edentem bibentemque Dominum viderit; id quod non niſi incidenter antea, & ut de ſuo Apoſtolatu conſtaret, commemoraſſe videtur.

Poſtquam prolixe ſatis ab Autore noſtro Præſuppoſita illa pertractata fuere, capite II. ſtatum cauſæ hunc eſſe ait: an Spiritus creati voluntate divina tali ſint præditi virtute, ut in alios ſive ſpiritus, ſive corpora ipſis ea ratione, qua anima corpori humano, non unita, & quidem efficaciter, ita ut aliquis operationis illius compareat effectus, operari queant. Genuinum hunc eſſe controverſiæ ſtatum, prolixe ex Bekkeri libro probat, capitibus vero ſequentibus eum, prout decet, tractare aggreditur.

Impendit igitur totum caput III. argumentis quæſtionem affirmandam eſſe evincentibus, quæ tamen ita diſponit, ut ſuæ communisque Proteſtantium ſententiæ primo poſſibilitatem & probabilitatem, indeque ejusdem certitudinem oſtendat.

342. Poſſibilitatem & probabilitatem communis ſententiæ inde manifeſtam facit, quod Deo æque facile fuerit, iſtam reliquis Spiritibus in corpora concedere facultatem, quam animæ humanæ in corpus ſuum dedit; quod nullius rerum creatarum naturam iſta facultas, ſi admittatur, evertat, nec nova creatione opus habeat; quod denique ipſe Bekkerus poſſibilitatem hujus rei impugnare non auſus, Scripturam primo intuitu ei favere fuerit faſſus. Pugnat inde Scripturæ teſtimoniis pro ſententiæ hujus probabilitate. Talia ſunt, quando Angelum ſecundam Divinitatis perſonam S. Literæ appellant, quæ plane inepta eſſet appellatio ſecundum Autorem noſtrum, niſi darentur ſancti hujusmodi Spiritus, quorum naturam & officium Chriſtus in miſſione ſua aliqua ratione exprimeret; quemadmodum fruſtra idem ſive Sacerdos ſive Rex nuncuparetur, ſi quibusdam beneficiis atque actionibus ſuis hujus hominum generis characterem non videretur referre. Idem fere argumentandi genus eſt, quod paulo poſt a Miniſtrorum Eccleſiæ appellatione, qui itidem in ſacris Angeli vocantur deſumit; cui ſuccedunt petitæ ex Angelorum apparitionibus Hagari, Moſi, Bileamo &c. factis rationes, nec non ex Angelorum quorundam nominibus, *Cherubinorum* v. g. quod nomen figuras Angelorum animalibus certis ſimiles, quibus ratio Angelici circa Eccleſiam miniſterii indicatur, ſignificat. Sic *Exercituum*, ſic alias quoque Angelo-

gelorum appellationes exponit, indeque probabilitatem ſuæ ſententiæ conciliat.

Ad ejus certitudinem vero oſtendendam ubi inſequenti capite pervenit, nomina quæ Angelis lapſis ſacra Oracula tribuunt, eorumque qualitates, operationes & proprietates prolixe exponit, fundamentum ſimul indicans, cur homines quoque eorum haud raro appellentur nominibus. Prolixus vero imprimis hic eſt in vindicanda lapſus humani hiſtoria, ad quam occaſione appellationis illius, qua *Serpens* in ſacris malus genius appellatur, delatus, ſolida pro certitudine ſententiæ communis argumenta ab ea ſuppeditari oſtendit.

Cavillationes, quas putat, & exceptiones Bekkerianas toto capite IV, quod unum eſt ex totius operis maxime prolixis, ad examen revocat, ex quibus pauca ſpeciminis loco adhuc erunt adducenda. Dixerat Bekkerus Lib. II. c. X. operis ſui, quando Angelis piorum tribuitur cuſtodia, id aliter accipiendum non eſſe, quam cum edere vel bibere perhibentur, aut cum Manna panis אבירים dicitur. Interrogat 391.
noſter Bekkerum, quid ipſi perſuaſerit, per אבירים Angelos eſſe intelligendos? Sane per אבירים vel cum AbenEſra & aliis Heroes forteſque in populo Dei viros indicari, vel ipſas Sanctæ Trinitatis perſonas, vero longe convenientius Noſtro videtur. Has enim pari modo Hoſ. XII. 1. קדושים & alibi האלהים האדירים vocari certum eſt. Aptiſſime vero Filium Dei, panem אבירים id eſt *Dei* appellari ideo putat, quod ſicut ſine cibo mortales vivere adeoque homines eſſe nequeant, ita Deus peccatorum Deus evadere volens, Deus eſſe non potuiſſet, niſi interveniente morte filii ſui, hoc eſt ſe ipſum, absque illa peccatoris Deum ſe faciens, abnegaſſet. Chriſti vero ita conſiderati typus erat Manna; omnes ex illo edebant, tanquam figura cibi omnium credentium, qui ejus virtute vivebant, & ipſius Dei, cujus quo diximus ſenſu cibus unigenitus ejus Filius dici potuit. Nulla quidem ſolida ratione contradici huic explicationi poſſe ſibi Noſter perſuader, de quo diſpiciant Theologi. Interea concedatur licet, per אבירים Angelos in loco iſto eſſe intelligendos, ſolidum tamen argumentum pro Bekkero inde non poſſe fabricari oſtendit Autor: quid mirum enim ſi Poeta ſacer figura uſus eſt? Imo ne eo quidem forſan recurrere opus, cum proprio quoque ſenſu *panis Angelorum* Manna dici forte queat, quod peculiari miniſterio miniſtrantes illi Spiritus circa illud fuerint verſati. Fit

Fit in Hiſtoria Sacra 1. Sam. XVI. mentio רוח אלהים רעה Bekkerus verba illa de *Spiritu valde malo* accipienda putat, quemadmodum alibi in ſacris הרים אלהים montes vaſtos atque ingentes ſignificare dicunt. Noſter vero Autor, tum reverentiæ nominis divini adverſum eſſe exiſtimans, ſi adhibeatur ut rem malam inſigniter malam reddat, tum conſtructionem illum ſenſum non pati putans, ita potius locum illum exponi jubet: quod Spiritus Dei, qui efficaci voluntate ſua Heroicas cogitationes in mente Sauli produxerat antea, easdem Davidi inſpirare nunc cœperit, contraque mentem Sauli tenebricoſis cogitationibus perturbari obfuſcarique permiſerit. Variam vero iſtam animæ Sauli conditionem, ei moderante increato Spiritu collatam, fundamentum eſſe phraſeos, qua Spiritus malus Domini in eum irruiſſe dicitur, qui ab eo receſſerit Davide fidibus canente, id eſt illas mentis tenebras diſpellente & meliores cogitationes muſica illa melodia conſervante.

In Epilogo denique Autor monet, ſe priori libri Bekkeriani editione uſum fuiſſe, adeoque veniam ſibi dari merito poſtulat, ſi, quæ mutavit in altera editione Bekkerus, non obſervaverit. Ad examen tamen revocat caput VII. Bekkeri, quod in nova editione Libro ejus II. recens acceſſit, rationem, qua reliqui Spiritus, cum anima hominis comparati, ſive in eam ſive in corpora operentur, inquirens.

Oppoſita jam fuit a quibusdam Bekkeri, uti titulus credere jubet, diſcipulis prolixa ſatis huic Autoris noſtri operi Reſponſio, in qua reliquorum etiam, qui Bekkerum oppugnarunt, argumentis ſimul reſpondetur. Ejus enarrationem, ne Lectori tædium moveamus, alii tempori judicavimus eſſe reſervandam.

JAC. B. CURVATURA LAMINÆ ELASTICÆ. Ejus Identitas cum Curvatura Lintei a pondere incluſi fluidi expanſi. Radii Circulorum Oſculantium in terminis ſimpliciſſimis exhibiti, una cum novis quibusdam Theorematis huc pertinentibus, &c.

POſt triennale ſilentium promiſſi tandem fidem libero, ſed ita, ut moram, quam Lector alias inique ferre poſſet, nonnullo fœnore com-

compenſem, dum Elaterum curvaturam non in una ſola, (ut initio fueram pollicitus,) ſed generaliter in quacunque Extenſionum hypotheſi conſtructam exhibeo; quod primus ni fallor exequor, poſtquam a multis inutiliter tentatum Problema fuiſſet. Extitit enim jam inde a *Galilei* quoque temporibus celebre, qui Curvam hanc, perinde ut Funiculariam, Parabolam eſſe *ſuſpicatus* erat. Eandem deinde ſententiam tuitus eſt Pater *Gaſto Pardies* Gallus, in exiguo tractatu *de ſtaticis*, ubi tamen in rem præſentem nil niſi paralogiſmos meros conſuit. Et nuper adeo ejusdem Societatis Vir, *Franciſcus Tertius de Lanis*, in prolixo ſuo opere *Magiſterii naturæ & artis, Tom. 2. lib. 7.* (ubi multa huc facientia & lectu digna habet) idem evincere conatur, ſed ratiocinio plane præpoſtero: ut vel hinc non ſine voluptate percipere liceat, quantopere Prædeceſſores noſtri, interioris Geometriæ cognitione deſtituti, ſe torſerint, pro inveſtiganda re, quam in illa caligine absque ejus adminiculo ſcire non poterant. Dixeram in *Actis Erudit.* 1691. p. 289. problema hocce plus difficultatis habere *Funiculario*; nec ſine ratione. Ut enim alia taceam, notandum, duas præſto eſſe claves in *Catenarii* inveſtigatione, quæ ad duas differentes æquationes viam ſternunt, quarum una naturam Curvæ per relationem ipſiusmet ad coordinatas ejus, altera per relationem fili evolventis ad easdem exprimit; cum ad Curvæ Elaſticæ naturam indagandam poſteriore tantum clave aditus pateat: hinc enim manifeſto ſequitur, fieri bene poſſe, ut quispiam prioris Problematis difficultates ſuperet, nec tamen protinus alterius quoque victor evadat; deſtitutus nimirum clavium altera, quæ dictam relationem fili evolventis ſeu radii circuli oſculatoris (non quomodocunque, ut factum in *Act. Lipſ. Menſ. Jan.* 1691, p. 22. ſed) in terminis ſimpliciſſimis & pure differentialibus exhibeat. Hæc nobis jam eo tempore, quo ſpeculationi funis vacabamus, innotuerat, eamque mox nonnullis inter peregrinandum communicavit *Frater*; interea dum immenſa inventi utilitas in reſolvenda *Velaria*, & hac quam præ manibus habemus *Elaterum Curvatura*, aliisque ſublimioribus, quotidie magis magisque ſeſe mihi explicuit, effecitque tandem, ut non poſſim publico aureum Theorema diutius invidere; præſertim cum hoc unum adhuc Geometris defuiſſe videatur, quo minus æque feliciter in recenſitis Problematis, atque in altero illo, verſati fuerint.

Prius-

TAB. VI. Fig. 1. Priusquam itaque ad inſtitutum pergo, ſunto in fig. I, porti-unculæ Curvæ cujuſpiam infinite parvæ ab, bc, quibus perpendiculariter inſiſtant radii circuli oſculatoris af, bf, concurrentes in puncto Evolutæ f, facientesque angulum a f b æqualem angulo gbc, quem producta portio ab cum altera bc efficit; tum abſcindatur bh = bc, ductæque intelligantur parallelæ al, bn, co, nec non bl, hom, gcn; quarum illæ abſciſſarum, hæ applicatarum elementa (ſive dx, dy, ddx, *&c.*) indigitent. Dico,


α. Quod poſitis Curvæ elementis ab, bc, hoc eſt, ipſis ds æqualibus, radius circuli oſculatoris ſeu longitudo fili evolventis af, nempe $z = \frac{dx\,ds}{ddy}$, item $z = \frac{dy\,ds}{ddx}$: Nam ho. bc :: ho. hc + hc. bc :: (ob ſimilitud. Δrum bmh, hoc, item hcb, abf) bm. bh + ab. bf :: al. ab + ab bf :: al. bf :: $dx.\,z$. Sed ho = hm — nc = bl — nc = ddy, & bc = ds; quare $ddy.\,ds :: dx.\,z$. Eodem modo oſtendetur $ddx.\,ds :: dy.\,z$. Q. E. D. *Coroll.* In omni Curva, poſitis ejus elementis æqualibus, differentiæ ſecundæ coordinatarum primis reciproce proportionantur: cum enim $\frac{dxds}{ddy} = z = \frac{dyds}{ddx}$, erit $dxddx = dyddy$, adeoque $ddx.\,ddy :: dy.\,dx$; quod ipſum quoque ex ſola ſimilitudine Δrum bmh, hoc, liquet; ubi co ſeu ddx eſt ad oh ſeu ddy, ut hm ad bm, vel bl, ad al, ſeu dy ad dx.

β. Poſitis vero abſciſſæ elementis al, bn, hoc eſt, ipſis dx æqualibus, erit radius oſculantis circuli af ſeu $z = \frac{ds^3}{dxddy}$. Quoniam gc. bc :: gc. hc + hc. bc :: (ob ſimilit. Δrum bng, chg, nec non hcb, abf) bg. bn + ab. bf :: ab. al + ab. bf :: $ds.\,dx + ds.\,z :: dsq.\,zdx$: atque gc = gn — nc = bl — nc = ddy, & bc = ds; erit $ddy.\,ds :: dsq.\,zdx$. Q.E.D. Haud abſimiliter oſtendetur, quod poſitis dy æqualibus, futurum eſt $z = \frac{ds^3}{dyddx}$.

His addo nova, de quibus nec *Fratri* adhuc conſtat, Theorema-

ta

Lin Acceſsus & Receſsus
æqu dato,





Digitized by Google

ta pro Curvis, quarum applicatæ non ſunt parallelæ, ſed in communi puncto coëunt: poſito namque radio circuli ſuper polo ſeu umbilico hoc deſcripti a, abſciſſa peripheriæ ejus x, & intercepta inter polum & datam Curvam y, erit radius oſculantis circuli

$$z = \frac{adyds}{2dxdy + yddx}, \text{ vel } \frac{aydxds}{ydxq - aaddy},$$ ſi elementa Curvæ ds:

& $$z = \frac{ads^3}{dxdsq + dxdyq - ydxddy},$$ ſi ipſa dx: & denique $$z = \frac{ads^3}{dxdsq + dxdyq + ydyddx},$$ ſi ipſa dy æqualia intelliguntur. Eſt vero in ejusmodi Curvis $$ds = \frac{\sqrt{yydxq + aadyq}}{a}.$$ Hac via duce cognovi, radium circuli ſpiralem *Archimedæam* oſculantis ubique quartam eſſe proportionalem, ad peripheriam circuli primæ revolutionis, radium ejus, & quantitatem $$\frac{xx + aa\sqrt{xx + aa}}{xx + 2aa}.$$

Sed miſſis & præmiſſis iſtis, redeo in orbitam propoſiti noſtri Problematis, conſtruendo Curvam Elaſticam, ut ſequitur:

I. Generaliter: Eſto Spatium rectilineum ſive curvilineum quodvis ABC, *fig. 2* (cujus abſciſſæ AE vires tendentes, ordinatæ EF tenſiones repræſentent) eique ponatur æquale □tum AD, intra quod deſcriptus ſit ſuper A circuli quadrans GKL. Statuatur etiam indefinitæ portioni ſpatii AEF æquale ▭lum AH, ducta recta HI ſecante quadrantem circuli in K, & junctæ AK fiat parallela GM, ipſique AM in ordinata EF (ſi opus ſit) producta capiatur æqualis EN. Erit punctum N ad curvam quandam AN talem, ut ſi ſpatio AEN pergas ſtatuere æquale ▭lum AO, rectasque OP, FE producas ad communem occurſum in Q, exiſtat punctum Q in curva optata AQR. Nimirum, ſi aſſerculus quidam oblongior, tigillum, virga, pertica aut lamina quæcunque flexilis, elaſtica & gravitatis expers AQRSyVA, uniformis ubique latitudinis & craſſitiei RS, AV, longitu- TAB. VI. Fig. 2.

gitudinis vero RQA, firmetur una extremitate in RS ad perpendiculum, alterique AV potentia applicetur, ſive pondus appendatur Z, quantum ſufficit ad laminam incurvandam, donec ipſa ejusve tangens in A, puta AB, directioni ponderis AZ normalis fiat, acquiret concava laminæ ſuperficies RQA curvaturam quam conſtruximus; cui convexa SyV parallela eſt, & evolutione curvæ ejusdem mnt *condeſcribitur.* Quantum autem ad hoc præſtandum requiratur ponderis, ſic cognoſces: Ponatur vectis SRZ, cujus fulcrum R, brachium longius RZ = BA, brevius æquale craſſitiei laminæ RS, cui affixa ſit portio quæpiam datæ laminæ SY, firmata in XY; quo facto ſi longiori vectis extremitati adjiciatur pondus Z, quod extendere poſſit dictam portionem per Triangulum RST, fibram ſcil. XS per ST, xs per st, reliquasque proportionaliter, ita quidem ut ST ſit ad BC, ſicut SY ▭lum ſub longitudine & craſſitie portionis laminæ ad ſpatium ABC, erit id ipſum quoque pondus quæſitum.

Schol. & Coroll. 1. Si Lamina inflexa RQA loco puncti R firmetur alicubi in Q, reſecta portione RQ, ſervabit reliqua ab eadem potentia inflexa eandem curvaturam AQ.

2. Quin & ſi Curva RQA, rotata circa RZ, genuerit a parte oppoſita aliam Rq ſimilem & eandem ſecum, ſed inverſe poſitam, & lamina cogitatione producta ac loco puncti R in q firmata fuerit, retinebit aucta & eadem potentia compreſſa eandem curvaturam AQRq.

3. Porro ſi ſegmentum quodvis curvæ AQ rotatum circa rectam Qn ipſi normalem in Q, producat in parte oppoſita ſimile & æquale ſegmentum Qa, formabunt ambo ſegmenta AQa *Arcum* proprie dictum, qui poſito retinaculo in Q tenditur a duabus potentiis, extremitati utrique ad rectos applicatis, & ſingulis ipſi Z æqualibus. Idem intellige de Arcubus formatis rotatione Curvæ integræ AQR, vel auctæ portione Rq, circa rectam eidem in R vel q normalem; unde triplex habetur Arcus: Diminutus, Plenus, Auctus. *Diminutus*, quem formant duo ſegmenta minora Curva AQR: *Plenus*, quem æqualia: *Auctus*, quem majora; & hoc diſcrimine cognoſcuntur, quod rectæ tangentes utramque extremitatem arcus diminuti ad partes ejus convexas, aucti ad concavas, pleni ad neutras inclinant, ſed ſibi mutuo parallelæ ſunt.

4. Ea-

Digitized by Google

4. Eadem quoque curvatura AQ gaudere conſentaneum eſt *Aſſulas* illas, ex quibus Dolia conſiunt: unde ſequitur, neminem Doliorum capacitatem, quæ vulgo pro Sphæroidibus Ellipticis habentur, rite menſuraſſe; cum nulla ratione aſſeratur, aſſeres hoſce curvari in Ellipſes.

5. Si directio ponderis vel cujusvis potentiæ inflectentis, ad Laminam, ejusve tangentem in puncto appenſionis ſit obliqua, naſcetur Curva paululum diverſa ab AQR, quam tamen eadem facilitate determinare poſſum. Sed nolo nimium evagari.

6. Rectangulum ſub radio circuli oſculantis Laminam Qn, & reſpondente applicata EF, æquatur conſtanti ſpatio ABC = AD. Hinc dicti radii reſpectivis applicatis reciproce proportionantur; & cum iidem quoque linearum curvedines reciproce menſurent, erunt curvedines inflexæ laminæ AQR reſpectivis EF directe proportionales: quapropter in A puncto applicatæ potentiæ curvedo nulla eſt (quod alias in puncto Flexus contrarii fieri conſuevit,) hinc eo major, quo remotior unaquæque portio laminæ a linea directionis potentiæ: maxima eſt in R, unde iterum verſus q decreſcit, &c: ſaltem ſi cum viribus tendentibus AE ſimul quoque creſcant tenſiones EF; quo quidem nihil univerſalius verum exiſtit.

7. Idcirco data lege tenſionum, invenire Curvam Elaſticam, in abſtracta Geometria aliud nihil eſt, quam data Curva AFC reperire aliam AQR, in qua radii circulorum oſculantium reciproce proportionentur reſpectivis applicatis alterius. Facillima autem eſt converſa hujus: Data Curva Elaſtica una cum radiis circulorum eam oſculantium, invenire legem tenſionum, quam natura in ejus productione obſervat: utpote ad quem effectum tantum requiritur, ut tertia proportionalis ad radium Qn, & conſtantem quandam AG axi AB reſpective applicetur, ad habendam ſtatim EF.

Conſectantur hinc Theoremata quædam univerſalia prorſus nova. Nam

8. In omni Curva AQR, ſumma tertiarum proportionalium ad radios circulorum oſculantium & conſtantem quandam rectam AG, applicatarum ad axem Curvæ AB, efficit ſpatium quodpiam ABC = ▭lo ſub una applicatarum EF & reſpectivo circuli oſculantis radio Qn = □to A G. Quod ipſum quoque per initio demonſtra-

 tum

tum Theorema evincitur: Sit enim $AE = x$, $EQ = y$, $AQ = s$, $AG = a$; erit per memoratum Theorema $Qn = \frac{dxds}{ddy}$, tertia proportionalis ad hanc & AG, nempe $EF = \frac{aaddy}{dxds}$, quæ ducta in dx gignit differentiale ſpatii ABC $\frac{aaddy}{ds}$, cujus proin integrale $\frac{aady}{ds}$ efficit indefinite ſpatium AEF; eſt vero pro ſpatio toto ABC, $\frac{aady}{ds}$ $=$ (ob $dy = ds$ in extremitate R) $aa =$ EF in Qn.

9. Sed & ſpatium quodvis intermedium FEef, duabus applicatis EF,ef, interceptum, æquale ▭lo ſub AG ceu ſinu toto, & differentia ſinuum duorum angulorum, quos tangentes rectæ Qp, rd, in punctis Curvæ Q & r, ad axem AB conſtituunt.

10. Iisdem poſitis quæ prius, Tangens Qp eſt ad ſubtangentem pP, ut ſpatium ABC ad ſpatium AEF; cum enim ſpatium AEF repertum ſit $\frac{aady}{ds}$, erit ds ad dy, h.e. Qp ad pP, ſicut aa, h. e. ABC ad AEF.

11. Quin etiam Qp, pP, PQ, proportionales ſunt ipſis AK, AI, IK, vel MG,MA,AG; ſimiliaque ſunt △la QpP,KAI & GMA.

12. Quod ſi dictæ tertiæ proportionales ad radios circulorum oſculantium & conſtantem AG, applicentur ad axem alterum curvæ AZ, naſcetur ſpatium AγcZA = ABCFA = AD Sed AEF. APγ :: ut pP, ad differentiam reliquorum laterum △li QpP.

13. Si punctum h ſit in Cauſtica Elaſticæ ex radiis ipſi PQ vel AB parallelis, producaturque radius circuli oſculatoris Qn in b, ad occurſum ipſi AZ; erit Qn ad Qb :: ut Spat. AEF ad circumſcriptum ▭lum :: ut Qh ad $\frac{1}{2}$ QP.

14. Ut radius AG, ad arcum circuli GK: ſic laminæ craſſities RS vel AV ad exceſſum longitudinis convexæ yV ſupra concavam QA: unde exceſſus iſte arcui GK proportionalis.

15. Quo-

Digitized by Google

15. Quoties Curva Elaſtica AQR eſt ex numero Geometricarum, h. e. Algebraicarum (ſic enim illas poſthac appellabo in honorem *Viri Celeberrimi*, qui hoc nomine deſignatas cupit,) Curva quoque Tenſionum AFC eſt Algebraica, & ſimul ſpatium ABC quadrabile: ſed non viciſſim.

16. Si Curva Tenſionum AFC eſt Algebraica, & ſpatium ABC quadrabile, Elaſtica AQR nunc eſt Algebraica, & ſpatium ABC quadrabile, Elaſtica AQR nunc eſt Algebraica, nunc Mechanica. Algebraica, ſi inſuper curvilineum AEN quadrabile: Mechanica, ſi ſecus. Quod ſi Curva AFC ſit quidem Algebraica, at non contineat ſpatium quadrabile, altera AQR non alia eſt, quam Mechanica ſecundi generis, h. e. quæ ad ſui conſtructionem ſupponit quadraturam ſpatii mechanici primi generis (niſi forte quadraturæ ſpatiorum AEF & AEN a ſe mutuo dependeant, quo caſu Elaſtica non niſi primi generis Mechanica eſt.)

II. *Specialius:* Si Curva Tenſionum AFC ſit Paraboloides cujusvis gradus, h. e. ſi Tenſiones EF ſint in quacunque ratione multiplicata ſeu ſubmultiplicata virium tendentium AE (pro cujus rationis indice pono m) conſtructio Curvæ Elaſticæ ſic contrahetur: Facto ſuper A quadrante Circuli ABi, capiatur in ejus radio Ag, quæ ſit ad AB & AE eo ordine proportionalis, quem indicat numerus $m+2$, indeque excitata perpendiculari gl, junctaque lA eique facta parallela iu, applicetur in E recta EN = Au; ſic naſcitur curvilineum AEN, cui ſi fiat æquale ▭lum AO (poſtquam AG æqualis ſumpta fuerit ipſi AB) productis OP, FE, habebitur in optata curva punctum Q. Quod pondus Z ſpectat, cujus ope Laminæ Elaſticæ hæc curvatura inducatur, tantum in A appendendum eſt, quantum poſſit in diſtantia RZ vel AB extendere fruſtum Laminæ SY per Triangulum RST, quousque ſcil. Rectangulum ſub RZ & ST ad Rectangulum SY fiat, ſicut $m+1$ ad unitatem.

Schol. & Coroll. 1. Tangens Qp eſt ad ſubtangentem pP, ſicut recta AB ad nuper acceptam Ag.

2. Recta Qb Curvæ perpendicularis, quarta eſt proportionalis ad tres Ag, AE, & AB.

3. Radius oſculantis circuli Qn ad totam perpendicularem Qb (& proinde quoque Rm ad RZ) eſt, ſicut 1 ad $m+1$.

4. Et radius reflexus Qh ad incidentem PQ, ut 1 ad 2 $m + 2$.

5. Si ſit Curva interminata Rβ, talis, ut applicata ei recta βQP ubique ſit tertia proportionalis ad AE & AB, erit curvilineum AZR$\beta\alpha$A ad quadrantem ABi, ut & pars AP$\beta\alpha$A ad ſectorem Ali; ſicut 2 ad $m + 1$.

6. Radius quadrantis Ai ad arcum il eſt, ſicut Laminæ craſſities RS vel AV ad exceſſum, quo convexa ejus longitudo yV ſuperat concavam QA.

7. Ex infinitis Paraboloidibus (qualium AFC hic una fingitur, quæque pro curva tenſionum poſſunt accipi,) una ſola eſt, quæ curvam Laminæ AQR reddit Algebraicam: una ſola, quæ ſpatium ejus efficit quadrabile: quamvis nec hæ ipſæ proprie Paraboloidum nomen mereantur. Nam *1.* ſi $m = o$, ſive, ſi tenſiones ſint in ratione, ut ſic dicam, nulliplicata virium tendentium, h. e. ſi EF, BC ſint æquales, & Paraboloides ABC degeneret in Parallelogrammum, Curva Laminæ abibit in Circulum; prout evidens admodum eſt, cum ob tenſionum æqualitatem nulla ratio ſit, cur majorem minoremve curvedinem in una, quam in altera parte induat. 2. ſi $m = -\frac{1}{2}$, id eſt, ob indicem negativum, ſi tenſiones ponantur in ratione ſubduplicatæ reciproca virium tendentium (quo caſu Curva AFC verius eſt hyperboloides) naſcetur Curva Laminæ rectificabilis; tota quippe AQR dupla rectæ AB, ſicut portio ejus RQ dupla mediæ proportionalis inter AB & BE. At talis hypotheſis, qua creſcente vi tendente minuatur tenſio, & decreſcente augeatur, naturæ legibus & conſuetudini ubique adverſatur. *3.* ſi denique $m = 1$, quæ vulgo recepta eſt hypotheſis, h. e. ſi tenſiones ſint in ſimplici ratione virium (quo caſu curvilineum ABC abit in Δlum) complectetur ſic curvata Lamina ſpatium quadrabile. De hoc verò nunc fuſius.

III. *Specialiſſime:* Vulgaris (ut modo dixi) eſt hypotheſis, ***extenſiones viribus tendentibus proportionales eſſe:*** qua & uſus olim Celebertimus Dn. ***Leibnitius*** in acutiſſima ſua lucubratione de ***Reſiſtentia ſolidorum;*** & ipſemet ego in præſente materia, priusquam generalem Problematis conſtructionem adinveniſſem. Quapropter operæ pretium exiſtimo, naturam & proprietates Curvæ noſtræ in hac hypotheſi paulo ſpecialius exponere: quanquam pro ipſa hypotheſeos hujus, ſicut & pro cujusvis alterius, veritate multum militare nolim,

per-

perſuaſum potius habens, nullam conſtantem tenſionum legem in natura obſervari, ſed eam pro diverſa corporum textura diverſam exiſtere; id quod experimenta tum noſtra tum aliorum abunde confirmare videntur, quorum plurima prælaudatus *Autbor* induſtrius *Magiſterii naturæ & artis, loco cit.* recenſet.

Conſtr. Per punctum E ſumptum ubivis in radio AB circuli TAB. VI.
BiGL agantur recta Ei & radio perpendicularis EF, e qua producta Fig.III.
(ſi opus) abſcindatur EN, quæ ſit ad AB, ſicut □tum AE ad ▭lum FEI (quod fieri poteſt per generalem conſtructionem, ſumendo Ag tertiam proportionalem ad AB & AE, & ducendo gl, Al & huic parallelam iu: vel ſi videatur commodius, ducendo Ff parallelam AB & ſecantem Ei in f, junctaque fA agendo parallelam ac, abſcindentem ex Ei partem Ea = EA; utrovis enim modo repertæ Au vel Ec ſumenda æqualis EN) ſic erit punctum N ad curvam AN claudentem ſpatium AEN; cui ſi porro ad radium AG conſtituatur æquale ▭lum AO, & producantur NE, OP, ad mutuum occurſum in Q, erit punctum Q in curvatura optata AQR; ad quam inducendam Laminæ tantum ei in A pondus appendendum, quanto poſſit (in fig. 2) extendi SY donec ▭RZ, ST, fuerit duplum ▭li SY. Sic ut pateat, eam non ſecus atque catenariam tranſcendentem eſſe, & ad ſui conſtructionem quadraturam ſpatii curvilinei requirere: Celeberrimus Dn. *Leibnitius* ingenioſiſſimum modum præſcribit, conſtruendi Catenariam ope ſolius Logarithmicæ abſque ſuppoſitione quadraturarum, eoq; ſane perfectiſſimum in Tranſcendentibus conſtruendi genus exhibet: dolendum tantum quod non ſit univerſale; nec enim ſuccedit in iis curvis, quæ ad ſui conſtructionem Circuli quadraturam requirunt; plurimæque dantur aliæ, quæ mechanicæ cum ſint, nec tamen a Circuli nec ab Hyperbolæ tetragoniſmo (h. e. a Logarithmicæ deſcriptione) dependent; Poteſt vero certo charactere cognoſci, utrum Curva aliqua Mechanica ope Logarithmicæ conſtrui poſſit, necne. Poſita enim Æquatione differentiali curvæ $ady = tdx$ (ubi dx & dy elementa coordinatarum deſignant, a quantitatem conſtantem, t quantitatem aliam quamcunque, quam ex indeterminatis ſola x ingrediatur) dico, ſi qua arte reperiri poſſit Curva Algebraica, cujus x abſciſſam denotet, cujusq; ſubtangens tertia ſit proportionalis ad t & a, certo ſecuturum, curvam optatam ope Logarithmicæ conſtrui-

ſtruibilem eſſe; cum ad hoc præſtandum nihil aliud requiratur, quam ut ſingulis applicatis curvæ Algebraicæ ſumantur æquales applicatæ in Logarithmica (cujus ſubtangens ſit $= a$), & ex iis (productis, ſi opus) reſecentur ſingulæ abſciſſæ, ad habendum totidem puncta, per quæ optata Curva tranſire debet: quod ſi vero nulla detur Curva ex Algebraicarum numero, cujus ſubtangens dictam tertiam proportionalem æquet, fruſtra quoque quis conſtructionem imperatam ſolius ope Logarithmicæ molietur. Quocirca ſi in noſtra Curva (cujus Æquatio differentialis eſt $dy = \frac{xxdx}{\sqrt{a^4 - x^4}}$) præſtandum eſſet, quod *Acutiſſimus Geometra* præſtitit in Funicularia, indagandum prius foret, num Curva quædam detur Algebraica, quæ ſubtangentem habeat $= \frac{a\sqrt{a^4 - x^4}}{xx}$: quod aliis indagandum relinquo, ut leve habeant ſpecimen, quo univerſales ſuas, quas jactant, tangentium methodos inverſas explorent. Ego ob graves cauſas ſuſpicor, Curvæ noſtræ conſtructionem, a nullius Sectionis Conicæ ſeu quadratura ſeu rectificatione dependere. Sed pergo ad ejus præcipuas affectiones:

1. Ducta Tangente Qp, erit ſubtangens Pp quarta proportionalis ad AB, AE & EN. Ipſa vero EN 4ta proport. ad AB, AE & tangentem Qp: ideoque

2. Inter Tangentem Qp & ſubtangentem Pp media eſt proportionalis EN. Hinc Pp. Qq :: AEq (QPp) ABq :: Ag. AB. Et hæc eſt proprietas characteriſtica Curvæ, quam texi involucro *m. Jun.* 1691, cujus ſenſus hic eſt: ***Portio axis applicatam inter & tangentem eſt ad ipſam tangentem, ſicut quadratum applicatæ ad conſtans quoddam ſpatium.*** Logogriphi tunc adhibiti ratio conſiſtit in tribus alphabetis vicariis, ex quibus literæ alternatim deſumtæ ſunt: eadem vero ad alphabetum naturale ita referuntur, ut hujus literæ a, reſpondeat vicarii primi b, ſecundi d, tertii g; cæteris elementis ordine continuo ſuccedentibus. Id quod ipſum Logogriphum tentanti ex retecta, quam involvit, propoſitione, obſcurum eſſe non poteſt.

3. Spatium Elaſticum RQPZ æquale ſemiſſi ▭li FEI, idemque proportionale rectæ gl: totum ergo ſpatium AQRZA æquatur ſemiquadrato ex AB.

4. Cur-

4. Curvedines inflexæ Laminæ in R, Q, ſunt proportionales applicatis RZ, QP.

5. Recta Qb curvæ perpendicularis tertia eſt proportionalis ad AE & AB.

6. Ejusque ſemisſis eſt radius oſculantis circuli Qn. Ambæ ergo ad AB applicatæ Hyperbolas efficiunt.

7. Recta Rm ſumpta ad principium usque curvæ mn, e cujus evolutione principalis deſcribitur, æquatur ſemiſſi ipſius RZ vel AB.

8. Ipſa vero curva mn quarta eſt proportionalis ad AE, EB & ſemiſſem AB.

9. Si ex radio reflexo incidentis QP abſcindatur Qh, quarta pars ipſius QP, erit punctum h in Cauſtica ex radiis ipſi AB parallelis; ſic ut cauſtica Ah æquetur $\frac{5}{4}$ AE.

10. Spatium quoque Cauſticum AhrZA amittit quadraturam; quippe æquale $\frac{7}{8}$ ſpatii Elaſtici AQRZA, h. e. $\frac{7}{16}$ quadrati ex AB.

11. Spatium vero ab Evoluta mn comprehenſum a quadratura hyperbolæ dependet. Poſito enim ABq = 8, applicataque nx, quæ ſit ad mZ, ſicut 2 ad $\sqrt{5}$, exprimetur ſpatium mnxZ per ſeriem (alias ſpatium hyperbolicum, ut vulgo notum, deſignantem) $\frac{1}{1} - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4} + \frac{1}{5} - \frac{1}{6}$. &c. diminutam $\frac{3}{5}$ unitatis. Nota, ſpatium ntbx infinitum eſſe.

12. Omnes portiunculæ Curvæ AQ ductæ in reſpectivas applicatas QP, vel AE, aut (quod unum idemque) omnes hujus particulæ in tangentes reſpectivas Qp, ſpatium conficiunt quod Sectori Circuli Ali æquatur: nimirum, ſi radius circuli AB ſit 1, ejusque portio Aq intercepta centro A ductaque recta lL dicatur t, utrum libet ſpatium exprimetur per ſeriem: $t - \frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5 - \frac{1}{7}t^7 + \frac{1}{9}t^9$, &c.

13. Hinc Sector Ali ad Curvam AQ adplicatus, producit diſtantiam Centri gravitatis Curvæ ab axe AP. Et ſuperficies Conoidis geniti rotatione curvæ AQ circa axem AP, ad Sectorem Ali ſe habet, ut circumferentia circuli ad radium, h. e. æquatur arcui li ducto in ſemipeਰipheriam iGL.

14. Diſtantia Centri, ex gr. ſpatii Elaſtici AQP, ab axe AB invenitur; ſi triens cubi rectæ AE, mulctatus ſolido ſub tribus EF, Ei & AP comprehenſo, adplicetur ad quadratum AB, truncatum rectangulo FEi.

 Ejus-

Ejuſdem vero diſtantia ab AP habetur, ſi triens ſolidi ſub curva AQ & □to AB, mulctatus ſolido ſub tribus EF, Ei, EA comprehenſo, adplicetur ut ante. Idcirco totius ſpatii AQRZA centrum ex.gr. ab axe AB diſtat triente rectæ AB; & ab AZ triente curvæ AQR. Hinc menſurantur ſolida nata ex converſione figuræ tam circa rectam AB quam AZ.

15. Ipſa vero Curva AQ reperitur, ſi deſcripta hyperbola æquilatera ids, cujus centrum A, & ſemilatus transverſum Ai, Triplum ſolidum quod fit ex ductu fruſti hyperbolici AidE in ſegmentum circuli Ai FE, multatum ſolido comprehenſo ſub tribus EF, Ed vel Ei, & EA, adplicari intelligitur ad duplum □tum ex AB.

16. Series etiam noſtræ inventionis utiliter adhiberi poſſunt, cum aliæ difficulter hic locum inveniant: Sic poſita AB ejusve quadrato 1, exprimi poteſt quantitas ſpatii sBAN, rectæve AZ vel BR per ſeriem

$$\frac{1}{3} + \frac{1}{2,7} + \frac{1.3}{2.4,11} + \frac{1.3.5}{2.4.6,15} + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8,19} + \frac{1.3.5.7.9}{2.4.6.8.10,23} \ \&c.$$

quantitas vero Curvæ AQR per hanc

$$1 + \frac{1}{2,5} + \frac{1.3.}{2.4,9} + \frac{1.3.5}{2.4.6,13} + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8,17} + \frac{1.3.5.7.9}{2.4.6.8.10,21} \ \&c.$$

quarum illam invenio $>$ quam 0.598, & $<$ quam 0.601: hanc $>$ quam 1.308, & $<$ quam 1.316; ſic ut tres iſtæ lineæ RZ, AZ, AQR, proxime ſe habeant ut 10. 6. 13. Hujusmodi autem ſeries, quæ diverſæ paulo ſunt naturæ ab iis, quas Celeb. Geometra *Leibnitius* hinc inde in *Actis* prodidit, & conſtructu ſunt facillimæ, & ad exprimendas quasvis promiſcue quantitates, rationales, irrationales & tranſcendentes pariter accommodæ. Pro reliquis *Vir eximius* ſuperiori anno methodum ingenioſiſſimam profecto & Auctore ſuo dignisſimam præſcripſit, ut nihil in hoc genere excellentius excogitari poſſe exiſtimem.

17. Figura Elaſtica ARZ mota in fluido ſecundum directionem AZ, præcedente nunc vertice A, nunc baſe RZ, reſiſtentias patitur quæ ad ſe invicem ſunt ut 4 & 5: ſed mota juxta directionem RZ, præeunte jam vertice R, jam baſe AZ, reſiſtentias ſubit ſe habentes ut 3 & 5; ideoque

ideoque reſiſtentiæ, quas figura patitur mota ſucceſſive juxta utramque directionem, præeunte utrobique vertice, ſe habent ut quadrupla RZ & tripla AZ.

18. Supereſt una ex palmariis proprietatibus Curvæ noſtræ tertiæ conſtructionis, quam antehac ſupremis tantum labris tetigi, quæ eſt quod eadem una repræſentet Curvaturam Lintei a pondere infuſi liquoris expanſi: Nimirum, erecto verticaliter ſuper BR plano ARΦ, rectaque AΦ horizontaliter conſtituta, ſi Lamina elaſtica AQR (continuata, ſi vis, ab altera parte usque in Φ) ſenſim derigeſcere, & in omnibus ſuis partibus flexilis fieri intelligatur ad inſtar Corii, Linteive, quod affixum hinc inde in punctis A & Φ, intra ſe velut culeum contineat liquorem aliquem, qui totam ejus cavitatem ARΦ repleat: dico futurum, ut linteum pondere fluidi expanſum eandem curvaturam AQR retineat, aut ſi non habeat, acquirat; cujus aſſerti veritatem etiam non conſiderata in ſpecie natura curvæ AQR facile demonſtrare poſſem. Sed ſuffecerit attigiſſe ſequentia: α. Si loco rectæ RZ concipiatur firmus paries, qui affixam habeat unam lintei extremitatem in R, portioque lintei RQ a pariete & portione reliqua ſubito abrumpi intelligatur, excutietur hæc portio a pondere incluſi fluidi juxta eam directionem, quæ cum pariete RZ angulum faciat, cujus tangens ſit ad ſinum totum, ſicut EF eſt ad Ei. Hinc totum linteum, diſruptis ſubito in A & R vinculis, excutitur juxta angulum ſemirectum. β. Si ex AB abſcindatur $A\sigma$, quæ ad AB ſit ut 1 ad $\sqrt{2}$, & applicetur $\sigma\varrho$, erit per ϱ ducta recta ſemirectum cum pariete angulum conſtituens, & curvæ perpendicularis, & linea directionis totius lintei, & ſimul axis æquilibrii impulſionum: at non tranſibit per concurſum rectarum AB, RB, lintei extremitates A & R tangentium; uti nec in Velaria id contingere exiſtimandum eſt, (cum ſecus Curvæ hæ ex Algebraicarum deberent eſſe numero, ut attendenti ſatis patet) quanquam hoc olim incogitanti mihi & certis tum de cauſis feſtinanti inter alias Regulas, quas biennio abhinc de Curvatura veli dedi, exciderit. Quocirca rogandus Lector ut Regulam 15 deleat, lacunamque ſi velit impleat alio modo facillimo, axem æquilibrii in Velaria inveniendi, np. faciendo BD (vid. fig. 2, ibid.) æqualem & parallelam ipſi CH, ducendoque DF parallelem HB, quæ erit quæſitus æquilibrii axis, fietque ſponte BG = BD vel CH. γ. Vis ponderis impellens lin-

Mm 2 teum

teum AQR juxta dictam directionem, ad pondus ejus abſolutum ſe habet ut $\sqrt{2}$ ad 1. δ. Vis lintei ſuſtinens ſeu firmitas ejus requiſita ne rumpatur, in omnibus ejus punctis eadem eſt, & tanta, quanta requiritur in A ad ſuſtinendum linteum ne labatur; atque æquatur ipſi abſoluto ponderi liquoris incluſi; linteum igitur æquabilis texturæ æqualiter reſiſtit prementi fluido, ſecus ac lamina inflexa, quæ in partibus ipſi R propinquioribus debilior eſt quam in cæteris. ε. Tandem & hoc addamus, quod inter omnes figuras iſoperimetras, eidem rectæ AΦ inſiſtentes, Elaſtica ARΦ illa eſt, quæ habet centrum ſuum gravitatis longiſsime remotum ab AΦ: ſicuti Funicularia eſt illa, in qua centrum gravitatis ipſius curvæ ab eadem maxime diſtat. Notare igitur hic convenit affinitatem miram, quæ ab una parte Funiculariæ & Velariæ, ab altera Elaſticæ & Curvæ Lintei ab incluſo liquore expanſi intercedit.

Superesſet nunc, ut retenta vulgari extenſionum hypotheſi ſpeculationes noſtras promoveremus ulterius, indagando quales Curvæ prodeant, ſi Lamina Elaſtica proprio pondere abſque appenſo onere flectatur: Si flectatur ab utroque ſimul: Si non ſit uniformis craſſitiei aut latitudinis, ſed ex. gr. triangularis aut alterius cujusvis figuræ; & vis flectens applicata tum in cuſpide tum in baſi ejus: nec non qualem Lamina curvaturam habere debeat, ut ab appenſo onere, vel proprio pondere, vel ab utroque ſimul in rectam extendatur (quod uſui veniret in attemperandis brachiis bilancium & ſtaterarum, ubi requiritur ut centra motus & appenſionum jaceant in directum:) item, qualis figura danda laminæ, ut per inflexionem acquirat datam curvaturam; & mille ejusmodi alia. Quarum Curvarum omnium proprietates characteriſticas, & aliquarum etiam conſtructiones exhibere poſſum, quas ſecundi tertiive generis Mechanicas eſſe deprehendo. Sed pleraque nondum digeſſi, nec uni vacat agere omnia. Præterea & Lectorum noſtrorum induſtriæ quædam relinquenda videntur, quibus hinc ampla occaſio inventum noſtrum perficiendi ſuppeditatur.

JAC. B. SOLUTIO PROBLEMATIS LEIBnitiani de Curva Acceſſus & Receſſus æquabilis a puncto dato, mediante rectificatione Curvæ Elaſticæ.

Feli-

Digitized by Google

FElicitatem inventi præcedentis commendare poteſt ſolutio elegantisſimi Problematis *Leibnitiani*, de invenienda *Linea, per quam deſcendens grave æqualiter æqualibus temporibus a dato puncto recedat, vel ad illud accedat:* quod laudatiſſimo ſuo Auctori ita placuit, ut non tantum ad ejus tentamen Amicos pariter & Adverſarios aliquoties in *Actis* provocarit (vid. *Anno 1689, Apr. p. 198, & 1690. Maj. p. 229, & Jul. p. 360.*) ſed & ipſe quoque ſtrenue in illo deſudarit, teſtibus nonnullis Curvæ proprietatibus, quas *Gallorum Diario* inſeri curavit, ut ex relatione *Fratris* habeo, qui tamen illas nominare mihi non potuit. Multus etiam in eodem fuit ipſe *Frater*, dum Pariſiis ageret, ſed omni ſua methodo Tangentium inverſa aliud nil effecit, quam ut Problema ad hanc æquationem differentialem reduceret: $\overline{xdx}+\overline{ydy}\sqrt{y}=\overline{xdy}-\overline{ydx}\sqrt{a}$, ad quam tamen etiam nullo labore pervenitur. Plenariam vero illius ſolutionem, ſive conſtructionem, nec ipſe nec quisquam alius dare potuit. Nuper cum præcedens Schediaſma pararem Lipſiam, partemque inventi cum figuris ipſis jamjam chartæ conſignaſſem, ſcrutinium hujus Lineæ ſuſcepi occaſione novorum Theorematum, quæ ibi dedi pro Radiis circulorum oſculantium in Spiralibus (quorum tamen inveſtigatio & ipſa incidenter tantum fiebat; præcipua enim inventi capita ſub calamo demum mihi naſcebantur) mox etiam poſt pauca conamina optatum finem conſecutus ſum; ubi hoc perquam ſingulare mihi accidit, ut abſoluta analyſi animadverterem, Curvam Elaſticam, quæ qualemcunque tantum occaſionem huic tentamini dederat, illam ipſam eſſe, cujus rectificatione altera poſſet conſtrui. Nam quanquam idem liceat exequi mediante quadratura ſpatii alicujus Algebraici, alterum tamen conſtruendi modum præferendum cenſeo, tum quod generaliter facilius in praxi rectificentur curvæ, quam quadrentur ſpatia, tum præſertim quod ipſa natura (ſi quidem convenientem tenſionis legem obſervet) illum præſcripſiſſe videatur.

Conſtr. Deſcripta itaque Curva Elaſtica tertiæ conſtructionis (Fig. 3) cæterisque poſitis ut prius, applicetur in utroque quadrante circuli BL, LG, recta Eζ æqualis ipſi Ag ſeu tertiæ proportionali ad AB & AE (hic in dextro tantum quadrante ducta apparet, ut linearum confuſio vitetur) & ex ducta Aε (productaque ſi ſit opus) abſcindatur Aα æqualis tertiæ proportionali ad rectam AB & portio-

nem Curvæ AQ in ſiniſtro, vel ΦRQ in dextro quadrante; eritque punctum α in Curva quadam $A\kappa\omega\eta$, ita comparata, ut grave per illam latum (ſi prius ex altitudine iA deciderit) æqualibus temporibus æqualiter ad punctum A accedat, aut ab illo recedat. Cujus conſtructionis demonſtrationem (ut *Celeb. Problematis Auctorem*, aliis occupatisſimum, examinandi labore ſublevem) hic appono:

Dem. Deſcriptus intelligatur centro A arculus $\beta\delta$, abſcindens ex applicata $A\alpha$ Elementum $\alpha\beta$, & ex Curva Elem. $\alpha\delta$, cui concipiatur in vertice portiuncula iſochronos $A\varpi$. Jam Ratio $\beta\delta$ ad $\alpha\beta$ compoſita eſt ex ſequentibus 5 rationibus:

$\beta\delta$. Elem. periph. $B\varepsilon$ :: $A\alpha$. $A\varepsilon$.

Elem. periph. BE. Elem. $\varepsilon\zeta$ :: $A\varepsilon$. $A\zeta$, ex natura Circuli.

Elem. $\varepsilon\zeta$. Elem. AE :: 2AE.AB, per conſtr. & princ. calcul. in fin. parvorum.

Elem. AE. Elem. AQ (ΦRQ) :: $A\zeta$.AB, ex nat. curvæ AQ, ut collig. ex coroll. 2. conſtructionis tertiæ præced.

Elem. AQ (ΦRQ) $\alpha\beta$ :: AB. 2AQ (2ΦRQ) per conſtr. & princ. calc. inf. parv.

unde facta diviſione per communes rationum antecedentes & conſequentes, $\beta\delta.\alpha\beta$ :: $A\alpha$.AB + AE. AQ (ΦRQ,) & $\beta\delta$q. $\alpha\beta$q :: $A\alpha$q. ABq + AEq. AQq vel ΦRQq ($\varepsilon\zeta$. $A\alpha$. per conſtr.) :: $A\alpha$q, $\varepsilon\zeta$. ABq, $A\alpha$ :: $A\alpha$, $\varepsilon\zeta$. ABQ :: $A\varepsilon$, $\alpha\gamma$ (ob ſimil. Δrum $A\alpha\gamma$, $A\varepsilon\zeta$) ABq :: $\alpha\gamma$. AB (Ai.) Componendoque $\alpha\delta$q. $\alpha\beta$q :: $\alpha\gamma$ + Ai. Ai; proinde & $\alpha\delta$. $\alpha\beta$ :: $\surd\alpha\gamma$ + Ai. $\surd$Ai :: celeritas acquiſita in α. celer. acquis. in A (ex natura deſcenſus gravium) :: $\alpha\delta$. $A\varpi$ (per hyp. quia æqualibus tempuſculis tranſiri ſupponuntur.) Ergo $\alpha\beta = A\varpi$. Ergo grave per hanc Curvam latum æqualiter æqualibus temporibus a puncto A recedit. Q.E.D.

Quæ hic præcipue obſervanda veniunt, ſunt ſequentia:

1. Si grave altius vel humilius, quam ex i, decidere ſupponatur, puta ex τ, non opus eſt nova Elaſtica. Sufficit hæc una omnibus Curvis Iſochronis deſcribendis: omnes enim inter ſe ſimiles ſunt, determinanturque, faciendo tantum, ut Ai ad $A\tau$, ſic $A\alpha$ ad aliam $A\alpha$ abſcindendam ex eadem $A\varepsilon$. Eſtque ipſa Curva ſchematis noſtri conſtructa pro gravi tanquam ex τ, non i, decidente.

2. Sed & infinitæ dantur aliæ, quas grave ex eadem altitudine

ne τA delapſum ita permeare poteſt, ut æquabiliter ad punctum aliquod accedat vel recedat; at illud continuo diverſum ab A; nec niſi per unicam curvam ex eadem altitudine reſpectu ejusdem puncti acceſſus vel receſſus æquabilis effici poteſt.

3. Curva noſtra Iſochronos initium capit in ipſo puncto A, cujus reſpectu motus æquabilis eſt, & terminatur in puncto η ejusdem cum illo altitudinis; utraque vero extremitate tangit horizontalem rectam Aη. Unde flexum contrarium habere conſtat. Quod ſi ex altera parte ſtatuatur huic ſimilis & æqualis curva A$\lambda\theta\psi$, & grave demittatur ex η cum celeritate, quam acquirere poteſt cadendo ex altitudine æquali ipſi τA, illud primo deſcendendo ad ω, mox reaſcendendo, æquabiliter ad A accedet, indeque pergendo continue per alteram A$\lambda\theta\psi$ ab eodem puncto A eadem ratione elongabitur.

4. Tangens Curvæ in locis intermediis, velut α, reperitur, ſi ducta Aμ perpendiculari ad Aα, fiat, ut $\sqrt{A\tau}$ ad $\sqrt{\alpha\gamma}$; ita Aα ad Aμ; ducta enim $\alpha\mu$ curvam tanget: quod vel ex uſu, quem præſtare debet curva, facile infertur.

5. Recta Aη quadrupla eſt rectæ Aθ.

6. Si in Elaſtica punctum Q aſſumatur tale, ut tertia proportionalis ad ſubtangentem Pp & rectam AB æquetur curvæ AQ, invenietur ejus ope punctum χ portionis A$\chi\theta$, quod omnium maxime diſtat a perpendiculari Aθ.

7. Sin punctum Q ponatur tale, ut tangens Qp æquetur curvæ ΦRQ, illo mediante habebitur in altera punctum ω, omnium infimum & remotisſimum ab horizantali Aη.

8. Tandem & hoc advertendum eſt, quod ex propoſiti Problematis conſtructione proclive jam colligere ſit, quales ſuppoſitiones faciendæ, ad reducendā æquationem: $\overline{xdx+ydy}\sqrt{y} = \overline{xdy-ydx}\sqrt{a}$. Nam ſi loco x & y aſſumantur duæ aliæ indeterminatæ t & z, ponendo $ay = tz$, & $ax = t\sqrt{aa-zz}$; prodibit æquatio, in qua ſeparari poſſunt indeterminatæ t & z cum ſuis differentialibus a ſe invicem; quod ſufficit ad conſtructionem deinde, ſaltem per quadraturas, expediendam. Duo enim in hoc calculo adhuc præcipue deſiderari videntur, quæ ſi ſemper fieri poſſent, omnia reperta eſſent; unum ut differentialia ſecundi altiorumve generum ad differentialia primi reducantur; alterum, ut in æquationibus differentialibus primi gene-

Digitized by Google

generis indeterminatæ, ſi invicē permixtæ ſint, a ſe mutuo ſeparentur, ut unaquæque cum ſua differentiali peculiarem æquationis partem conſtituat, h.e. ut reperiatur methodus inverſa tangentium. Pro utroq; dedi Regulas quaſdā (pluresq; ſine fine dare poſſem) ſimiles illis, quas *Frater* Pariſiis apud *Marchionem Hoſpitalium* depoſuit, quibusque methodum ineſſe initio exiſtimarat. At ſtatim ſenſi, illas non continere niſi artificia quædam particularia, quæ methodum appellare non auſim, utpote qualem non magis dari poſſe arbitror, quam dari poteſt univerſalis methodus pro conſtruendis Æquationibus Algebraicis quorumvis promiſcue graduum. Illa enim (cujus olim in *Actis* mentio facta eſt) qua pono indefinite $o = a + bx + cy + exy$, &c. & quæro deinde ejus ope lineæ tangentem, vix aliter quam in ſpeculatione ſuccedere videtur. Quod dictis fidem faciat, hoc eſto, quod præſens Problema, quanquam ut apparet haud admodum difficile, nullius regulæ methodive hactenus repertæ ope ſolvi a quoquam potuerit.

M. CHRISTOPHORI SAMUELIS Martini, Dresd. SS. Theolog. Baccal. & Symmyſtæ Neoſtadienſis, Commentarius Exegetico-Porismaticus ſuper D. Judæ Apoſtoli Epiſtolam Catholicam. Cum Præfatione Jo. Benedicti Carpzovii, SS. Theol. D. & P.P. de duplici genere interpretandi Scripturam ſacram.

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Groſſii Viduæ & Hæredum, 1694, in 4. Conſtat Alphab. 3, plag. 17.

SUos in Theologica ſcientia profectus Patronis approbaturus Per-Reverendus Autor, præſentem Commentarium conſcribere, ac luce publica donare voluit. Nec eum fine ſuo excidiſſe credimus, cum in illo non tantum ſuam in interpretanda Scriptura peritiam, ſed & in defendenda orthodoxa ac impugnanda heterodoxa fide dexteritatem, atque indefeſſum in evolvendis Theologorum ſcriptis ſtudium ſatis approbaverit. Ea enim methodo uſus fuit, ut ante omnia textum authenticum attento inſpexerit oculo, & in neceſſariam vocum emphaſin diligenter inquiſiverit: Verſiones potiores aliorumque Scriptorum commentationes ſub examen revocarit, & in quantum

tum cum textu ſacro conſentiant, vel ab eodem recedant, ſtudioſe oſtenderit: cuique verſui porismata utilisſima per legitimam conſequentiam inde deducta ſubjecerit; uſum practicum ſeu moralem hinc inde ſparſum & prolixius nullo negotio tractandum paucis monſtraverit; & denique ad majorem ſuis aſſertionibus fidem conciliandam multorum eorumque præſtantiſſimorum Autorum teſtimonia ſubinde allegaverit. His Cl. Autoris meditationibus ſumme venerandus noſter D. Carpzovius præfationem oppido elegantem de duplici interpretandi Scripturam genere præmiſit, acroamaticum alterum, alterum exotericum, vocabulis ex Ariſtotelis peripato deſumtis, nuncupans. Vocat autem acroamaticam Scripturæ S. interpretationem, quæ & verba & res verbis indicatas accurate exquiſiteque ac ſtudioſe perſequitur, & rationem ubique ſenſus inveſtigati determinatique reddit, omnesque alias opiniones erroribus involutas idoneis argumentis impugnat, ut verus ille & litteralis, qui non niſi unicus eſt, fortiter & conſtanter vindicetur, concluſiones theologicæ in Scripturæ textu vel formaliter vel conſequenter traditæ, doctrinam fidei ac morum concernentes monſtrentur, controverſiæ ab adverſariis motæ ventilentur, nihilque omittatur eorum, quæ tum ad ſenſum, tum ad uſum eruendum, confirmandum, defendendum facere quoquo modo videantur. Atque hoc commentationum genus ſcholis tantum Academicis vendicat, neque intromittendos promiſcue judicat, niſi qui ſe rebus theologicis curatius ſcrutandis dederint. Exotericum vero interpretandi genus appellat, quo idem Scripturæ ſenſus certus exploratusque ſiſtitur, ſed populariter pro omnium captu rhetoricis documentis illuſtrandus, ſaltim ut ad confirmationem fidei ac morum compoſitionem faciat: quam tractandi rationem publicis verbi præconibus aſſerit. Quæ cum paulo latius deduxiſſet, hypotypoſes duarum priorum concionum in eandem Judæ epiſtolam publice a ſe habitarum adjicit, & ſeptem inſequentium propoſitiones indicat, atque hac ratione aliis exemplar, juxta quod verbum Dei ὀρθοτομεῖν, ac populo e cathedra eccleſiaſtica diſtincte proponere poſſint, non ſine ingenti commodo exhibet. Sub finem operis utilisſimi quatuor indices, ſcil. locorum Scripturæ, vocum Græcarum, autorum librorumque ac rerum & verborum comparent.

PETRI DANIELIS HUETII EPISCOPI Abrincenſis Demonſtratio Evangelica, ab Auctore recognita, caſtigata & amplificata.

Lipſiæ apud Jo. Thomam Fritſchium 1694. in 4to. Conſtat plagulis 131.

TRACTATUS, DE SITU PARADISI terreſtris, auctore Petro Daniele Huetio.

Lipſiæ 1694. in 4. & 12. Conſtat plagulis 10.

CONjunximus duo hæc Viri eruditisſimi, PETRI DANIELIS HUETII opera, quia a Bibliopola in noſtris oris eadem recudente, conjuncta fuerunt. Non eſt vero, cur de argumento illorum quicquam dicamus, cum *Demonſtratio* illa *Evangelica* jam diu ab eruditis cum ſumma Auctoris deprædicatione evolvatur, & nos de editione ejus recentiore, quæ Lutetiæ curis Huetii ſecundis prodierat, Tomo II. Supplementorum, quæ ex re eſſe putabamus, dixerimus; nec de *Diſquiſitione de ſitu Paradiſi terreſtris*, aliquid peculiariter dicendum eſt, cum a nobis pariter anno 1692 p. 297. prolixior ejus inſtituta ſit recenſio. Non potuimus tamen non utriusque hic iterum facere mentionem, cum typis Lipſienſibus nitide ſatis exſcriptum ſit. Et *Demonſtratio* quidem plane ad editionem Pariſienſem repetita eſt, nihilque eſt additum præter literas graviſſimas, quæ occaſione operis hujus a Viro celeberrimo *Samuele Pufendorfio* ſcriptæ ſunt, & quas ad easdem repoſuit ipſe Huetius. Commendatur tamen inprimis editio hæc opuſculo *de ſitu Paradiſi terreſtris*, quod in Appendicis vicem Latine verſum ſubjunctum legitur. Cum enim antea legeretur Gallice tantum, ut Lutetiæ lucem adſpexerat, repertus eſt vir clarisſimus *Jo. Georgius Pritius*, noſtras, qui hanc in ſe ſumeret operam, ut Latina civitate doctiſſimam lucubrationem donaret; quod munus ita obeundum ſibi eſſe putavit, ut fideliter quidem & perſpicue mentem Auctoris repræſentaret, non habita tamen inſuper, quantum fieri potuit, dictionis tum puritate tum nitore. Atque ut etiam illi, quibus Demonſtratio ipſa jam ad manus eſt, legere hanc verſionem poſſent, cura data fuit, ut eadem opera in forma minori, quam *duodecimam* vocant, ſed correctius multo & emendatius, excuſum proſtaret.

AUGU-

Digitized by Google

AUGUSTI BUCHNERI POETÆ ET Oratoris celeberrimi, Poëmata ſelectiora nunc primum edita. Singulari ſtudio adjectus eſt in fine Index rerum & obſervationum.

Lipſiæ apud Martinum Gabriel Hübnerum, 1694. in 8.

Conſtant duobus Alphabetis.

QUamvis difficillima omni ævo judicata res ſit, ſcribendi carminis gloria præſtare, & inſimul maximorum oratorum laudem dicendi facultate aſſequi; non dubium tamen eſt, quin ea felicitas Viro jamdudum celeberrimo AUGUSTO BUCHNERO literarum, quibus ab humanitate nomen eſt, in Academia Wittebergenſi Profeſſori contigerit, illi nempe, qui, ſi teſtibus eam ad rem opus ſit, veriſſime a Daniele Georgio Morhofio, rerum iſtarum acerrimo arbitro atque judice, *ad omnem nitorem literarum factus, Orator optimus, & Poeta certe inter Germanos ſuo tempore princeps*, fuiſſe dicitur. Nam quantum in perorandi arte Vir eloquentisſimus valuerit, documento ſunt Orationes ejus atque Epiſtolæ, quæ diu jam in eruditorum manibus verſantur, & a nobis in Actis noſtris ſuo loco encomio, quod merentur, mactatæ ſunt. Quantum vero in carminibus etiam effingendis excelluerit, teſtari poteſt, quod nunc demum prodit, Poëmatum opus luculentum. Equidem ſi ipſe Vir liberali omni doctrina perpolitus, Poemata ſua diverſis temporibus elaborata in lucem edidiſſet, non ambigimus, & numero longe plura & ſelectiora atque emendatiora prodiitura fuiſſe. Sed laudabilem non minus operam & Poeſeos, infucatæ illius & maſculæ, ſtudioſis gratiſſimam poſt fata beatisſimi Viri inſumſit, qui in eisdem in unum corpus colligendis occupatus fuit. Profecto enim, quæ hic offeruntur deliciæ, nulli non ſtomacho, qui carminibus elegantioribus ducitur, ſatisfacere poterunt. Enimvero quam ingenioſa ſunt, quæ in omni carminum genere tentavit? Quam ubique domi eſt Poeta feliciſſimus, cum aliis in uno ſaltem vel altero genere eminere altius datum ſit? Buchnerus vero in fundendis verſibus Heroicis, Elegiacis, Jambicis, Lyricis, Pindaricis, Epigrammatis, æque beatiſſimus fuit, ſibique ſimillimus parem oſtendit ubique dexteritatem. Hic videas ipſum ad Virgiliani carminis majeſtatem adſpirare; jam ad Ovidianam illam in verſibus con-

Digitized by Google

dendis facilitatem elegias effundere: alibi Statii excelſus ingenii vigor eluceſcit; alibi vero amœna Claudiani fœcunditas, atque non incomta aut ingrata luxuries ſeſe offert: alibi denique ad Lucani gravitatem generoſa atque alta Poeta detonat; ut de Horatiana illa ſubtilitate hinc inde obvia nihil magnopere dicamus. Sic quod ad *argumenta* pertinet, quam amœna hic non occurrit varietas? quam ingenioſa eſt inventio? quam ſolerter ſingula ſunt diſpoſita? quam rebus convenienter dicuntur ſingula? ſive hymnis Deum celebret, redeuntibus, quas Chriſtiani celebramus, feſtorum ſolennitatibus; ſive amicos & patronos propter objectam rem lætiorem gratulationibus proſequatur; ſive funera decantet; ſive pietati privatæ det operam; ſive quæcunque res alia in calamum eidem carmine exornanda ceciderit. Quod vero imprimis Poematum hunc librum commendet, *Index* eſt, nova forma, novoque inſtituto ita a viro quodam induſtrio concinnatus, ut clavis & theſauri vicem præſtare poſſit, uſum horum carminum ſub unum veluti conſpectum ponens, ac juventutem in ludis literariis inſigni cum fructu ad facillimam imitationem deducens. Cæterum, cum in eo jam ſit Bibliopola ſolertiſſimus, ut de nova epiſtolarum Buchnerianarum editione cogitet, rogatos vult omnes, qui literas adhuc aliquas, a Buchneri manu profectas, poſſident, easdem ut liberaliter ſuppeditent, tertiæ parti, quam adjuncturus eſt, una cum aliis, quæ jam in promtu ſunt, adjiciendas.

ALBERTI RUBENII DISSERTATIO de Vita Fr. Mallii Theodori.

Ultrajecti, apud Gu. Broedelet, 1694. in 12, plag. 5.

Immortalem reddidit *Petrum Paulum Rubenium* ingenioſa manus, & ad ſummum profecta gradum ars politiſſima, qua cunctis per orbem pictoribus palmam fecit ambiguam, tabulasque delineavit quæ hodienum in pretio & admiratione ſunt omnibus. Quumque idem pectus haberet inſigni antiquitatis & politioris litteraturæ notitia inſtructum, iſtud transmiſit ad filium, exquiſitæ eruditionis hæredem, *Albertum Rubenium*, qui omne tempus a Reipublicæ negotiis vacuum (erat enim Philippo IV. Hiſp. Regi a ſecretis in ſanctiore Conſilio, quod Belgium juris Hiſpanici moderatur) doctrinarum ſtudiis impendit,

Digitized by Google

pendit, eaque chartis mandavit, quæ ſi ultimam, a præpropera morte interceptam manum experta fuiſſent, maximam auctori famam erant conciliatura. Verum in ipſo ætatis flore eo vivis erepto, eruditis ejus ſchedis & ipſis mors imminere videbatur, niſi in cognati ejus *Philippi* manus, & ex iſtis in poteſtatem celeberrimi Viri *Jo. Georgii Gravii* ex perveniſſent. Is enim, pro inſigni iſto, quo rem litterariam quotidie adauget & egregie amplificat ſtudio, ægre ferens exitio eſſe expoſitos hos ingenii præſtantis fœtus, imperfectos licet & diſperſos ſuſtulit & expolivit: ac triginta abhinc annis duos *de re veſtiaria & lato clavo* libros, nec non de *urbibus neocoris* diſſertationem, aliaque nonnulla Rubeniana, nitidiſſime exculta publico dedit; & nunc Diatriben *de Flavio Mallio Theodoro*, quam Richardus Bentleius, clarum rei literariæ in Angliæ ſidus, ipſi conceſſerat, in publicum exire juſſit, eique dicavit, cui acceptam eam ferebat. Exiſtimat autem, in Caſp. Gevartii potiſſimum gratiam ſcriptam fuiſſe hanc commentatiunculam, qui hunc Mallium crediderat eſſe *Manilium* Aſtronomici auctorem, hancque opinionem plurimis rationibus perſuadere aliis annitebatur. Hunc igitur errorem ut eriperet Gevartio non magis, quam iis quos is induxerat in eundem, oſtendit Flavium Theodorum Mallium (de quo præter Claudianum in Panegyrico vix quisquam ex veteribus quidquam ad poſteros transmiſit) ex Manlia gente, quod putavit Baronius, nequaquam ortum, Genuenſem potius aut Ligurem videri p. 2. 4; incertum eſſe, quo anno natus ſit, conjectura tamen ſe duci ut circa annum D. 350. eum natum putet p. 5. affirmat. Pueritiæ annis per eloquentiæ & jurisprudentiæ ſtudia transactis, prima togatæ militiæ ſtipendia Mediolani ipſum anno D. 367. meruiſſe, p. 5; inde ad regendam Lybiæ partem A. 374. miſſum p. 7; Conſularem Numidiæ vel Præſidem Cæſareæ A. 376. factum p. 8; poſtea ad regendam Macedoniam proceſſiſſe p. d. atque inde poſt Palatii Quæſturam & omnes fere honorum gradus Comitis ſacrarum largitionum A. 329. munus nactum p. 11; tandem ſummum Præfecturæ prætorio Galliarum apicem A. 380. adſecutum fuiſſe, p. 13. memorat. In qua Præfectura quandoquidem Auſonio poetæ ejusque filio Heſperio ſucceſſit, digreſſione quadam Auſonii iſtius præfecturas exponit, multum a Scaligero in diverſa abiens, p. 15. ſeqq. Expleta adminiſtratione, A. 382. privatæ ſe vitæ Theodorum dediſſe, & ut liberius ſtudiis ſuis vacaret, in Liguriam ſeceſſiſſe

p. 25. occiſoque Gratiano Imp. cujus amicitia floruerat, ſolatium a Philoſophia petiiſſe & ſe totum ejus ſtudiis mancipaſſe, e Claudiano (unde pleraque) demonſtrat p. 26. Libri ab eo in ſeceſſu eo conſcripti recenſentur ſequentes: *Sermones & dialogi philoſophici* p. 26. *de origine & natura mundi* p. 27. *de aſtris* p. 27. *de partibus animæ* p. 28. Amicitiam cum Auguſtino & Symmacho coluiſſe, p. 30. 32 oſtenditur, qua adductus Auguſtinus librum ſuum *de vita beata* ipſi A. 385. dedicaverit, p. 31. A ſtudiis litterarum ad reipublicæ adminiſtrationem rediiſſe Mallium, & a Theodoſio anno D. 390. Conſulem deſignatum p. 33. poſtea A. 395. Præfectum prætorio Italiæ, Africæ & Illyrici conſtitutum p. 38. 49. ab Honorio conſulatum ipſi anno 399. delatum p. 56. 58. (cujus feſta & ludos exhibitos elegātiſſimo illo Panegyrico, cui plurima quæ de Mallio novimus debentur, deſcripſit Claudianus) collega Eutropio eunucho, p. 58. 59. Præfecturam prætorio nihilominus continuaſſe p. 62. 69. per complures annos, donec tandem anno 409. Honorio IV. & Theodoſio III. Coſſ. ea exutus fuerit p. 88. poſtea tamen eidem redditus p. 100. Sed ſenio & calamitate reipublicæ confectum principio anni 410. diem ſuum obiiſſe; felicem morte ſua, quod proximum urbis Romæ exitium non viderit, p. 104. annotat. Addit, filium cognominem ſibi Theodorum reliquiſſe, cui librum *de metris* inſcripſerit, qui manuſcriptus extet in armariis Gevartii, cujus initium recitat p. 106. a quo deſcenderit fortaſſe Theodorus iſte, qui anno D. 505. cum Sabiniano conſul fuit, p. 107. ſed quem monachum factum, quod Baronius tradit, inficiatur p. 107. Seriem hiſtoriæ Mallianæ dum ita pertexit Rubenius, non illorum modo temporum hiſtoriam ſatis obſcuram illuſtrat; ſed nonnullis etiam doctorum virorum notatis lapſibus, ut Baronii p. 36. 41. 55. 74. 84. 103. 107. Scaligeri p. 15. 16. 22. 23. 24. 66. Petavii p. 54. Salmaſii p. 80. Sigonii p. 84. Schotti p. 103. Savaronis p. 2. Claverii p. 9. 41. Delrionis p. 9. Alciati p. 22. Scioppii p. 40. Jac. Gothofredi p. 78. Langi p. 103. Caſſiodori p. 60. Zoſimi p. 41. quoſdam veterum Scriptorum depravatos locos emendat, Auguſtini p. 46. Ammiani Marcellini p. 54. Socratis in hiſt. eccl. p. 55. Philoſtorgii p. 62. leges item nonnullas Codicis Theodoſiani p. 12. 39. 63. 64. 89. 90. 91. & Juſtinianei p. 19. 55. 87. 90. ut proinde in exiguo libello multum doctrinæ, & inde provenientis utilitatis inveniant, qui eidem perlegendo otium impendunt.

DES-

Digitized by Google

DESSEIN D' UN NOUVEAU DICTIO-naire hiſtorique, geographique, chronologique & philologique par Samuel Chappuzeau.

i. e.

Deſignatio novi Lexici Hiſtorico-Geographico-Chronologico-Philologici, per Samuelem Capuceum.

Cellis apud Andr. Holwein 1694. in fol. Plag. п.

FAmam hactenus ſibi haud exiguam *Ludovicus Morerius* peperit, edito Dictionario, ſæpius in Gallia & Belgio lingua Gallica excuſo, Londini quoq; lingua Anglica, cura potiſſimum J. C. de la Croſe, edito. Verũ doctisſimus & omni ſcientiarũ genere excultus vir *Samuel Chappuzeau*, natione Gallus, jam inde a quinquaginta annis patria extorris, novum & exactius multo magisq; abſolutum molitur, idque tribus tomis includere conſtituit. Plurimos in eo Morerianos lapſus oſtendet, multaq; adferet quæ Morerius vel ignoravit, vel ſtudio partiũ abreptus omiſit, vel minus recte expoſuit. De quo inſigni propoſito ut cõſtaret, aliquot typis exſcribi fecit pagellas, ex quibus iſtud liceret cognoſcere; indeque paucis jam, quis animus ejus ſit, exponemus. Dolet nempe, nullum in juvenum præſertim uſum adhuc extare Lexicon, quod evolventium deſiderio poſſit facere ſatis; in Moreriano autem iſtoc cumprimis non ferendum eſſe, quod in Pontificiorum gratiam paſſim, & ubicunque ita fert occaſio, male tractentur Proteſtantes. Se itaque omnes illos ſcopulos evitaturum promittit, & quæ ad hiſtoriam, chronologiam, geographiam ac omnem litteraturam pertinent, ſtrictim traditurum, neque facile quicquam omiſſurum quod ſcire juvenem interſit, aut inquirere is poſſit, pollicetur; adeo ut integræ bibliothecæ inſtar hoc opus futurum ſit. Cui ſi quis neceſſaria ſuggerere cupiat, vel de inſtituto hoc monere velit, rogat ut vel ad ipſum auctorem Cellis in aula Ser. Brunſuicenſium Ducis Georgii Wilhelmi agentem, vel Amſtelodamum ad clariſſimos bibliopolas, Wetſtenium vel Debordeum, id curet. Primum ſe tomum jam confectum habere affirmat, reliquis duobus materiam omnem paratam jam adeſſe: quibus contexendis vitam (quam ad ſextum & ſexageſimum ætatis annum produxit) & otium, quæ ſufficiant, ſolertiſſimo Viro vovemus, ut ad finem

per-

Digitized by Google

N. VII.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Julii Anno M DC XCIV.

HISTOIRE DE LOUIS DE BOURBON II. DU NOM Prince de Condé &c.

i. e.

Hiſtoria Ludovici Burbonii II. Principis Condæi, & Principum Regii Sanguinis Primi.

Coloniæ 1693. in 12. Alph. 1. pl. 3.

INter omnes belli Duces, quorum virtus recentiora nobilitavit ſecula, Ludovicus hicce Burbonius præcipue eminet. Utique facinora ipſius longe fortiſſima, prælia, & victorias ab hoſtibus reportatas, ambiguos quoque ancipitesque fortunæ caſus, quibus cum tantus Heros conflictatus eſt, promeruiſſe nemo facile abnuerit, ne vita ejus poſteris ignoretur. Operæ pretium ergo ſe feciſſe Auctor arbitratus eſt, dum vitam & res geſtas hujus Principis literarum monumentis conſecravit. Ipſe vero odii ac amoris vacuus, nihil ſibi prius aut antiquius eſſe voluit, quam litare veritati. Hanc ſibi ipſe legem ſancivit, quam ſancte obſervaret. Ut itaque ſibi religioni duxit Condæi Principis reticere virtutes: ita nefas eſſe putavit, diſſimulare vitia. Fortitudinis namque ſingularis laudem, judice Auctore, ne iniquiſſimus quidem rerum æſtimator illi denegaverit: aſt hanc virtutem ambitione contaminavit. Ceterum natus eſt Ludovicus Burbonius Pariſiis Anno 1621. die 8. Septembris, patre Henrico Burbonio Principe Condæo, matre autem Charlotta Margaretha Momorancia. Literarum ſtudiis initiatus, Hiſtoriarum præcipue delectabatur monumentis: veteresque belli Duces, & inter illos Alexandrum Ma- *Lib. I.*

 gnum

gnum magnopere mirari cœpit, cujus præcipue animi magnitudinem laudavit, qua Macedones frenum mordentes compeſcuit. Non potuit vivida iſta & ignea vis mentis diu inter tacitos Muſarum deliteſcere receſſus: adeoque, quam primum per ætatem licuit, militiæ nomen dedit. Atrebatum urbs Arteſiæ, quam Gallicus obſidebat exercitus, occaſionem tirocinium ponendi Condæo ſubminiſtravit: ubi, licet decimum nonum ætatis nondum expleviſſet annum, præclarum tamen fortitudinis documentum dedit. Domum inſigni auctus gloria reverſus, Parentis juſſu, Claram Clementiam de Maillebrezé, Cardinalis Richelii neptem, matrimoniali ſibi fœdere junxit. Iram enim Cardinalis Richelii non aliter placare Henricus Burbonius, quam conjugio hoc comprobato, poterat. Inde rurſus caſtra ſequitur Condæus noſter, variisque clariſſimis facinoribus ad ſummas dignitates ſibi viam munit. Præcipue vero in urbis Perpiniani expugnatione egregiam Regi navavit operam. Interim mortuo Richelio ſummæ rerum in Gallia admovetur Mazarinus Cardinalis, qui Ludovici noſtri gratiam ſibi conciliaturus, ſummum exercitus Gallici in Belgio Hiſpanico imperium penes eum eſſe voluit. Neque vero hujus conſilii Cardinalem pœnituit. Hiſpanicæ enim copiæ a Condæo ad internecionem usque cæſæ, urbs Rocrojum liberata, & res ubique feliciter geſtæ, non minus ornamentum Principi, quam nutanti Galliæ regno attulere præſidium. In eo vero ad Rocrojum prælio non fortitudo modo, ſed & prudentia Ducis ſingulari exemplo patuit. Idque pluribus Auctor ediſſerit. Plures inde urbes, interque eas Theonisvillam, victricia Condæi expugnarunt arma. Quibus ex animi ſententia geſtis, copias auxiliares in Germaniam ducit; mox exercitus Gallici in Germania imperium ipſe capeſſit. Hic vero cum Mercio Duce Bavarico, prope Friburgum in loco ſatis difficili, tribus præliis congreſſus eſt: in quibus utut ancipiti Marte pugnatum ſit, Condæi tamen & fortitudo & prudentia ita effulſit, ut intrepidi & magni animi laudem hoſtibus quoque extorſerit. Attamen ambitioni ſuæ potius quam regni utilitati conſuluiſſe viſus eſt, præſentiſſimis periculis milites exponendo. Equidem Friburgum in hoſtium jam venerat poteſtatem, priusquam cum copiis ſuis advolare potuit Condæus: ipſe tamen Philippiburgum expugnavit, pluresque urbes Gallicum ſubire jugum coegit, quin ipſam Moguntiam in dedi-

Digitized by Google

deditionem accepit. Sequenti anno, nimirum 1646, Mercium prope Nordlingam vincit, Nordlingam ipſam cum aliis Germaniæ urbibus imperio Gallico ſubjicit. Jam conſultum videbatur Mazarino præcipuas regni vires Hiſpanis opponere in Flandria: exercitui ipſe Dux Aurelianenſis præeſſe voluit; ſigna ejus ſequitur Condæus. Nec ibi fortuna Gallos deſtituit. Urbibus enim aliquot expugnatis, Batavis ſuppetias fert Aurelianenſis: qui inſignem militum amorem erga Condæum certiſſimis argumentis edoctus, Lutetiam ſe contulit, ſummo exercitus imperio penes Condæum relicto. Hic vero nobili quodam facinore expeditionem hancce finiturus, Dunkerkam obſidione cingit, & infinitis, quæ ei ſeſe offerebant, periculis feliciter defunctus, urbem expugnat. Tandem Cortraco præſidio ſatis firmato, & ipſe Pariſios revertitur. Perſonabat tota urbs laudibus Condæi: Gallicæ gloriæ vindex atque ſtator cunctis audiebat.

Mazarinus itaque creſcentem indies Principis Condæi auctoritatem formidans, eandemque ſuppreſſurus, auctor illi ſuaſorque fuit, ut Catalonici exercitus imperium ſuſciperet. Id cum feciſſet Condæus, Leridam obſidione cingit: ſed adventante Hiſpanorum exercitu, ſolvere eandem cogitur. Nimirum non latebat Mazarinum, eas, quæ in Catalonia erant, copias Hiſpanis non eſſe pares: hinc irritos fore quoscunque Condæi conatus, famæq; ejus & exiſtimationi haud parum ita detractum iri confidebat. Sero nimis has artes intellexit Condæus: hinc initio quidem Pariſios adire noluit; tandem ut adiret, precibus Reginæ adductus, ſuam erga Mazarinum indignationem non diſſimulavit. Subſequenti anno, videlicet 1648, imperio exercitus Gallici in Flandria ſe admoveri paſſus eſt, fortunamque adeo ſibi faventem habuit, ut Leopoldo Archiduce Auſtriæ victo, copiisque Hiſpanicis fuſis, Ipras aliasque Belgii urbes in ſuam redigeret poteſtatem. Interea Pariſiis lites graviſſimæ diſſenſionesque civiles oriuntur, Parlamento civibusque Pariſienſibus id unice allaborantibus, ut Mazarini Cardinalis coërceretur auctoritas, vel ille plane regno ejiceretur. Juratis Cardinalis hoſtibus *Funditorum* nomen hæſit. Cauſas autem originemque harum contentionum prolixius Auctor expoſuit. Omnium votis expectabatur Condæus, qui cum ut judex & arbiter inter utramque ſedere partem potuiſſet, ſingulari Mazarini artificio hiſce turbis ita immerſus fuit, ut irritatis Funditoribus, *Cap. II.*

 toribus,

toribus, palam Reginæ ac Mazarini partes amplecti neceſſe habuerit. Res tandem ad arma venit. Obſidetur urbs Pariſienſis, ſcinduntur in partes Proceres, plerisque cum Funditoribus facientibus. Pariſienſes acriter ſe defendunt, ſed & a Condæo ſtrenue urgentur: tandem belli pertæſi pacem ineunt. Deſpicere tum Cardinalem Mazarinum Condæus cœpit, quippe quem & ſalutem omnem ſibi debere, & in omnibus ideo fore obnoxium, credebat. Sane ita ſe geſſit in omnibus, ut nemo mirari debeat, quod inexpiabile erga Condæum animo conceperit odium Mazarinus. Indies inter utrumque augebantur odia; hinc Funditorum partes denuo Princeps amplectebatur. Id quod ſaluti fuit Mazarino. Callide quippe ad genium Condæi ſe attemperando, eundem a Funditorum denuo abduxit partibus, hoc ipſo effecturus, ut omnem apud Funditores inpoſterum fidem perderet Condæus. In quo eum ſpes neutiquam fefellit. Ita ad Condæum præcipitem dandum ſibi muniebat viam. Sed & Aurelianenſem variis artibus a Condæo abalienavit. Jam non cunctandum ratus, Condæum præſidiis omnibus nudatum aggreditur. Namque nihil tale metuens, ſuorumque admonitiones inſuper habens, cum Fratre, atque Longavillæo Duce cuſtodiæ committitur. Eodem die, quo libertatem Principi erat erepturus, Cardinalem ipſe adiit, & de fama per omnium ora volitante, ſe propediem cuſtodiæ mancipatum iri, graviter conqueſtus eſt. Mazarinus vero hunc rumorem vanum eſſe tam conſtanter aſſeveravit, ut & perſuaſerit Principi. Nihil tale promeruiſſe Condæum, Auctor noſter contendit, qui innocentiam ejus pluribus argumentis demonſtrat. Sed Principes non æque firmo ac conſtanti animo captivitatis moleſtias pertulere. Ex Guidonis Patini epiſtolis Auctor refert, Longavillæum Ducem mœrore ac triſtitia ſe ipſum confeciſſe; Contium quandoque nec a lachrymis ſibi temperaſſe: Condæum contra læto animo hæc fortunæ iniquioris tela excepiſſe, cumque aliquando Contius librum de *Imitatione Chriſti* ſibi afferri juſſiſſet, ejus lectione ut triſtitiam pelleret, jocum addidiſſe Condæum & dixiſſe, ſe quidem optare librum de Imitatione Domini de Beaufort, ut æque ac ille, fuga libertatem recuperare poſſet. Ceterum conatus illorum, qui aut fraudibus, aut aperta vi reſtituere Principes libertati voluerunt, fuere irriti. Funditorum tandem, quibus cum Condæum & Aurelianenſem commune erga

Digitized by Google

erga Mazarinum odium junxerat, comminationibus adducta Regina, libertatem reddit Principibus, Cardinali ipſo, ut gratiam eorum recuperaret, hunc nuntium illis perferente.

Condæus nihiloſecius, ſua erga Mazarinum indignatione neutiquam diſſimulata, Pariſios revertitur, populique, qui antea vehementiſſime illum deteſtabatur, plauſibus exceptus, Parlamento pro navata ſibi opera gratias agit, & cum Funditoribus ad ejiciendum regno Mazarinum conſpirat. Voti compos res ſuas firmare egregie potuiſſet, judice Auctore, modo fortunæ utramque illi porrigentis manum habere rationem voluiſſet. Statim vero in eo a Condæo peccatum eſt, quod amicorum fideliſſimorum, qui ut liberarent eum nihil fecerant reliqui, officia adeo parum penſi habuerit, ut eosdem, præſertim Turennium, inconſulto faſtu neglexerit prorſus deſpexeritque. Nec Funditorum cum Condæo amicitia diuturna fuit. Cum enim fratris ſui Ducis Contii, & Cheureſiæ virginis, quam huic jungi Funditorum referebat, connubium ſuo comprobare calculo nollet, aliisque rationibus juratos hoſce Cardinalis Mazarini hoſtes irritaſſet, in mutua iterum exarſere odia. Id quod Regina intelligens, concordiæ, quam inire cum Condæo volebat, conditionibus ſtare noluit. Rurſus igitur utroque præſidio ſe orbatum & in eas anguſtias redactum vidit, ut Hiſpanorum implorare opem illi neceſſe fuerit. Vanus rumor, conſiliis Reginæ cuſtodiæ iterum deſtinari Principem, eundem ita perterrefecit, ut relicta urbe fuga ſibi conſuleret, armaque arripere decerneret. Cognatorum maxime ſuaſionibus ad hæc adductus eſt, ſimul tamen ipſe haud vano augurio prædixit, fore, ut hujus conſilii auctores ſe ad extrema redactum, omnium primum deſererent. Sed hac quidem vice res nondum in bellum erupit. In urbem enim rediit, ea tamen conditione, ut procul ab aula faceſſere juberentur, quos Mazarini in exilio degentis partibus nimium eſſe addictos credebat. Tum quoque rebus in præceps euntibus potuiſſet afferri medela. Sed regio & ad Reginam irritandam compoſito apparatu per plateas incedens, malum iſtud adeo auxit, ut mox intelligeret ipſe, jam eſſe illud immedicabile. Non poſſe diutius bellum differri ratus, initio quidem ſuam teſtari omnibus innocentiam, cauſasque afferre voluit, quibus ſe adductum putavit, ut injuſtis Reginæ ac Mazarini, cujus ſpiritu cuncta regi dicebat, oppreſſionibus *Cap. III.*

rite arma opponeret. Inde ex urbe egreſſus, non ſatis eo tempore ſe in ea tutum putans, quo Rex ſolenni ritu & more majorum, regiminis ipſe habenas capeſſere voluit, cum Hiſpanis belli conſilia agitat. Opportune tum Burdegalenſes partibus Condæi accedebant, quorum exemplum tota mox Aquitania ſequebatur. Blandientis ita fortunæ nutibus irretitus Condæus, ſpem omnem pacis ineundæ incidit. Quare ſine mora perduellionis reus agitur, idque ſolenni Regis decreto omnibus innotuit. Ceterum præter Aquitaniam, & aliarum provinciarum urbes Condæi favebant partibus, quarum pleraſque tamen exercitus regius haud difficulter ad obſequium redire coëgit. Singularum vero expugnationes, & fata, ut & prælia, clades, victoriasque, & cætera belli hujus civilis momenta commemorare, prolixum nimis foret. In omnibus ita ſe geſſit Condæus, ut quandoque fortunam, nunquam fortitudinem & conſilium ei defuiſſe, haud difficulter deprehendere liceat. Armorum curſum ſiſtebant pacis conſilia: a quibus eo minus Rex, & Mazarinus jam ab exilio revocatus, abhorrebant, quod & Parlamentum & cives Pariſienſes favere Condæo intelligerent. Et favebant ſane, ſed tamen & belli jam tum illos tædere cœperat. Nec iſtud latebat Condæum, qui Pariſienſium animos flexiles, & ad quamvis fortunam mobiles haud ignorabat, multis quoque argumentis ipſe edoctus erat. Tandem vero cum conveniri utrinque non poſſet, arma reſumere Condæus voluit; copiisque Hiſpanicis auctus Turennium, cujus impetum ante, prope vicum S. Antonii, fortiter ſuſtinuerat, copiis ſuis in conſpectu urbis ita circumcinxit, ut aut omnibus fame pereundum, aut exercitum regium manifeſtæ cladi exponendum eſſe, quiſque exiſtimaret. Interim Condæus morbum, quo oppreſſus erat, depulſurus, & regni, quod, de victoria certus, ſibi ſubjectum iri nullus dubitabat, negotia compoſiturus, in urbem ſe receperat. Turennius itaque occaſione arrepta, ex hiſce anguſtiis tam prompte tamq; prudenter ſe expedivit, ut ex eo tempore aliam res Gallicæ faciem induerint. Pariſienſes enim ſe belli moleſtiis, quarum jam magnopere illos tædebat, nunquam liberatum iri, quamdiu Principis partes tuerentur ipſi, animadvertebant. Pacem ergo Regiſque & aulæ in urbem reditum ſerio ſe in votis habere, non amplius ipſum clam habebant Principem. Hic igitur Pariſienſibus non amplius fidens, Flandriam petit, ſummoque

moque

Digitized by Google

moque exercitus Hiſpanici imperio, a Rege Hiſpaniæ præficitur.

Fortunam vero Condæum ſecutam eſſe, merito negaveris: adeo in præceps res ejus ire cœperunt. Sane ſi iis, quibus Mazarinus voluit, legibus inire pacem voluiſſet, fortunam in conſilio habuiſſe jure potuiſſet cenſeri. Quo minus vero felicibus ſucceſſibus uſus fuerit exercitus Hiſpanicus, Condæi cum Hiſpanicis Ducibus ſimultatibus prudens rerum æſtimator haud ſine ratione tribuet. Neque id tantum male habuit Condæum. Partes ejus deſerit frater Contius Dux, inito cum Mazarini nepte matrimonio: Parlamenti Pariſienſis decreto reus mortis judicatur: urbes etiam iſtæ, in quibus omnem fiduciam collocaverat, Regis ſe permiſere fidei. Ipſe quidem cum Hiſpanicis copiis Galliæ regnum intravit: ubi iterum vario eventu ſæpius pugnatum, urbes utrinque obſeſſæ, donec tandem Condæo ad Dunkerkæ obſidionem ſolvendam Turennium coacturo, exercitus Hiſpanicus prope ad internecionem usque cæderetur, & tantum non penitus deleretur. Gallia jam in fide Regis erat. Hiſpanos, ob acceptam cladem, belli diuturni ingens quoque ceperat faſtidium: quare pace tandem finire haſce lites, omnes conſultum ducebant. Et ſane coaluerunt tandem in concordiam Galli Hiſpanique, ope Mazarini Cardinalis & Ludovici de Haro, qui in Faſianorum inſula ad Pyrenæos montes, hunc in finem convenerunt. De Condæo præcipue haud leviter diſceptatum eſt: Hiſpano annitente, ut priſtinæ fortunæ reſtitueretur: Mazarino id maxime abnuente. Tandem reddere quidem dignitates Condæo placuit, eumque in fidem recipere: Hiſpani contra urbes quasdam Gallis ceſſerunt. Reliquas leges ex Pyrenææ pacis tabulis prolixius Auctor recitat. *Lib. IV.*

Anno demum 1660 in Galliam rediit Condæus, fortunasque & honores, minime autem Regis recuperavit favorem. Regni quoque negotiis atque conſiliis admodum raro, aut in ſpeciem ſolum, admotus eſt: id quod, jam rectiora edoctus, adeo non ægre tulit, ut Duciſſæ Chatilloniæ, quam tenero proſequebatur amore, hinc animi mollitiem illi exprobranti, prudenter reſponderit: Regis genium tales requirere mores. Quam vero ſibi religioni duxerit, vel in minimis voluntati Regis refragari, vel inde elucefcit, quod a ſpe regnum Poloniæ conſequendi juſſu Regis deſtiterit. Ceterum pacem *Lib. V.*

non

non ita pridem initam rupit Galliæ Rex. Jure quippe devolutionis, ut vocant, Brabantino fretus, armata manu Flandriam ingreſſus eſt: Condæo vero provinciam Comitatum Burgundiæ occupandi dedit: id quod tam prompte executus eſt, ut ſeptendecim dierum ſpatio hanc ditionem Regis imperio ſubjecerit. Finito hôc bello, Hollandis ſigna intulit Galliæ Rex, tantaque felicitate uſus eſt, ut non tam vincere, quam peragrare urbes videretur: quin Amſtelodamum ſine dubio ſibi ſubjeciſſet, ſi quod cum Turennio illi conſulebat Condæus, qui parti copiarum præerat, ſine mora victrices urbi admoviſſet copias: ſed cunctando tum quidem res Gallica fuit perdita. Cæterum belli hujus caſus atque eventus ex Auctore referre, cum inſtituti noſtri legibus pugnat: ſaltem iſtud addimus, Condæum Veſalienſium præcipuis fœminis, petentibus ut ex urbe obſeſſa ſibi diſcedere liceret, perquam lepide reſpondiſſe: ſe omni victoriæ fructu cariturum, ſi devictarum mulierum ornamento triumphus ſuus deſtitueretur. Spinozam quoque a Condæo accerſitum, Auctor memorat, quocum varios de fide in DEum & religione ſermones miſcuit. Sed retardato victricium armorum curſu, belli augebatur moles, Imperatore quoque Germanico in Gallos arma ſtringente. Condæus itaque, poſtquam cum Arauſionenſi Principe dubio pugnaverat Marte, copiis Gallicis in Germania, per mortem Turennii Duce deſtitutis, præficitur, Germanicique exercitus Ducem Montecuculi Hagenaviæ ſolvere obſidionem cogit. Et ita labores ſuos militares finivit Condæus. Namque ex eo tempore Rex eum copiis ſuis non amplius præfecit. Sunt, qui ſua ſponte militaria munera eundem fugiſſe contendunt: ſunt & qui Regem Condæo iratum aſſerunt, quod in prælio cum Arauſionenſi, nimio impetu abreptus, milites inconſulta audacia hoſtium furori objecerit. Privata itaque ſorte contentus, in arce ſua Chantilliaci vixit Condæus, tempusq; vitæ reliquum ſtudiis literarum conſecravit: raro admodum, nec niſi neceſſitate urgente, in aula comparuit: Regi autem tanta animi ſubmiſſione & veneratione addictus fuit, ut fideliſſimis ſubditorum dubiam reddiderit palmam. Documento vel iſtud eſt, quod nepotis ſui Ducis Burbonii cum Nannetenſi Virgine, quam ex Monteſpania Rex ſuſceperat, matrimonium ſuo comprobaverit calculo, ſerio ſimul filium adhortatus, ne committeret unquam, ut promptum erga Regem obſequium neglexiſſe videa-

Digitized by Google

videatur. Idem & teſtantur literæ a Condæo moribundo ad Regem ſcriptæ, quibus ſerio deteſtatur, quod officii leges tam proterve migraverit, ſed ex quo ad obſequium rediit, nemini animi integritate ac fide unquam ſe ceſſiſſe aſſeverat. Expiravit placide inter ſuorum gemitus, die 11. Decembr. A. 1686, cum ætatis ſexageſimum quintum annum, nec non menſem diemque tertium, explevisſet.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE de Louis de Bourbon, Prince de Condé,

i. e.

Commentarii componendæ Ludovici Burbonii, Principis Condæi, Hiſtoriæ inſervituri.

Coloniæ, 1693. 12. Alph. 1. pl. 10.

Hiſtoriam rerum a Ludovico II. Burbonio, Duce fortiſſimo, geſtarum, ſine dubio jam plures condidiſſent, præſertim noſtra ætate bonarum mentium non ſane ſterili, niſi plerique documentis fide dignis commentariisque fuiſſent deſtituti; quorum ſi quis inops in hoc ſcribendi genere aliquid molitur, nubes ille conſectatur & inania prenſat. Sibi ipſi hac in parte ſuæque gloriæ defuiſſe Ludovicum, Auctor noſter memoriæ prodidit. Vitæ enim ſuæ commentarios a ſe petentibus, reſpondit, ſe quidem nihil aliud, niſi quod oblivione dignum eſſet, geſſiſſe. Quandoque tamen, vel ideo non poſſe ſe hoc labore defungi dixit, quod ea neceſſario ſibi commemoranda eſſent, quæ ut ſibi gloriæ, ita aliis futura eſſent dedecori, *Lib. VII. p. 327.* Illorum tamen, quorum animus fert, in conſcribenda tot egregiorum facinorum, per quæ fortiſſimus Heros ad immortale decus ivit, hiſtoria, ingenii periclitari vires, ſtudiis conſulturus Auctor, congeſſit ediditque quosdam commentarios, qui illuſtres Ducis noſtri actiones ſigillatim exponunt. Leges enim in primo hujus Operis libro Relationem de expeditione Rocroienſi, auctore De la Chapelle: ut & ejusdem Relationem de expeditione Friburgenſi. Secundus liber Hiſtoria obſidionis Dunkerkanæ ornatur, quam

Saraſinus compoſuit. Tertium librum finiunt literæ Regis ad Parlamentum, quæ rationes exponunt, quibus Rex inductus Condæum Principem, cum fratre, & Longuevillæo Duce manciparit cuſtodiæ: quibus junguntur literæ privati ad Parlamentum, rationes Regis refellentes, & pro innocentia Principum acriter pugnantes. Belli denique civilis Hiſtoriam Commentarii Ducis de Rochefaucault pandunt, libro quinto. Nec temere hæc diſperſa projectaque ſunt: quin potius apte concinneque Auctor haſce commentationes inter ſe junxit, & ut juſtæ hiſtoriæ faciem opus quodammodo indueret, ipſe reliqua addidit, quæ ex Scriptoribus fide dignis, in præfatione laudatis, ſe petiiſſe ingenue fatetur. Ceterum vita Condæi Principis cum jamjam in compendium a nobis miſſa ſit, hic repetere, quæ jam dicta ſunt, ſupervacaneum ducimus. Saltem iſtud obſervaſſe haud abs re fuerit, quod Auctor tanto in Condæum Principem ſit ſtudio, ut ea etiam, quæ aut per imprudentiam aut præcipitantiam quandoque ab eo geſta ceteri,& præcipue Auctor, qui Hiſtoriam Condæi edidit,non diſſimulant,emollireNoſter omni ratione,quandoque & laudare non dubitet. Palam iſtud fiet, ſi quis ea,quæ de expeditione Friburgenſi,& irrita Leridæ urbis obſidione memorat,accuratius ſecum volvat.

HERMANNI CONRINGII EPISTOLARUM Syntagmata duo, una cum Reſponſis.

Helmſt. ap. G. W. Hamm, 1694. in 4. 1. Alph. & 10. pl.

QUin plurima literarum ſecretiora & non usque adeo paſſim nota ex epiſtolis clarorum virorum mutuis addiſci queant, nemo fere dubitat,& vel iſtis celeberrimi Conringii poteſt comprobari. Plurimæ debentur gratiæ, non ſolum excellentiſſimo Viro *Hermanno Johanni Conringio*, unico Hermanni Filio, & Sereniſſimo Electori Brandenburgico a Conſiliis Cameræ in Magdeburgenſi Ducatu, qui ex illo, quem poſſidet, Epiſtolarum Patris theſauro has nuper perbenevole conceſſit cum Orbe Erudito communicandas; ſed & amplisſimo *Caſpari Corbero*, Profeſſori in Academia Helmſtadienſi, qui eas edidit ex MSS. facto ſelectu, & ordine earum ſic concinnato, ut una alteri reſpondeat. Cujusmodi inſtitutum mallemus ab omnibus

iis,

iis, qui Epiſtolas doctorum evulgarunt, fuiſſe obſervatum. Eſt autem Collectio duplex, una ſcilicet earum, quas Conringius ad Celſiſſimum quondam Principem-Epiſcopum antea Paderbornenſem, ac deinde & Monaſterienſem *Ferdinandum* L. B. a *Fürſtenberg*, & hic ad illum ſcripſit; atque altera earum, quas cum *Stephano Baluzio*, qui illuſtriſſimo Joh. Baptiſtæ Colberto, Galliarum Regis Miniſtro primario, a bibliothecæ cura fuit, & editor operum Petri de Marca, reciprocavit. Ex quibus proin pauca quædam decerpemus velut ex multis, quæ ſigillatim adduci deſtinatæ nobis chartæ modus negat.

Parte I. judicium ſuum exponit Fürſtenbergio Conringius, de Monumento quodam antiquo Saxonico, (p. 2.) abs Principe ſibi miſſo, & docet porro, ab anno demum 775. Caroli M. auſpiciis cœpiſſe in Saxonibus Chriſtianiſmi primordia. Epiſtola *octava*, cum multa de Germanis, & quinam ex illis commigraverint in Galliam, diſſeruiſſet, ſimul affirmat, Legem Salicam in Ripuariis, non autem in Transrhenanis noſtris terris eſſe latam, quod olim quidem crediderat, confirmatq; illam ſuam ſententiam alia deinceps ad Baluzium Ep. p. 83. Tum laudat Epiſcopo Henrici de Hervordia MS. Hiſtoriæ duas partes apud ſe extantes, quam inventu raram quando judicat Hermannus, ſimul taxat Voſſium patrem, quod eundem cum Henrico de Erfordia, homine nihil minus quam Hiſtorico confuderit; & credit *Piermontenſem* Comitatum (*Pyr*montenſem alii ſcribunt) nomen habere Gallicum, lapideum aut petroſum montem (*Pierre* & *Mons*) ſignificans, ac proinde illos, qui in antiquis chartis audiant *Comites de Monte Lapideo*, Piermontanos Comites eſſe, forte quod eorum conditor ex Gallia iſtuc venerit, locis illis donatus a Ludovico Pio. Eadem adhuc Epiſtola rogat Conringius Epiſcopum, ut Epiſtolarum Innocentii III. Papæ volumen, quod ex Vaticana Bibliotheca deſcripſerit olim ipſe Romæ, cum Stephano Baluzio, editionem novam omnium Innocentii Epiſtolarum tum parante, communicare velit; (id quod factũ etiam eſſe, patet ex p. 43.) Proponit etiam ſuam de Actis paſſionis ſanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis ſententiam, ac dum ea a Tertulliano lecta fuiſſe & allegata negat, accuſat ſimul easdem effictæ novitatis. Porro reprehendit Conringius chalcographum, qui in prima Monumentorum Paderbornenſium editione Carolo M. barbam prolixam affinxerat, quem conſtet tamen mento glabro &

P. I. p. 7. *p. 8.* *p. 15.* *p. 15.* *p. 16.* *p. 17.* *p. 18.* *p. 28.* *p. 38.*

p. 51. barba rara genis adnata fuiſſe. Epiſtola XXV. fatetur Conringius,
Regis Galliæ beneficiis,ope Colberti,uſum ſe eſſe aliquot jam annis ;in
quam rem ad Baluzium quoque ſcribit p.67.71.79.83. Poſt Epiſto-
p. 58.59. lam XXVII. elegans Ducis *Montauſierii* ad Fürſtenbergium exhibe-
p. 72. tur carmen,docetque hic amplius,quænam in Hiſtoria Paderbornenſi
ſuo ductu & auſpiciis jam ſint perfecta, & qua etiam ratione reliqua
debeant adornari.

Quæ *Parte altera* Baluzii ad Conringium,& hujus ad illum ſe-
guntur Epiſtolæ, pleræque in tali occupantur argumento, ex quo Hi-
ſtoriæ Eccleſiaſticæ & Criticæ S. plurimum accedit lucis. Sic enim
p. 5. Epiſtola II. diſſerit Conringius de Codice MS.Synodi Remenſis, qui
extet in Bibliotheca Academiæ Juliæ,& vindicat ea occaſione Flacium
p. 12. ejus olim editorem ab inuſta corruptelæ nota. Ep. III. exponit Balu-
zius prolixe conſilium ſuum de edendis Innocentii Epiſtolis, nec ta-
cet, Apologeticum Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis, ex codice MS.
Cardinalis Barberini a Domno Luca Dacherio Monacho Ordinis S.
Benedicti,in Tom.VII.Spicilegii vet.Scriptorum editum,aliquot in lo-
p. 33.32. cis mutilum ac valde depravatum eſſe. Tum porro recenſet Conrin-
gius notabili ſermone, ſuam ſtudii Theologici rationem, & quam pa-
p. 52. 60. cis eccleſiaſticæ ſit cupidiſſimus,utrinque vapulans licet. Ep.XIV. ex-
p. 43. tat inſigne judicium Baluzii de famoſo diplomate Lindavienſi, quod
p. 39. & ipſe arguit falſitatis, conſentiens Hermanno idem ſtatuenti. Epiſt.
p. 48. 49. XVII. animadvertit Baluzius in ſtylum Conringii, Pontificibus in li-
bro de Origine Juris Germanici, & in Notis ad Epiſtolas Leonis, infe-
p. 51. ſtum valde ; ſed excuſat ſe ille deinceps Epiſtola XVIII. Cui cum quæ-
p. 56. dam regeſſiſſet Baluzius, ſic tandem notanter ſatis ſcribit: *Etſi inter-
dum diſſentire cogor, imputandum iſtud eſt amori religionis,qui me non
patitur ea omnia dogmata profiteri,quæ vos forſan putatis eſſe optima
& Chriſtianiſſima. DEUS, qui cordium & cogitationum ſcrutator
eſt, quemque pro ſuis meritis judicabit. Interim amemus, mi Conrin-
gi; & tametſi diverſas opiniones tuemur in cauſa religionis,moribus ta-
men diverſi non ſimus, qui eadem literarum ſtudia ſectamur.* Epiſt.
p. 78. XXIIX. refert Baluzius, præfationem ſuam ad Antonii Gratiani li-
brum reprobatam fuiſſe ab iis, qui Romæ curam gerunt configendo-
rum librorum, & in numerum prohibitorum relatam, repugnantibus
licet Eminentiſſimis Cardinalibus Bona & Eſtræo, qui & pervicerint,

Digitized by Google

ne nomen ſuum publice ederetur, in decreto Sacræ Congregationis per typographos vulgato; & hanc ſibi mercedem tribui inveſtigatæ veritatis. Verum jucundo Conringius contra ejusmodi facta conſilio ſuadet, ut Baluzius deinceps librorum ſuorum editioni, ac nominatim Capitularibus Regum Francorum, vel lilia Regis, vel privilegium aliquod præfigat, quæ utique valitura ſint mitigandæ Romanæ Curiæ. p. 81.

Cæterum plurima paſſim citantur a Conringio Bibliothecæ Helmſtadienſis MSta, quæ ut a nobis recenſeantur ſigillatim, opus non eſt. At enim ſi quis Hermannum noſtrum paulo propius intueri & eundem facie tenus etiam noſſe deſiderat forte, hunc ablegamus, & ad iconem ejus ſatis eleganter expreſſam, & ad vitæ ſcriptorumque librorum hiſtoriam, hisce Epiſtolis ſimul cum illa præfixam. Id ſolum optamus unice, ut beneficio clariſſimorum Virorum, quos ſub initium hujus enarrationis honorifice indicavimus, prodeat ſine mora nova Epiſtolarum Conringii collectio, & illa cumprimis, quæ commercium ejus cum illuſtriſſimo *Boineburgio*, abs Corbero promiſſa, exhibebit, plena procul dubio non minus graviſſimarum rerum, ſed & grata perinde futura omnibus, qui bonas literas nobiscum amant.

MODERNA THEOLOGIA JUDAICA, delineata per Joh. a Lent, SS. Theol. D. ejusdemque ut & Ling. Orient. & Hiſt. Eccleſ. Prof. Ordin.

Herbornæ, typis & ſumtibus Joh. Nicolai Andreæ, Anno 1694. in 4. Conſtat Alph. 1. plag. 22.

Qui ſacras in Davidis hymnos Obſervationes, Epiſtolasque MSS. Andreæ Maſii, propediem ſe vulgaturum promiſit Autor reverendus & clariſſimus, operam interea perutilem in præſenti Libro commodavit his, qui dogmatum in religione Judaica hodieque receptorum notitiam e compendio haurire deſiderant. Ipſe etenim quæcunque illuc pertinent, ac per varia Doctorum iſtius gentis volumina diſperſa ſunt, in unum veluti Syſtema collegit, nudam ubique theſin indi-

indicans, nec ad refutationem errorum, qui occurrunt, putidiſſimorum progreſſum faciens. Quamobrem & rationem generalem Theologiæ iſtius explicat, & puncta ejus ſpecialia Lectoribus ob oculos proponit.

Poſteaquam nempe c. I. apud Judæos, uti diſciplinarum aliarum nomina conſueta, ita etiam Theologiæ vocem non inuſitatam eſſe oſtendit, varias hujus diviſiones ab iis excogitatas memorat, & occaſione imperfectionis, quam illi in Theologia naturali agnoſcant, traditionem de Ariſtotele ſub vitæ exitum Judaicam religionem amplexo allegat, producta ex R. Gedaljæ ben Jachijæ שלשלת הקבלה ipſiusmet Ariſtotelis epiſtola, qua ſuam converſionem Alexandro M. ſignificaverit. In revelata autem Theologia cum Maimonides tredecim articulos principales conſtituerit, hinc motas ſuper ea re controverſias, & objectiones præcipue, quibus hanc diviſionem impugnaverint R. Chasdai & R. Joſeph Albo, repetit; nihilo tamen ſecius Maimonidem a tota Rabbinorum cohorte in articulis Theologiæ ſuæ pro duce agnoſci dicit, ipſaque hæc tredecim capita cum ſummaria eorundem interpretatione exhibet. Pergens dehinc in c. II. ad duplex religionis hujus principium, Scripturam nempe ſacram ſeu legem ſcriptam, & legem oralem Talmude comprehenſam, priorem magno in pretio haberi apud eos aſſerit, quandoquidem variis iſtam elogiis exornent, perfectam omnino, in vocibus, characteribus, punctisque vocalibus integram, claram item lucidamque eſſe fateantur, frequentem quoque ejus lectionem ſuadeant, & ſacrarum literarum interpretationem maximopere ſimul commendent, duplicem in iis ſenſum vulgo inveſtigantes, literalem unum, alterumque myſticum. Quæ autem de diviſione Vet. Teſt. in Legem, Prophetas, & Hagiographa; de Pentateuchi celebratione præ libris aliis; de Legis Moſaicæ in 54. ordinationes majores, & in præcepta 613 ſectione; de Apocryphis, Novique Teſtamenti libris e Canone excluſis, ſentiant, ea ſingula latius itidem exponit. Mox poſteriorem ſeu oralem legem, non minoris auctoritatis eſſe notat, cum eam ſimiliter a Deo benedicto profectam, Moſique cum lege ſcripta traditam, per continuam ſucceſſionem ad poſteros propagatam fuiſſe, ſummeque proin neceſſariam, quin & lege ſcripta perfectiorem ac pluris faciendam cenſeant.

Sed

Digitized by Google

Sed quod attinet ad ipſa Judæorum hodiernorum dogmata, eorum ſeriem per ſingulos fidei articulos illuſtrat, qui, cum nec alias ignoti ſint, non adeo prolixe a nobis nunc repetendi veniunt. Ut tamen de methodo Auctoris clariſſimi conſtet rectius, minus forſan fuerit dividiæ, ſi potiſſimas ſaltim ſingulorum capitum materias quaſi per tranſennam inſpiciendas exhibuerimus.

Auſpicium ergo ſumit in c. III. a fide de DEO, cujus eſſentiam comprehendi non poſſe ſtatuant, eamque ſpiritualem faciant, prout & Deum ipſum dicant perfectiſſimum, infinitum, ſimpliciſſimum, immutabilem, æternum; omniſcientiam, omnipotentiam, & omnipræſentiam illius vindicantes, & ex infinitis Dei perfectionibus ſummam ejus colligentes gloriam. Aſt Perſonarum Trinitatem vehementer ab iis impugnari, c. IV. docet, contumeliasque in Chriſtum ore improbo effuſas execratur, ac Spiritum Sanctum non pro Deo ipſo, ſed pro virtute donoque Dei ac operatione divina venditari ſuperaddit. Quomodo Deum peccati autorem eſſe inficientur, ejusque præſcientiam cum libertate arbitrii humani conſiſtere probent, Prædeſtinationem tamē per nimias vires homini in ſpiritualibus etiam aſſertas corrumpant, in c.V. exponit. Creationem omnium rerum in c.VI. ita conſiderat, ut eam pro fundamento fidei maxime ſolido agnoſci; mundique æternitatem, & ejus e materia præexiſtente aut prima productionem negari; mundum tamen fingi duplicem, antiquum unum, qui plane diſſolutus ſit deſtructusque, alterum novum, præſentem noſtrum, qui e nihilo pariter ſit conditus; creationem ſoli Deo tribuendam, ſex dierum ſpatio abſolutam, ac menſe Tiſri ſeu Septembri ſuſceptam fuiſſe contendi; e rebus autem creatis animas humanas primo ſimul die omnes dici efformatas; marisque ac fœminæ animas conjunctim productas, unde vel fauſta vel infauſta oriantur conjugia, prout quælibet anima cum pari per eadem jungatur, aut cum impari; Angelos bonos primo ſtatim, malos autem cum inferno ſecundo die credi conditos; cœlum pro animato ſtellasque pro rationalibus haberi; ac tandem circa Adamum, an is a fronte marem, a tergo autem fœminam retulerit, adhuc diſceptari oſtendat. Capite VII. occupatur in exhibenda doctrina Judaica, quæ divinam concernit Providentiam, ubi Maimonidem a multis immerito culpari ait, ac ſi eam non circa animalium individua, plantas, folia,

vilia-

viliaque alia, ſed unice in cura hominum, quibus peculiare aliquod amoris ſui ſignum Numen elucere voluerit, verſari aſſeruiſſet; cum ita potius ſecum ille ſtatuerit, quod Providentia Dei his tantum in genere proſpiciat, quatenus eorum conſervet ſpecies, individuis diſpoſitioni cauſarum ſecundarum relictis, quodque brutis præmiorum & pœnarum in futuro ſeculo diſpenſationem competere negaverit. De cætero autem non ſolum Maimonidem apud Theologos hoc nomine vapulare, ſed etiam R. Levi Barzelonitæ pariter ab Hottingero talia imputari obſervat. Ne referamus pluribus, quæ ad modum hactenus monſtratum de Angelis c. VIII, de homine in ſtatu integritatis, & ad divinam imaginem formato c. IX, eodemque per peccatum deſtituto, & heic ſimul de peccato originis ejusque propagatione & a peccatis actualibus differentia, c. X, de libero hominis peccatoris arbitrio c. XI, fuſe ſatis diſſerit. In fide de homine per gratiam reſtituto, ſive de peccatoris per Meſſiam reconciliatione, recentiores Judæos a veteribus quam longiſſime diſcedere contendit, quandoquidem hi, etiamſi operum aliqua fiducia turgerent, Meſſiæ tamen gratiæque divinæ multum ſæpe tribuerint, cum illi econtra reconciliationem cum Deo non per Meſſiam, ſed per opera meritaque humana, ſive illa ſint propria, ſive aliena, patere pervicaciter exiſtiment, illiusque beneficia ſaltim fore temporalia ſibi perſuadeant. Unde mirum adeo non ſit, quod & in Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo modos alios excogitaverint, bona opera, imprimis eleemoſynas, jejunia, preces, vitæ monaſticæ ſtudium, lacrymas, caſtigationes, & alia iſtius generis aſſidue requirant, ac demortuorum quoque operibus non leve pondus adjudicent, quæ ſingula in c. XIII. uberius deducuntur. Caput XIV. quod agit de obſervantia legis Moſaicæ, ſexcenta illa ac tredecim præcepta, quæ Judæi inde excerpſerint, in medium producit. Quod veram unicamque Eccleſiam apud ſe quærendam eſſe glorientur, teſtimonia in cap. XV. allegata comprobant, & odium, quo Sadducæos, Samaritanos, Karraitas, ac Romanam quoque Eccleſiam præ cæteris, proſequantur, declarant. De Sacramentis inter eos creditis, circumciſione nimirum & epulo paſchali, cap. XVI. Auctor diſpicit, nec annotare omittit, quibus modis ſacra Chriſtianorum myſteria rideant, quomodo transſubſtantiationem maximopere impugnent, ac Reformatorum de S. Cœna ſententiam cum aliis colla-

Digitized by Google

collatam ſibi videri probabiliſſimam confiteantur. Tria poſtrema capita, XVII, XVIII, & XIX, ſtatum hominis ultimum, & eum, qui hanc vitam inſequetur, Judaicis coloribus delineat; ubi de aſſerta animarum immortalitate, earumque circa ſepulchra commoratione, & in corpora alia transmigratione, de mortuorum reſurrectione maſcule defendi ſolita, de extremo judicio vitaque æterna Iſraeli præparata, & ſtatu in eadem futuro, ac denique de inferno diſtinctisque ibi claſſibus, ex inſtituti ratione multa recenſentur.

VALESIANA, OU LES PENSE'ES CRITIQUES, Hiſtoriques & Morales, & les Poeſies Latines de Mr. de Valois, Conſeiller du Roi & Hiſtoriographe de France, recueillies par Mr. de Valois, ſon Fils,

i. e.

Valeſiana, ſive Meditamenta Critica, Hiſtorica & Moralia, ut & Poemata Latina Hadriani Valeſii &c.

Pariſiis apud F. & P. Delaulne 1694. in 12. plag. 16.

Clariſſima ſunt non apud Gallos ſolum, ſed in toto, quam late patet, erudito orbe Valeſiorum *Henrici* & *Hadriani* fratrum nomina; & uterq; certe de literis & hiſtoria eccleſiaſtica meruit optime. Illius vitam ſcripſit Hadrianus noſter, ſeparatim ante hos tredecim annos apud nos excuſam; ſed Hadriani vita præfixa nunc eſt Valeſianorum collectioni, ex Diario Eruditorum Pariſienſi mutuata. Non ingratum arbitramur Lectoribus fore, ſi inde breviter excerpamus, quæ vitam ſummi Viri concernunt, antequam ad reliqua faciamus acceſſum. Natus eſt d. 14. Januarii A. 1607. Carolo de Valois patre, viro nobili apud Normannos inferiores. Omne ſtudium humanioribus literis, & deinceps ætate & judicio maturiore inſtructus, Hiſtoriæ Francicæ eruendæ impendit, adjutus cumprimis variis monumentis & ſtylo Romano, quem elegantem ſibi & perquam familiarem reddiderat. Ejus vero *Hiſtoriæ* Tomum I. edidit anno 1646, II. vero & III. anno 1658, cui annexa Diſſertatio *de Baſilicis*, cujus *Apologiam*

anno 1660. contra Launoyum concinnavit. Eodem anno auctus fuit & titulo *Hiſtoriographi Regii*, (qui honor etiam fratri Henrico obtigerat,) ſtipendio MCC librarum in ſingulos annos. Anno 1663. imprimi curavit duo Poemata ex MS. cum ſuis commentariis. Circa finem anni 1664. cum conjugi demum ſuam addixiſſet fidem, ex ea deinceps & filium, optimi patris ſpei exacte nunc reſpondentem, & filiam, brevioris vitæ, ſuſtulit. A. 1666. Diſſertationem ad celeberrimum Wagenſeilium, de reperto nuper in quadam Dalmatiæ urbe *Petronii Arbitri fragmento* conſcripſit, ejusque falſitate detecta, ſimul ex ſententia fratris Henrici, probatum ivit, Petronium fuiſſe natione Gallum, & inde ab Imperio Neronis vixiſſe ſub Antoninis, teſtimonio Sidonii, Macrobii & Apuleji confirmavit. Anno 1675. edidit *Notitiam Galliæ*, pulcherrimum opus. Anno 1676. menſe Majo fratrem amiſit, non ſine dolore, de cujus ſcriptis multa dicere jam non eſt opus. Anno 1681. ſecundam, poſt priorem fratris, *Ammiani Marcellini* editionem adornavit, ſed anno 1684. Diſſertationem unam contra *Chiffletium*, & aliam, contra quendam *Benedictinum*. Ab illo tempore quietem indulſit operis typographorum, tametſi parata ad prælum habuerit *Poematum* Latinorum collectionem, *Commentarium in Juvenalis Satyras*, *Epiſtolas* varii argumenti, *Notas* in Florum & ſcriptores alios. Tandem anno 1692. d. 2. Julii obiit placide extinctus non tam morbo, quam ſenio annisque & laboribus confectus.

In Valeſianis hæc nobis præ aliis viſa ſunt notatu digniora. P. 3. iſta verba, quæ proxime ab initio Evangelii Johannei extant: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat &c.* mutatis diſtinctionibus, hac ratione, ut ſenſus fiat planior, vult collocari: *Et ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, vita erat &c.* P. 6. De Paſquierio refert, quod conjugem ſortitus fuerit indeſinenter querulam, dictisque domeſticos inceſſentem, quin & ipſummet etiam maritum. Pulchellum ſane eſt, quod eam in rem confecit epigramma Paſquierius, quod ita ſe habet:

Nulla dies nobis, non horula præterit una,
Non punctum, nullus temporis articulus,
Quo non væ! miſeris ſervis ſuccenſeat uxor,
Succenſetque mihi, ni ſimul ipſe querar.

Illius

Illius ad nutum totus componor, & idem
Pacificus cum ſim, triſtia bella gero.
Sic mihi pax bello, ſic bellum pace paratur,
Et placide ut poſſim vivere, vivo miſer.
Sic vel cum ſervis, vel conjuge litigo; ſic eſt
Heu! mihi conjugium litigioſus amor.

P. 14. probare contendit, morbum Gallicum antiquis non fuiſſe incognitum, non eo ſolum argumento, quod plurimi apud illos æque immoderata Venere fuerint uſi ac hodie multi, ſed etiam ex iſto Taciti loco Annalium IV. de Tiberio ſic ſcribentis: *Erant, qui crederent in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe. Quippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulceroſa facies ac plerumque medicaminibus interſtincta.* P. 19. Joh. Baptiſtam Thiers, qui de illicito ſacerdotibus capillamentorum uſu commentatus eſt, ait etiam de illicito iisdem rhedarum uſu meditari librum, & p. 26. Petavium quotannis ſemel Deſpauterii Grammaticam perlegiſſe narrat. P. 37. Hadrianum noſtrum contra Monmaurium profeſſorem Pariſienſem faſciculum ſatyrarum, ſed rariſſimum nunc inventu, evulgaſſe indicatur ſub hoc titulo: *Petri Monmaurii Græcarum literarum Profeſſoris Regii Opera in duos tomos diviſa, iterum edita, & notis nunc primum illuſtrata a Quinto Januario Frontone*, Pariſ. 1643. in 4. P. 49. originem fabulæ de 11000 virginibus, ex ſententia Sirmondi, inde ducit Valeſius, quod inepti quidam ſcribæ in Martyrologio MS. ita repererint: SS. VRSVLA ET VNDECIMILLA V. M. i. e. *Sancta Urſula & Undecimilla Virgines Martyres*; ſed putarint, quod vox *Undecimilla* cum V. & M. proxime inſequentibus, per abbreviationem literarum eſſet ſcripta, pro *Undecim Millia Virginum Martyrum*, & fabulam adeo inde effinxerint. P. 66. obſervat, *culina* vocabulum idem ſignificaſſe priſcis ac latrinam, & p. 81. 82. affert locum ex Chronico quodam MS. ſancti Medardi Sueſſionenſis in anno Chriſti 1261. definente, quo agitur de Hæreticis, qui *Piſti*, aliis *Bulgari*, vocati fuerint, Franciam, Flandriam &c. maxima multitudine pervagantibus. P. 128. notatur Faber, ille Græcæ linguæ in Academia Salmurienſi Profeſſor, quod Gallicum ſuum prænomen *Tanneguy* Latine reddiderit per *Tanaquil*; cum id nomen non viro proprium ſit, ſed fœminæ, & id potius reddi debuerit per *Tanneguidus*; perinde ut *Guy*

 Patin

Patin minus recte ſe appellaverit *Guido*, loco *Vitus*. P. 192. docet ex MS. fide, ejus Grammatici, qui vulgo appellatur *Priſcianus*, genuinum nomen eſſe *Praſcianus*. Præterea plurima paſſim in Suetonio, Cæſare, Catullo, aliisque depravata priſtino reſtituuntur decori loca; & prolixæ p. 208. ſqq. extant Valeſii notæ & emendationes in *Du Cangii* Gloſſarium mediæ ſeu barbaræ Latinitatis, quod erroribus infinitis ſcatere affirmat; num vere ita, an forte ex quodam contra illum præjudicio, hic non disquirimus.

Tandem annexa ſunt Valeſii ejusdem Poemata, e quibus tantum non omnia felix ingenium & propitiis admodum Muſis natum arguunt. In ſpecimen duo ſolum epigrammata allegabimus, p. 78. in *Colletetum*, celebrem poetam Gallum, famulas ſuas ducentem:

Quidam Poeta noſter, arte, moribus,
Natus magis Poeta quam factus tamen,
Comis, bonus, jucundus, & dicax homo,
In conjugalem recipit ancillas torum,
Forisque non vult quærere, quod habet domi.
Neu cælibatus ſentiat moleſtias,
Subſtituit aliam protinus demortuæ,
Matremfamilias de miniſtra redditam:
Exſolvat ut ſe debitis mercedibus,
Ultro jugali vinciens ſe compede.
Sic quinque famulas duxit. Hæc connubia
Vocare poſſis nuptias poeticas.

& p. 88. illud, quo Muſis valedicit:

Nunc Vos, Pierides, duo quas per luſtra laceſſo
Aſſiduus, vos luce mihi (meminiſſe poteſtis)
Dilectæ magis: En veſtros non ſponte relinquo,
Suavem animi errorem, luſus, cantusque choreasque.
Extremum ſalvete mihi, extremumque valete.
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.

G. G. L.

Digitized by Google

TAB. VII. ad A. 1694. pag. 311.




Fig: 1.




Fig: 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

G. G. L. NOVA CALCULI DIFFERENTIALIS Applicatio & uſus, ad multiplicem linearum conſtructionem, ex data tangentium conditione.

MEmini jam a me inſinuatum in his Actis, ut rectarum ordinatim ſumptarum concurſu hactenus noto, ita & concurſu curvarum lineas formari. Sed placet rem non parvi ad Geometriam augendam momenti exponere diſtinctius; nam ne in rectis quidem concurrentibus tota ejus vis fuit perſpecta. In genere igitur hoc problema ad communis Geometriæ leges revocare hic docebo: *Lineis* (rectis vel curvis) *propoſitam tangentibus, poſitione ordinatim datis, invenire propoſitam*, vel quod eodem redit: *invenire lineam, quæ infinitas lineas ordinatim poſitione datas tangit.* Cujus uſus cum latiſſime pateat, calculum in eam rem peculiarem jamdudum excogitavi, vel potius huc peculiari ratione applicui noſtrum Differentialem compendio non contemnendo. Scilicet quemadmodum *Carteſius* loca veterum calculo exprimens æquationes adhibuit, quæ cuivis curvæ puncto conveniunt, ita nos æquationes hic adhibemus infinities ampliores, quæ cuilibet puncto cujuslibet curvæ *in ſerie ordinatim ſumtarum curvarum* comprehenſæ, accommodantur. Itaque x & y abſciſſa quidem & ordinata, ſeu *coordinatæ* eſſe intelliguntur cujusvis ex dictis curvis, ſed ſpeciatim tamen accipiuntur de curva ex ipſarum concurſu *formata* ſeu ipſas tangente; utili quodam *æquivocationis characteriſticæ* genere. *Coefficientes* a, b, c, in æquatione cum ipſis x & y uſurpatæ, ſignificant quantitates in eadem curva *conſtantes*, alias quidem *inſitas* (nempe *parametros*) alias vero *extraneas*, quæ ſitum curvæ (adeoque verticis axisque) definiunt. Sed comparando curvas ſeriei inter ſe, ſeu tranſitum de curva in curvam conſiderando, aliæ coefficientes ſunt *conſtantiſſimæ* ſeu *permanentes*, (quæ manent non tantum in una, ſed & in omnibus ſeriei curvis,) aliæ ſunt *variabiles*. Et quidem ut *ſeriei curvarum lex* data ſit, neceſſe eſt unicam tantum in coefficientibus ſupereſſe variabilitatem, adeoque ſi in *primaria* pro omnibus curvis *æquatione* naturam earum communem explicante plures extent variabiles, neceſſe eſt dari alias *æquationes acceſſorias*, coefficientium variabilium dependentiam inter ſe exprimentes, qua- TAB. VII.

rum ope omnes variabiles ex æquatione primaria tolli poſſint præter unam. Cæterum pro concurſu duarum linearum proximarum, ſua interſectione punctum curvæ quæſitæ (quam & tangere intelliguntur,) determinantium, manifeſtum eſt, concurrentes quidem, adeoque lineam ex concurſu *formatam* tangentes, eſſe geminas; interſectionis autem ſeu concurſus punctum eſſe unicum, adeoque & ordinatam ei reſpondentem unicam eſſe; cum alioqui in inveſtigatione ſolita linearum propoſitam tangentium, rectarum vel curvarum (velut circulorum, parabolarum &c.) ex datæ curvæ ordinatis quærendarum, ordinatæ *geminæ*, tangentes *unicæ* concipiantur. Itaque quoad præſentem calculum, quo ipſæ ex tangentibus rectis vel curvis poſitione datis inveſtigantur ordinatæ (contra quam in communi) manent coordinatæ x & y in hoc tranſitu (a proximo ad proximum) invariatæ, adeoque ſunt indifferentiabiles; at coefficientes, (quæ in communi calculo indifferentiabiles cenſentur, quia conſtantes,) quatenus hic variabiles ſunt, differentiantur. Notabile eſt autem, *ſi omnes inſitæ coefficientes ſint permanentes*, curvæque adeo ordinatim concurrentes ſint congruæ inter ſe; perinde fore, ac ſi intelligantur *eſſe veſtigia ejusdem lineæ motæ*; curvaque earum concurſu formata lineam motam perpetuo durante motu tanget. Unde in hoc caſu oritur connexio quædam cum generatione *trochoëidum*; nam & baſis, ſuper qua volvitur generatrix trochoëidis, generatricem durante motu tangit.

Calculus autem ita inſtituetur: aſſumatur aliquis angulus rectus fixus, cujus crura utcunque producta conſtituere intelligantur duos axes relationis curvarum, ſeu axem cum axe conjugato; in quos demiſſæ normales ex puncto curvæ quocunque erunt ordinata, x, & ordinata conjugata ſeu abſciſſa, y; uno verbo: *coordinatæ*, x & y; quarum relationem ex datis quærendo habebitur *æquatio*, (1) quam paulo ante appellavimus *primariam*, cum ſit cuilibet cujuslibet curvarum ordinatim ſumtarum puncto communis. Quod ſi æquationi 1, inſunt plures coefficientes variabiles, ut b, c, dabitur earum dependentia per *ſecundariam* æquationem, (2) unam vel plures; atque ita ex æq. 1 tollendo coeffiicientes variabiles, præter unam b prodibit æq. (3) Hanc æquationem differentiando, ut prodeat æq. (4) cum in ea ſola affutura ſit differentialis ipſius b, evaneſcet differentialitas, adeo-

adeoque habemus æq. 4. ordinariam, cujus ope ex æq. 3 tollendo variabilem reſiduam *b*, habebitur æquatio, (5) in qua præter *x* & *y* tantum ſupererunt coefficientes invariabiles (ut *a*) quæ erit *æquatio* ad curvam quæſitam concurſu ſeriei linearum formatam, adeoque *ad ſeriei linearum tangentem communem*. Sed & aliter inſtitui poteſt calculus, prout facilitas invitabit, non tollendo ſtatim variabiles, ſed ſervando. Nempe datis æq. (1) primaria, & æq. (2) ſecundaria (una vel pluribus pro explicanda dependentia coefficientium variabilium inſervituris) differentientur æq. 1, ut prodeat (3), & æq. 2, ut prodeat (4) (una vel plures, ſi pro æq. 2 affuerint plures.) Ita habebimus plures quantitates differentiales, ſed tamen habebimus & æquationes ſufficientes ad eas tollendas; & quidem modo tolli poſſint differentiales quantitates usque ad unam; etiam reſidua iſta evaneſcet per ſe, & ſic prodibit æq. (5) ordinaria, ſeu carens quantitate differentiali; quam conjungendo cum æq. 1 & 2 tolli poterunt variabiles omnes, & prodibit æq. (6) naturam exprimens curvæ quæſitæ, linearum concurſu formatæ, quæ erit eadem cum æq. 5 calculi prioris.

Hac jam methodo ſolvi poſſunt innumera problemata ſublimioris Geometriæ, hactenus non habita in poteſtate, pertinentiaque ad tangentium converſam; ex quibus nonnulla in ſpecimen indicabo, magnæ utique generalitatis. Veluti: data relatione inter A T & A Θ reſegmenta axium per curvæ tangentem C T facta, invenire curvam C C; nam rectæ curvam tangentes ordinatim poſitione dantur, adeoque & curva quæſita, quippe quæ earum concurſu formatur. Vel ſi dato puncto axis T, detur lineæ datæ E E punctum E, ſic ut juncta T E, ſi opus producta, quæſitam curvam C C tangat, patet ex dictis curvam C C præſcripta hic methodo haberi. Similiter data relatione inter A P & A Π, reſegmenta axium facta per curvæ perpendicularem P C, licet invenire curvam C C: nam ob rectas P Π ordinatim poſitione datas, etiam datur linea F F formata per earum concurſum; hujus vero evolutione deſcribetur curva C C quæſita. Unde hic quidem infinitæ curvæ ſatisfacientes dari poſſunt, omnes ſcilicet *parallelæ* inter ſe, quæ ejusdem lineæ evolutione *condeſcribuntur*; & data relatione inter A P & A Π dari poteſt *curva quæſita* non tantum ſatisfaciens, ſed & *tranſiens per punctum datum*. Interim hoc caſu curva C C non ſemper eſt ordinaria, quoniam ſcilicet non ipſamet,

ſed

Digitized by Google

ſed ipſius per evolutionem generatrix rectarum poſitione datarum concurſu formatur. Certe cum ipſa curva formatur concurſu, habetur *determinata*, nec in arbitrio eſt punctum, per quod tranſeat; quæ diſtinctio utilis eſt in hac doctrina.

Sed exemplum calculi dabimus in problemate itidem generali, ad aliquam tamen ſpecialem lineam applicato: *data relatione perpendicularis* P C *ad proprium ab axe reſegmentum* A P, *invenire lineam* C C. Patet enim datis poſitione punctis C, nempe centris circulorum, & radiis P C datis magnitudine (ob datam relationem ad A P) *dari ordinatim circulos lineam* C C *tangentes*, adeoque lineam ipſam circulorum concurſu formatam haberi poſſe, id quod jam verbulo indicaveramus olim in *Actis 1686 menſe Junio* p.300, ſub ſchediaſmatis finem. Itaq; centro P, radio P C magnitudine dato, deſcribatur circulus C F. Ut ergo methodum paulo ante poſitam huc applicemus: ex puncto circuli quocunque F agantur normales ad crura anguli recti P A H, ſeu coordinatæ F G, y, & F H, x (quæ in caſu concurſus duorum circulorum incidunt in C B, C L) ſit A P, b, & P C, c; fiet ex natura circuli, $xx + yy + bb \overset{(1)}{=} 2bx + cc$ æquatio primaria omnibus noſtris circulis & cuique cujusque puncto communis. Quoniam autem datur relatio inter A P & P C, dabitur curva E E, cujus ordinata P E æquetur ipſi P C; hæc curva ponatur (exempli gratia) eſſe parabola, cujus parameter, a, & fiat $ab \overset{(2)}{=} cc$, quæ æquatio ſecundaria exhibet relationem ſeu dependentiam inter c & b. Hujus ope tollendo c, ex æq. 1, fiet $xx + yy + bb \overset{(3)}{=} 2bx + ab$; patet autem in æq. 1. præter coordinatas x & y, adeſſe coefficientes c, b, a; ex quibus c & b ſunt in uno circulo conſtantes, & c quidem eſt circulo inſita, cum ejus radium deſignet; b eſt extranea, quippe ſitum centri deſignans; ambæ variatis circulis ſunt variabiles, ſed a eſt conſtantiſſima ſive permanens, cum non unius tantum circuli omnibus punctis, ſed & pro omnibus circulis noſtris in æquatione maneat eadem. Reducta jam æquatio 3 ad unam coefficientem variabilem b, differentietur, ſecundum b (ſolam in ea differentiabilem) & fiet $2bdb = 2xdb + adb$, ſeu (evanſcente db) fit $b \overset{(4)}{=} x + a:2$ (qui calcu-

lus

Digitized by Google

lus in caſu unius differentiabilis in effectu coincidit cũ methodo vetere de maximis & minimis a *Fermatio* propoſita, ab *Huddenio* promota, ſed quæ tantum eſt corollarium noſtræ.) Jam ope æq. 4. tollendo reſiduam coefficientẽ variabilem *b*, ex æq. 3 fiet $ax + aa : 4 \overset{(5)}{=} yy$, quæ eſt æquatio ad curvam *cc* quæſitam. Idque indicio eſt eam eſſe parabolam, ipſi datæ AE congruentem, ſed paulo tantum aliter ſitam; continuata enim CC vertice ſuo V incidet in axem AP, ſed ſupra datæ AE verticem A, ita ut diſtantia verticum AV ſit communis lateris recti pars quarta. Si alteram calculandi rationem malis, per plures differentiales; reſumtæ æquationes 1 & 2 differentientur, & ex 1 fiet $b\,db \overset{(3)}{=} + db + c\,dc$, ſed ex 2 fiet $a\,db \overset{(4)}{=} 2\,c\,dc$, quarum (3 & 4) ope tollendo *dc*, evaneſcet ſimul & *db*, & fiet $b \overset{(5)}{=} x + a : 2$ ut paulo ante. Unde jam per 1, 2, 5 tollendo *c* & *b* coefficientes variabiles; prodibit $ax + aa : 4 \overset{(6)}{=} yy$ pro æquatione lineæ quæſitæ, ut ante.

Atque ita docuimus data relatione perpendicularis P C ad proprium ex axe reſegmentum A P exhibere lineam C C, quia ordinatim dantur circuli lineam tangentes. Sed data relatione rectæ tangentis T C ad proprium ex axe reſegmentum A T (ſeu circulis normalibus ad lineam ordinatim datis) invenire lineam, C C; alterius eſt methodi, & *conſtructione tractoria* talis linea haberi poteſt, a nobis in his *Actis Sept. anni ſuperioris menſe* explicata. Hujus autem præſentis methodi noſtræ maximus præterea eſt uſus ad complura alia problemata Geometriæ ſuperioris, aut etiam ad mechanica vel phyſica applicatæ. Cum enim id agitur, ut figura formetur, in quovis puncto dato ſuæ lineæ terminantis præſtans aliquid deſideratum, perſæpe conſequimur quæſitam formando ipſam concurſu linearum, quarum quævis in aliquo puncto ſatisfacit, ipſomet ſc. puncto concurſus. Hac ratione jam olim in ſchediaſmate *de Lineis Opticis* inveni modum lineas exhibendi, quæ radios ordinatim poſitione datos, ſeu a datæ figuræ ſpeculo venientes, reddant convergentes, aut divergentes, aut parallelos. Formatur enim talis linea ellipſium concurſu, ſi radii debeant fieri convergentes; eademque methodus valet, ſi reddendæ ſint parallelæ aut divergentes.

Rr P. S.

Digitized by Google

P. S.

Solutionem ſuam Problematis Bernoulliani menſe nupero Majo una cum objectione Anonymi Actis Eruditorum inſertam, Dn. Marchio Hoſpitalius Autor defendere non diſtulit, oſtenditque, ut intellexi, Anonymum, ſi calculum ſuum ad finem perduxiſſet, ipſummet ſolutionis datæ ſucceſſum fuiſſe deprehenſurum. Cæterum Anonymus ille aliam ſolutionem non dedit, neque id ſecundum Analyſin vulgarem facile præſtari poteſt. Noſtra autem nova, adeoque & Dn. Marchionis ac Dominorum Bernoulliorum Methodus, non hoc tantum, ſed &, quemadmodum jam menſe Julio p. 313. in Actis anni ſuperioris eſt admonitum, innumera ſimilia ſolvit, ſive abſolute pro re nata, ſive per quadraturas. Et generale Problema ſic concipi poteſt: *Data ratione inter duas Functiones invenire Lineam.* Data ratio intelligitur, quæ eſt inter duas datas, velut m & n. *Functionem* voco portionem rectæ, quæ ductis ope ſola puncti fixi & puncti curvæ cum curvedine ſua dati rectis, abſcinditur. Tales ſunt: Abſciſſa A B vel A β; ordinata B C vel β C; tangens C T vel C θ; perpendicularis C p vel C π; ſubtangentialis B T vel $\beta\theta$; ſubperpendicularis B P vel $\beta\pi$; per tangentem reſecta A T vel A θ; per perpendicularem reſecta A P vel A π; correſecta P T vel $\pi\theta$; radius oſculi ſeu curvedinis C F; & aliæ innumeræ.

DESCRIPTIO PHÆNOMENI TRIUM SOLIUM eodem tempore ſuper Horizonte viſorum a Dn. Caſſini: translata ex Commentariis Mathematico-Phyſicis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis, editis d. 31. Januar. A. 1693.

Quamvis parelii non ſint infrequentes, rariſſime tamen illis comparent ſimiles, quales d. 18. Januarii anni 1693. oriente Sole ab illuſtri Caſſino conſpecti fuerunt. Cœlum eo tempore verſus orientem nubibus erat coopertum, illa excepta horizontis parte, qua Soli ſurgendum erat, quippe quæ ſuda erat ad unum circiter altitudinis gradum, aut paullo minus. Elapſis hora matutina ſeptima & fere 38. minutis, primum quidem ſplendida ibidem lux in conſpectum veniebat, cujus

Digitized by Google

cujus amplitudo apparentem Solis diametrum æquabat, quæque perpendiculariter usque ad nubes elevabatur: deinde vero in hac luce inter nebulas illuſtratas integri diſci Solaris imago apparebat, unde radii ad horizontem perpendiculariter adſcendebant in acumen deſinentes, altitudine 10 graduum. Cum autem interim *Caſſinus*, qui Solem hoc phænomenon eſſe putarat, limbum ſuperiorem Solis veri in horizonte ita fulgentem cerneret, ut tempore maxime ſereno ſolet, non potuit non inopinatum hoc ipſi accidere. Ille tamen fulgor ſtatim eum a parelio diſtinguebat, qui integer adhuc in eademque linea verticali ſupra verum Solem, eadem cum ipſo magnitudine & figura, apparebat, & nubes radiis ſuis perpendicularibus illuſtrabat. Non ita multo poſt, quam verus Sol totus fere nubibus ſe involverat, Dominus Caſſini præter opinionem inferius tertium animadvertit Solem, ejuſdem cum primo magnitudinis & figuræ, & in eadem linea verticali. Ultimus hic Sol lumen aliquod inferius poſt ſe trahebat, non abſimile illi, quod primus ſuperius habebat, quodque ſupra horizontem elevabatur. Durabat quoque interim primus parelius, ſed ejus perpendiculares radii ſenſim debiliores fiebant & breviores. Tandem vero uterque paulatim extinguebatur, ita ut hor. 7. min. 58. plane diſparerent.

Hoc phænomenon inſervit explicationi duorum aliorum, de quibus in Commentar. mathem. phyſic. April. anni præced. actum, & quorum prius 21 Maji A. 1672, poſterius 21 Martii 1692. obſervatum fuit. Vero enim perquam ſimile eſt, illa meteora ejuſdem cum hoc naturæ fuiſſe, ſed ſolos radios ad horizontem perpendiculares, qui ſequebantur motum Solis, poſt ejus obitum, in conſpectum veniſſe, quique amplius quam hoc extendebantur in longitudine & latitudine, propter Solis abſentiam.

Conducit quoque ad explicandum rariſſimum aliud phænomenon, viſum in Sinu Sambracitano (le Golphe de Grimaud en Provence) anno 1686. d. 13. Septembris. Mare admodum tranquillum cœlumque ſerenum erat & nubibus vacuum, præterquam in regione orientali, ubi vapor rubicundus ad 3. grad. altitudinem ſurgebat, cum Dominus *Chazelles*, Profeſſor hydrographiæ regius, accingens ſe ad obſervandum ortum Solis, ſubito vidit ſuper horizonte adparere diſcum Solis male terminatum quidem, ſed admodum ſplendentem. Poſt minutum, quaſi Sol ſub horizontem reverteretur, dimidia ſolum diſci

Digitized by Google

pars apparebat bene terminata & admodum rubicunda. Tandem ordinario modo Sol oriebatur, & cum ſupra horizontem emerſiſſet, inſequi eum videbatur claritas admodum vivida, quæ dum inferiori cum diſci limbo confundebatur, inſtar ſtylobatæ cui Sol impoſitus adparebat. Tandem hæc claritas mutabatur in conum luminoſum, cujus apex horizontem tangebat, cum Sol elevatus fuiſſet altitudine ſuæ diametri, & poſt minutum diſparebat.

Diſcus ille luminoſus, qui Dn. *Chazelles* ſubito apparuit ſuper horizonte, & quem ille pro Sole habuit, procul dubio nihil aliud fuit, quam parelius, ſimilis Soli ſpurio primo, quem Dn. *Caſſini* d.18. præſentis menſis obſervavit, quemque vix potuiſſet diſtinguere ab ipſo Sole, niſi utrumque ſuper horizonte vidiſſet. Secundus parelius *Caſſino* viſus caudam poſt ſe trahebat radioſam, quæ contrahebatur verſus horizontem, eundem fere in modum, quo conus luminoſus, quem Dn. *Chazelles* ſub Sole vidit. Probabile ergo eſt, ambo meteora ejusdem fuiſſe naturæ: verum illud, quod Dn. *Chazelles* adparuit, longe fuit imperfectius altero, ubi Sol verus inter duos adulterinos adparebat, quorum radii in oppoſitam Soli vero partem tendebant, unius quidem ſurſum, alterius deorſum.

Fortaſſis quoque celebris illa obſervatio Hollandorum, qui Solem ſuper horizonte in Nova Zembla videbant quatuordecim diebus citius, quam ſecundum Aſtronomiæ principia adparere debebat, per hoc novum phænomenon explicari poteſt. Valde quidem ſoliciti fuere Aſtronomi de ratione hujus mirabilis paradoxi invenienda. Quidam enim Hollandos falſos fuiſſe putabant in elevatione poli capienda: quidam locum, ubi Hollandi exſcenſionem fecerant, inſulam fluctuantem eſſe ſibi imaginabantur, quæ a ſeptentrione verſus auſtrum 60. leuc. promota fuerit ab illo tempore, quo altitudo poli indagata fuerat: Aſtronomi vero præſtantiſſimi effectum hunc extraordinarium, cum aliter ſe expedire non poſſent, refractionibus tribuebant.

Verum prima pariter & ſecunda opinio defendi plane non posſunt, quoniam obſervationes, quas Hollandi ante hoc phænomenon & poſt illud fecerunt eodem in loco, apte ſatis quadrabant cum altitudine poli aſſumta: tertia vero ſententia parum veroſimilis eſt, cum nullum extet tam prodigioſæ refractionis exemplum. Videtur ergo

poti-

potius, id ipſum, quod Hollandi Solem eſſe putabant, fuiſſe parelium illi, qui 18. Januar. viſus fuit, ſimilem; & hæc conjectura vel ideo majorem veri ſpeciem habet, quia Solem ſatis clarum non viderunt, niſi 19 Februarii, cum meridie tres gradus eſſet altus, & ſupputantes altitudinem poli per obſervationem Solarem, illam invenerunt conformem eidem, quam antea ex obſervatione aliorum ſiderum derivaverant.

Non referunt hiſtoriæ naturalis conditores, unquam viſos fuiſſe parelios Soli tam vicinos, quam illi fuerunt, qui d. 18 hujus menſis comparuerunt. Eorum enim centra non erant a Solis centro remota, niſi ad ſummum 34 minut., cum centra pareliorum ordinario diſtent ſæpe plus quam $22\frac{1}{2}$ grad., quandoque 45 gr., imo etiam 90 grad.

Quemadmodum igitur phænomenon hoc rariſſimum eſt, ita oportet etiam, concurſum cauſarum ad ejus formationem neceſſariarum rariſſime contingere. Quapropter non poſtulandum eſt, tales ut afferamus ejus cauſas, quæ ſæpius poſſint occurrere, ſed ſufficit proponere hypotheſin, quæ apta ſit ad explicandum, quomodo naturaliter formari poſſit. Notum eſt, parelios ordinarie mediante reflexione & refractione radiorum Solarium fieri; verum illi, quos jam deſcripſimus, parelii præcipue reflexioni ſuam debent originem. Neque enim ulla colorum varietas in illis adparebat; erantque tam bene fere ac ipſemet Sol terminati, quando in horizonte verſatur; nec non ejuſdem cum hoc ſidere figuræ & magnitudinis, ſed pallidiores.

Quærenda ergo ſunt in aere corpora, quæ apta ſint ad reflectendos Solis radios, & ita diſpoſita, ut poſſint repræſentare duos parelios, quorum centra diſtent a centro Solis intervallo 34 minut.

Supponere ergo licebit *primo*, quoniam aer erat frigidiſſimus, cum meteora illa adparebant, eidem inhæſiſſe magnam vim foliorum glaciatorum, valde exæquatorum, planorum, & tenuium, quorum ſuperficies erant parallelæ inſtar foliorum glaciei, quæ ſæpe ſtellas nivis componunt, & quæ ſibi incumbentia grana albæ pruinæ efformant, ut ope microſcopii videre licet.

Secundo, plurima ex his foliolis inclinata fuiſſe verſus radios Solis ad oculum ſpectatoris pervenientes, & alia fuiſſe aliis magis incli-

nata 17. minut., cum 17. minuta ſint dimidium diſtantiæ apparentis inter centrum Solis & pareliorum.

Tertio, radium centralem Solis, qui in radios debiliores dividi poteſt, dum oblique incidit in foliolum tale, diviſum fuiſſe in duos alios radios, quorum unus tranſierit per foliolum glaciei, ita ut non ſenſibiliter detorqueretur a duabus refractionibus factis in ſuperficiebus inſenſibiliter a ſe invicem remotis, & ad oculum ſpectatoris perveniens eidem verum Solis centrum repræſentaret: alter vero radius reflexus fuerit ita, ut angulus reflexionis eſſet æqualis angulo incidentiæ, ſecundum legem reflexionis ordinariam.

Quarto, radium hunc reflexum incidiſſe in quoddam ex alterius generis foliolis inclinatis 17 minut. verſus prius e regione oculi ſpectatoris, & hinc repercuſſum fuiſſe verſus radium directum continuatum usque ad oculum, & feciſſe cum hoc radio angulum 34 min. duplum ſcil. inclinationis mutuæ foliolorum glaciei; & tandem unum ex his foliolis in ea fuiſſe diſtantia ab altero, ut oriretur quoque idem angulus 34. min. in oculo ſpectatoris: atque ita radium bis reflexum exhibuiſſe in altero glaciei foliolo centrum parelii diſtans 34. min. a centro Solis, ſecundum Obſervationem.

TAB. IIX. Figura huic diſcurſui juncta, inſerviet ad melius capiendam foliolorum glaciei diſpoſitionem.

Sit ab radius centralis Solis oblique incidens in folioli cd punctum b: ſit bl radius reflexus faciens angulum lbd æqualem angulo abc aut dbe: ſit gh foliolum glaciei inclinatum verſus foliolum cd angulo gic 17 minut. unde reflectitur radius fe faciens angulum ife æqualem angulo gfb aut lfb.


Quoniam ergo angul. $lfi = lbi + bif$, & $lfe = 2lbi + 2bif - lbe + bef$, h.e. $2lbi + bef$. Ergo bef eſt æqualis duobus bif, quorum ſinguli ſunt 17 minut. & conſequenter ipſe eſt 34 min. quæ determinant diſtantiam adparentem inter centrum parelii f & Solis b, viſi per radium eba, qui glaciem transparentem pervadit.

Quod autem dictum fuit de radio centrali, de aliis quoque intelligendum eſt radiis, qui a diverſis reliquis punctis Solis proveniunt, ut univerſi integrum ejus diſcum repræſentent.

Duo alia foliola contraria ratione reſpectu priorum diſpoſita referent centrum alterius parelii, in latere adverſo.

DE

Digitized by Google



TAB. VIII. ad A. 1694. pag. 320.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SACRIS ÆDIFICIIS A CONSTANTINO MAGNO conſtructis Synopſis hiſtorica Joannis Ciampini Romani, Magiſtri Brevium Gratiæ ac in utraque Signatura Referendarii.

Romæ A. 1693. apud Joannem Jacobum Komarek in fol. Conſtat 2 alphab. & plag. 14. ac tab. æn. 35.

Cum jam ante ſeptem annos in deſcribendis ſacris ædificiis a Conſtantino M. tam in Oriente, quam in Occidente conſtructis illuſtrisſimus Autor occupatus eſſet, a familiari quodam eoq; erudito viro rogatus, unde ſacrorum illorum ædificiorum notitias hauriret, ingenue reſpondit, ſe ratione orientalium ædificiorum multa Euſebio, ratione occidentalium multa Anaſtaſio Bibliothecario debere. Cum autem ille regeſſiſſet, Anaſtaſium, quippe Scriptorem, quem Conſtantinus M. aliquot ſeculis anteceſſit, non multum fidei mereri, doctiſſimus Ciampinus Anaſtaſii tutelam prius ſuſcipiendam, quam illum de Conſtantini ædificiis ſacris tractatum edendum ratus, examen libri pontificalis ſive vitarum Romanorum Pontificum, quæ ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur, compoſuit, quod in Supplement. Actorum noſtrorum tomo primo ſect. 4. p. 167. jampridem recenſuimus.

Nunc Synopſin Hiſtoricam ſacrorum ædificiorum a Conſtantino M. conſtructorum ſuperiore anno editam, breviter pro inſtituti noſtri ratione referemus.

Poſt ſuccinctam de converſione Conſtantini Magni & præcipuis ejus geſtis hiſtoriam a baſilica Lateranenſi incipit, quæ ſub auſpicatiſſimo nomine Salvatoris erecta, molis & famæ ſuæ exordia Conſtantino M. debet, unde interdum Conſtantiniana appellata fuit. Eadem eccleſia a plurimis ornamentis aureæ, & a proximo baptiſmali fonte S. Joannis cognomentum adepta, uſitatius Lateranenſis dici ſolet ab ædibus nobiliſſimæ familiæ Lateranorum in monte Cœlio, a quibus hæc baſilica ortum ſuum traxit. Hac occaſione de Laterano-

rum

rum familia Autor diſſerit, obſervans primum hoc nomine uſum L. Sextum Sextinum Lateranum, qui cum L. Æmilio L. F. M. N. Mamercino Patricio A. U. C. 388. Olympiadis 103. anno 3. Conſul creatus eſt, & ab hoc L. Sextio nullam Lateranorum memoriam usque ad Neronis & ſequentium Imperatorum tempora factam eſſe. Sub Nerone floruiſſe Plautium Lateranum, cujus Tacitus l. 15. Annalium meminit; ſub M. Aurelio Sextilium Lateranum, cujus conſulatum Julius Capitolinus memoravit, & ſub Severo Claudium Lateranum, cujus monumentum vetuſto marmori inciſum Auguſtæ Vindel. in ædibus Conradi Peutingeri extat, Gruterianis quoque inſcriptionibus inſertum. Quam ſplendidæ autem & magnificæ Lateranorum ædes fuerint, Ciampinus noſter ex Juvenali aliisque autoribus ethnicis probat, quibus etiam Hieronymum adjungit, qui in epitaphio Fabiolæ *baſilicam quondam Laterani, qui Cæſarino truncatus eſt gladio*, memorat, per Lateranum illum Plautium Lateranum intelligens Neronis gladio interfectum, cujus ædes in Cælio monte ſitas magnificentiꝰ extruxiſſe ejusdem pronepotem vel abnepotem Lateranum, Severi amicum, ex Sexto Aurelio Victore ſuſpicari licet. Num vero virilis Plautinorum ſtirps forte defecerit, an alio quodam caſu Lateranenſes ædes fiſcus occupaverit, in medio Vir doctiſſimus relinquit, & illud tantum ex Optato Milevitano aſſerit, quod eo tempore, quo Donatiſtarum cauſa ſub Conſtantini imperio & Melchiadis pontificatu Romæ acta eſt, ædes Lateranenſes in poteſtate Fauſtæ Auguſtæ uxoris Conſtantini M. fuerint. Et has ipſas Ædes Conſtantinum M. circa A. C. 323. Sylveſtro Papæ donaſſe, publicisque ſumtibus in baſilicam convertiſſe ſcribit, cujus varias ruinas & inſtaurationes temporis ſucceſſu factas ex hiſtoriarum monumentis, quantum licuit, collegit. Refert igitur A. C. 897. terræ motu facto magnam parietum hujus baſilicæ partem corruiſſe, & quamvis reliquorum parietum rimæ tectique & trabium incurvatio majorem ruinam minaretur, neminem tamen inventum fuiſſe, qui de fulcienda & oportune inſtauranda hac baſilica cogitaret, donec plane corruerit, & per integrum ſeptennium inacceſſa triſte prætereuntibus ſpectaculum præbuerit. Sergium vero III. A. 907. ſopitis, quæ hactenus publicum ſtatum non mediocriter turbaverant, diſſidiis baſilicam Lateranenſem priſtino nitori reddidiſſe, vel potius ſplendidiorem extruxiſſe; præterea Johannem XII. in eadem

dem eccleſia ſacrarium Pontificum, quod oratorium S. Thomæ appellatum fuit, ædificaſſe; neque minus Innocentium III, Anaſtaſium IV, Nicolaum IV, Bonif. VIII, Sixtum V, Innocentium X, Alexandrum VII. & alios de conſervanda, inſtauranda ornandaq; hac baſilica ſolicitos fuiſſe, & cum hac Pontificum pietate Imperatorum Chriſtianorum munificentiam certaſſe. Hoc inde colligit, quia qui vetuſtos quosdam parietes hujus baſilicæ demoliti ſunt, complura antiqua numiſmata ex auro obryzo confecta invenerunt, quorum una pars ſignum crucis aut imaginem aliquam cruce inſignitam, altera diverſorum Imperatorum, Theodoſii & filiorum Arcadii & Honorii, item Theodoſii Junioris, Valentiniani III, Marciani, Leonis, Juſtini, Juſtiniani, Tiberii, Mauricii, Phocæ & Heraclii imagines repræſentavit. In ſingulis eccleſiæ hujus partibus deſcribendis dum occupatur, inter alia admiratione dignum eſſe dicit, quod, cum Lateranenſis baſilica tot ruinis & incendiis obnoxia fuerit, ligneum tamen altare, quo S. Petrus uſus dicitur, & quod a Sylveſtro in hac baſilica collocatum eſt, integrum permanſerit, & adhuc politum intactumq; cernatur. In ciborio capita Petri & Pauli, de quibus Romæ A. 1673. Joſ. Maria Soreſinus opuſculum edidit, cratibus ferreis deauratis incluſa maxima religione aſſervari ſcribit. In abſida hujus baſilicæ olim hæc inſcriptio extitit: *Flavius Conſtantius Felix Victor Magiſter utriusque militiæ Patricius & Conſul ordinarius, & Paduſia illuſtris fœmina ejus uxor voti compotes de ſuo fecerunt.* Sic enim inſcriptionem illam repræſentavit Panvinius in tractatu MSC. & hactenus inedito, quo in deſcribenda hac Lateranenſi baſilica Ciampinus noſter frequenter uſus eſt. Cum autem Panvinius hanc inſcriptionem ſe ex archivo Lateranenſi deſumpſiſſe teſtetur, veretur Ciampinus, ne falſa ſit inſcriptio, quæ apud Gruterum p. 1076. n. 2. hac forma legitur:

FL. FELIX. V. C. MAGISTER
VTRIVSQVE. MILITIAE
PATRICIVS. ET. CONS. ORD. ET
PADVSIA. EIVS. INL. FEMINA
VOTI. COMPOTES. DE. PROPRIO
FECERVNT.

Fatetur hanc inſcriptionem Gruterianam favere ſententiæ Cæſaris Raſponi, cujus prolixo de Baſilica Lateranenſi tractatui itidem ſe plurimum debere profitetur. Is enim hanc inſcriptionem interpretatus eſt de Felice, qui in Chronico Proſperi, Florentio & Dionyſio Coſs. ad Patriciam dignitatem promotus, ac Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſs. cum uxore ſua Paduſia, opera Aetii interemptus memoratur. Verum Ciampino probabilius videtur, inſcriptionem hanc ſpectare ad Flavium Conſtantium, qui poſt mortem Paduſiæ Placidiam Imperatoris Honorii ſororem in matrimonio habuit, & ob res bello feliciter geſtas Felicis cognomentum accepit. In aula concilii ſeu patriarchio Lateranenſi octo, in eccleſia vero 25. ſynodos habitas memorat, e quibus duas a Labbeo prætermiſſas cum Raſpono obſervat. Tria alia concilia in Laterano celebrata fuiſſe Panvinius indicavit, nempe ſub Hadriano I. ſub Sergio III. & Victore II. quæ nec a Labbeo referuntur, nec alibi a Raſpono reperiri potuiſſe notat. Equeſtrem ſtatuam, quæ diu in Lateranenſi area ſtetit, etſi retro actis ſeculis Conſtantini dicta fuerit, M. Aurelium tamen exprimere animadvertit, quem in his locis natum Julius Capitolinus in ejus vita retulit. Fabuloſam autem Centii Camerarii de iſta ſtatua narrationem omittimus, cum ipſe Ciampinus ſimplicitati illius ſeculi, quo vixit ille Camerarius, fabellam illam imputet. Tres januas interſepti, quæ ſanctæ dicebantur, e palatio Hieroſolymitano Pontii Pilati transvectas ex antiqua traditione refert, & apud veteres Chriſtianos uſu receptum aſſerit, ut a templo Lateranenſi ad aulam exeuntes religioſo pietatis impulſu illa limina tranſirent. De ſcalis ſanctis Joſephum Mariam Soreſinum Romæ A. 1672. peculiarem tractatum edidiſſe notat. De oratorio S. Laurentii & imagine Salvatoris, quæ ibidem colitur, plura legere cupientes ad Benedicti Millini peculiarem tractatum ablegat. De aulis Leonianis obſervat, duas olim in antiqua fabrica Lateranenſi hoc nomine appellatas fuiſſe, nempe aulam concilii, & triclinium Leonis III. Unde inter eruditos dubium exortum eſſe dicit, utra illarum major fuerit? Panvinium quidem pro aula concilii, Alemannum vero in ſuis Lateranenſibus parietinis pro triclinio Leonis III. ſententiam dixiſſe. Addit Severanum in tractatu de 7. Urbis eccleſiis, & Martinellum in trophæo ſanctiſſimæ cru-

cis

Digitized by Google

cis hanc litem dirimere annisos aſſeruiſſe, quod Leo III. duo triclinia conſtruxerit, alterum prope locum, ubi nunc ſunt ſcalæ ſanctæ, quod dictum fuerit majus ſuper omnia triclinia; & alterum prope eccleſiam, ubi erat aula concilii, quod miræ magnitudinis dictum fuerit. Verum inſtituti noſtri ratio non permittit, ut ſingulas Lateranenſis baſilicæ partes a doctiſſimo Autore deſcriptas perluſtremus.

In ſequenti capite de baptiſterio agit, quod baſilicæ huic adjacet, & verſus elegiacos, qui in hoc baptiſterio leguntur, ita a Panvinio, Baronio, Raſpono & aliis adduci obſervat, ut diſtichorum ordinem confundant, quem hoc modo reſtituendum arbitratur:

Gens ſacranda polis, hic ſemine naſcitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.
Mergere peccator, ſacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Nulla renaſcentum eſt diſtantia, quos facit unum
Unus fons, unus Spiritus, una fides.
Virgineo fœtu genitrix Eccleſia natos,
Quos ſpirante Deo concipit, amne parit.
Inſons eſſe volens, iſto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, ſeu proprio.
Fons hic eſt vitæ, & qui totum diluit orbem,
Sumens de Chriſti vulnere principium.
Cœlorum regnum ſperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita ſemel genitos,
Nec *numerus quemquam ſcelerum, nec forma ſuorum*
Terreat, hoc natus flumine ſanctus erit.

Cætera his verſibus addita, & a Panvinio non viſa, ex Grutero ſupplet. Sunt autem ſequentia:

Ad fontem vitæ hoc aditu properate lavandi
Conſtantis fidei, janua Chriſtus erit.

Inſcriptio:

Hic locus olim ſordentis tumuli ſquallore congeſtus, ſumptu & ſtudio Chriſti famuli Hilari Epiſcopi, juvante Domino, tanta ruderum mole ſublata, quantum culminis nunc videtur ad offerendum Chriſto Deo munus, ornatus, atque dedicatus eſt. Cum autem autor Libri Pontificalis

ficalis in vita Xiſti III. referat, quod hic Pontifex *in baſilica Conſtantiniana ornamentum fecerit ſuper fontem, quod ante ibi non erat, id eſt, epiſtylia marmorea & columnas porphyreticas erexerit, quas Conſtantinus Auguſtus congregatas dimiſit, ac juſſerit, ut erigerentur, ac verſibus exornaverit*; dubium hinc enatum, Hilarusne an Xiſtus III. baptiſterium a Conſtantino M. inchoatum abſolverit & exornaverit. Ita autem inſcriptionem Gruterianam cum libro pontificali conciliari poſſe ſtatuit, ſi dicamus, Conſtantinum M. marmorea epiſtylia & columnas porphyreticas in hunc locum adduci, poſtea Xiſtum III. columnas erigi & epiſtylia ſuperimponi, tandemque Hilarum Xiſti ſucceſſorem terram ex fundamentis effoſſis aggeſtam, novaque rudera ex recenti fabrica nata amoveri juſſiſſe. Præterea obſervat, in zophoro quatuor columnarum, quæ ſacello S. Thomæ ſeu ſacrario Pontificum adhærebant, inſcriptionem legi, quæ cum Gruteriana eadem plane eſt, niſi quod hæc linea: *ſtudio Chriſti famuli Hilari Epiſcopi juvante*, omiſſa deprehendatur. Hinc nova quidem ipſi conjectura naſcitur; attamen addit, impoſſibile fere eſſe rei veritatem aſſequi, cum nihil a temporis edacitate tam immune ſit, ut ex hominum memoria deleri non poſſit.

Capite 4. ad Vaticanam baſilicam accedit, cui deſcribendæ dimidiam fere hujus operis partem impendit. Ac primum quidem de Vaticano nomine ac priſtino ſtatu diſſerit. Deinde qua ratione Conſtantinus M. hunc locum, tot ſuperſtitionum ethnicarum præſtigiis, totque SS. Martyrum carnificinis infamem, extructa in honorem Petri ibidem ſepulti baſilica expiaverit, exponit. Refert ex Actis Sylveſtri, quod ipſe Imperator, imperiali diademate depoſito, ad baſilicæ fundamenta inchoanda ſolum effodere aggreſſus, duodecim corbes egeſta humo oppleverit, humerisque ſuis impoſitos alium in locum aſportaverit. Quod autem a Conſtantino M. hæc baſilica fundata fuerit, confirmat ex eo, quod & magni quidam lateres, qui Conſtantini nomen impreſſum habuerunt, in veterum quorundam hujus templi parietum demolitione inventi, & alia occaſione ænea quædam numiſmata cum effigie Conſtantini M. & crucis e fundamentis hujus baſilicæ effoſſa fuerint, & præterea vetuſta tribuna ſequentes verſus literis muſivis inſcriptos habuerit:

Quod

Digitized by Google

Quod duce te mundus ſurrexit in aſtra triumphans
Hanc Conſtantinus Victor tibi condidit aulam.

Cujus diſtichi memoriam alioqui in disjectione illius tribunæ perituram Andr. Fulvius libr. 2. Antiquitatum ſuarum ſervavit. His præmiſſis, ad ipſam Vaticanæ baſilicæ deſcriptionem quoad ſingulas partes progreditur, in qua ordinem ſequitur a Tiberio Alpharano obſervatum, qui Xiſti V. ævo in tractatu MSC. quem ſibi a Joſepho Maria Caro communicatum Ciampinus prædicat, antiquam Vaticanam baſilicam accuratiſſime delineavit; præter quem etiam Severanum in memoriis ſacris 7. eccleſiarum urbis, Mallium in deſcriptione Vaticanæ baſilicæ, Torrigium in tractatu de cryptis Vaticanis, Paulum de Angelis aliosque, qui de Vaticana veteri baſilica ſcripſerunt, conſuluit. Imprimis autem ſolicitus eſt de veteri baſilica, non de nova, in qua ornanda & amplificanda poſt Julium II. reliqui Pontifices magno ſtudio certarunt, & cujus notitiam imprimis ex Johanne Baptiſta Coſtaguto hauriri poſſe dicit. Is enim A. C. 1620. illius baſilicæ partes omnes tam exteriores quam interiores æneis tabulis repræſentavit & notis illuſtravit. Quod opus ejusdem filius in eminentiſſimum Cardinalium collegium cooptatus denuo imprimi curavit. Tanta vero etiam veteris baſilicæ amplitudo fuit, ut, ſi cum Ciampino ſingulas ejus partes perluſtrare vellemus, brevitatis limites nobis poſiti tranſiliundi forent. Quamobrem tantum e ſectione 3, quæ de *confeſſione Petri* agit, nonnulla excerpemus. Hunc locum ab eccleſiæ incunabulis usque ad noſtra tempora Petri confeſſionem appellari memorat, cum ibi Petrus evangelicam veritatem publica confeſſione ac martyrio aſſeruerit; parvulam hic ædem a Chriſtianis extructam fuiſſe, ut apoſtolicæ conſtantiæ memoria eo ipſo in loco, ubi enituit, perennaret; ad locum hunc peregrinos fideles ex omnibus orbis terrarum partibus venerabundos acceſſiſſe, & ſacra ibi peregiſſe; ædiculam hanc Anacletum Papam amplificaſſe, ſed Conſtantinum Magnum auguſtiori baſilica veterem ædiculam circumdediſſe: tantamque omni ævo loci hujus venerationem fuiſſe, ut etiam Reges & Imperatores Romam venientes poſt exteriores baſilicæ gradus flexis genibus ſuperatos ſepulchrum Petri pari veneratione acceſſerint, ſeque & ſua regna Apoſtolorum Principi commendaverint, & plerique peregrinantium, cum ſacro huic limini adeſſent, pio quodam horrore correpti trementesque præ religione ingredi ulterius auſi non

Digitized by Google

fuerint; ipſos denique Pontifices, cum prædictam confeſſionem adiviſſent, depoſita autoritate, quaſi præſenti Petro cederent, & populo æquales fierent, ſe ab aliis coargui permiſiſſe. Habet hæc Petri confeſſio in pavimenti medio foramen quadrangulare, quod ab Anaſtaſio Bibliothecario billicum, & a S. Germano in epiſtola ad Hormiſdam Pontificem prima cataracta appellatur, ſic dicta reſpectu alterius inferioris,& corpori apoſtolico propioris,quæ cataracta ſecunda appellatur. Per has cataractas lanea ſubalbi coloris pallia 4. crucibus ſignata, & Epiſcopis in pleniſſimæ poteſtatis argumentum tradenda, in loculum Petri manu Presbyterorum demitti, brevique recepta ſolenni ritu a ſummo Pontifice conſecrari ſolere Ciampinus obſervat, & fidem excedere aſſerit, quod Gregorius Turonenſis l. 1. de gloria martyrum c. 28. affirmat, quod nempe obſervatum olim fuerit, palliola in ſacrum ſarcophagum immiſſa, ac ſi ſpirituali & apoſtolica quadam virtute imbuerentur, magis minusque gravia, pro petentium & orantium pietate ac fide, inde elevari.

Reliqua ædificia ſacra, quæ a Conſtantino M. extructa perhibentur, ſunt: baſilica S. Pauli, eccleſia S. Laurentii in agro Verano, Seſſoriana baſilica ſive eccleſia S. Crucis in Hieruſalem, eccleſia S. S. Marcellini & Petri via Lavicana, Eccleſia S. Agnetis extra Urbem via Nomentana, eccleſia S. Conſtantiæ, eccl. SS. quatuor Coronatorum, eccl. XII. Apoſtolorum, baſil. S. Sabinæ, eccl. S. Laurentii in Pane & Perna, eccl. S. Mariæ in ara cœli, eccl. S. Chryſogoni trans Tyberim, eccl. S. Petri in monte aureo, eccl. S. Sebaſtiani, eccleſ. S. Marcelli, baſilica SS. Petri & Pauli ac S. Joannis Bapt. in civitate Oſtienſi, eccl. S. Johannis Bapt. Albanenſis civitatis, eccl. Apoſtolorum in Capua, baſil. Apoſtolorum & Martyrum ſeu ſanctæ Reſtitutæ Neapoli, eccl. B. Mariæ in Gallia, eccleſ. S. Mariæ in Vulturella ſive Mentorella Tiburtinæ diœceſis, eccl. ſepulchri Domini Hieroſolymis, eccl. nativitatis Domini apud Bethlehem, templum aſcenſionis in monte olivarum, eccleſia in valle Mambre, eccl. S. Sophiæ Conſtantinopoleos, eccl. S. Irenes Conſtantinopolis, eccleſ. S. Dynameos, eccl. Apoſtolorum Conſtantinopolis, baſil. S. Agathonici Conſtantinopolis, eccl. Deiparæ Ἀχειροποιήτου, templum Deiparæ cui ob virgam Moſis (quæ ibi repoſita creditur) Ῥάβδου nomen inditur, eccl. Deiparæ in Sigmate Conſtantinopoli, templum B. Mariæ ſive S. Theclæ

clæ Conſtantinopoli, eccl. S. Michaelis extra Conſtantinopolin in Anaplo, eccl. S. Michaelis in loco qui πρὸ ὄχθυ appellatus fuit, eccl. S. Mocii, eccl. S. Johannis Baptiſtæ, templum S. Acacii in Carya olim dicto, eccl. S. Æmiliani, eccleſ. cui ἀγάλματα ſeu ſtatuæ a Conſtantino M. illuc translatæ nomen pepererunt, eccl. S. Stephani prope Sigma, templum S. Mænæ martyris, eccl. S. Metrophanes, templ. S. Procopii, eccl. S. Romani, eccl. S. Theodori, templ. S. Euphemiæ in Hippodromo, monaſterium Gaſtria appellatum, Homonœa ſive concordiæ oratorium, eccl. S. Crucis, monaſterium S. Diomedis Conſtantinopoli, eccl. S. Salvatoris in civitate Nicomediæ, templum Antiochiæ conditum, templum in Conſtantina civitate Numidiæ, & eccleſia Heliopoli. Quas omnes poſtquam recenſuit, duplex parergon ſubjungit, unum de muſivis operibus in ſacello, ſive loco, ubi B. Virgo Maria ſtabat cum Joanne, quando Salvator cruci affixus fuit; alterum de ichnographia templi S. Sophiæ Conſtantinopolis.

Idem doctiſſimus Autor inchoavit, ſed nondum abſolvit Veterum Monumentorum, in quibus præcipue Muſiva opera diſſertationibus iconibusque illuſtrantur, partem ſecundam: tractatum de Vice-Cancellarii dignitate, cum copioſo Vice-Cancellariorum catalogo: tractatum de dignitate & præſtantia ſecularis & inſignis collegiatæ eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo de Urbe: narrationem philoſophicam & hiſtoricam de terræ motibus: nec non tractatus de ſacris profaniſque dyptichis, de ſacris profaniſque calicibus, & de ſacrarum imaginum uſu earumque veneratione. Opera ejus jam abſoluta, ſed nondum edita ſunt: *Sacrarum imaginum A. 1689. repertarum explicatio,* cujus occaſione Formoſi ſanctiſſimi Pontificis vita ex variis autoribus nova methodo eſt concinnata; Horæ geniales ſive conjecturæ Campenſes; dell' Iſtituzione de' Cavaglieri dello Speron d'oro; lettera a Monſignor Nicolini Vicelegato d'Avignone, col diſtinto ragguaglio de ſucceſſi nella ripulſa alla Dignità Cardinalizia, fatta dagl' eminentiſſimi Signori Cardinali Taja, e Ricci; Sacra Romæ legatio illuſtriſ. & excellentiſ. D. Johannis Landi pro canonizatione S. Laurentii Juſtiniani; Familiaris epiſtola ad Rev. Patrem D. Benedictum Bacchinum, in qua nova quædam Philoſophia demonſtratur, cujus occaſione vita, & nonnulla præclara geſta regnantis Pontificis Inno-

Digitized by Google

Innocentii XII. breviter enarrantur ; & inveſtigatio hiſtorica de cruce ſtationali ad Reverendiſs. P. Henricum de Noris. Ex editis ejus operibus pleraque in Actis noſtris recenſuimus, quibus jam brevem tractatum de correctione vocis in ſermone 7. Leonis M. de Nativitate Domini addemus.

DE VOCIS CORRECTIONE IN SERMONE VII. Leonis M. de Nativitate Domini: ſive literulæ munuſculum, quod R. P. Eraſmo Gattola a Cajeta dono dat & offert Joh. Ciampinus.

Romæ ex typographia Joh. Jacobi Komarek A. 1693. in 4. pl. 2.

Literulæ munuſculum tractatus hic vocatur, quia Autor celeberrimus vocem aliquam in ſermonibus Leonis M. unius literæ inſertione emendandam monet. Nimirum in ſermone 7. Leonis M. de nativitate Domini hæc verba legentibus occurrunt: *De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens a quibusdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur, quod nonnulli etiam Chriſtiani adeo ſe religioſe facere putant, ut priusquam ad B. Petri Apoſtoli baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum* ARÆ *ſuperioris adſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe Solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent &c.* In his verbis vocem *aræ* per errorem poſitam R. P. Joſephus Maria Thomaſius ſuſpicatus eſt, quod dubium cum Ciampino ſignificaſſet, eique ulteriorem hujus rei inquiſitionem commendaſſet, confeſtim ille pro eo, quo & amicos & bonas literas amplectitur amore, omnes ſermonum Leonis editiones perluſtravit, Colonienſes 1551. & 1569, Venetas 1553. & 1573, Lovanienſem 1566, Antverpienſem 1583, Lugdunenſes 1633 & 1652. & Pariſienſem Paſchaſii Queſnelii 1675. Verum in omnibus iſtis editionibus vocem *aræ* deprehendit. Poſt inſpe-

ctos

ctos impreſſos codices, manuſcriptos conſuluit, & in pleriſque vocem *ara* invenit. Scripſit ejusdem rei cauſa ad eundem, cui munuſculum hoc iterarium obtulit, Eraſmum Gattola a Cajeta, inclyti monaſterii Caſinenſis Monachum ac Decanum & Vicarium generalem, qui ſe in codice quodam vocem *area* expreſſam reperiſſe reſpondit. Verum nondum ſibi acquieſcendum ratus, Vaticanam bibliothecam, quam prima vice fruſtra adiverat, iterum acceſſit, cumque ejus indices, quorum copiam a Laurentio Zaccanga ſecundo bibliothecæ cuſtode ſibi factam prædicat, diligenter perluſtraſſet, duos codices invenit, quorum unus vocem *ara*, alter vero diu quæſitam & deſideratam vocem *area* exhibuit; qua omne dubium ſolvi poſſe minime dubitat, tot eruditos viros unius literæ defectum in voce *ara* non obſervaſſe miratus.

Ut autem hic Leonis locus magis illuſtretur, obſervat, ſcalam, quæ ad Vaticanam baſilicam adſcenſum præbuit, 35. marmoreos gradus habuiſſe, & quinque horum graduum ordines fuiſſe, ac quemlibet ordinem ſeptem gradibus conſtitiſſe; ſingulis autem graduum ordinibus pro adſcendentium quiete areas quasdam interpoſitas fuiſſe, quarum ſuprema eademque maxima a Leone in prædictis verbis areæ majoris ſuggeſtus appelletur. Et in hac ipſa ſuprema area fideles quidam, antequam Vaticanam baſilicam ingrederentur, naſcentem Solem adorabant. Quem morem Leo M. gravi reprehenſione dignum exiſtimavit, quippe a Manichæis ortum, qui ad illam cœli plagam, in qua Solem ſpectare poterant, ſe inter preces convertere ſolebant, ideoque, ubi horis matutinis per illos, quos diximus, gradus in ſupremam aream adſcendiſſent, obverſo baſilicæ tergo ad Solem reſpiciebant, idq; imprimis in feſto Dominicæ Nativitatis faciebant, quod ipſis non tam de Nativitate Chriſti, quam de novi, ut dicebant, Solis ortu honorabile videbatur. Quibus obſervatis locus ille Leonis haud difficulter intelligi poterit.

EPITOME COSMOGRAFICA, O COMPENDIOSA Introduttione all' Aſtronomia, Geografia & Idrografia.

i. e.

Epitome Coſmographica, ſeu Introductio ad Aſtronomiam, Geographiam & Hydrographiam: auctore P. M. Vincentio Coronelli, Sereniſſimæ Reipub. Venetæ Coſmographo, inque Academia Veneta Geographiæ Prof. Publ.

Coloniæ apud Andr. Polettum, 1693. in 8. maj.

Conſtat Alph. 1. pl. 5. & tab. 38.

UT Mundi nomen apud Græcos ab ornatu eſt: ita hæc Mundi deſcriptio ſive *Coſmographia* ſuum etiam nitorem habet, Mundi pulchritudini, quantum per imitationem licet, apprime reſpondentem. Operi præmiſſus eſt Index Archiepiſcopatuum & Suffraganeorum, quotquot orbis Chriſtianus habet; etiam Academiarum, quæ ubique gentium inter Chriſtianos ſunt: nec non Geographorum tam veterum quam recentium catalogus.

Opus ipſum diviſum eſt in tres libros: quorum *Primus* eſt de Coſmographia ejusque partibus. Continet capita XXXV, quorum prioribus de Cœlo, Axe, Polis, Circulis, Zonis, Climatibus, Ventis, usque ad cap. IX. agitur, ex quo tractatio incipit de Globo & differente ſitu Sphærarum, de Hypotheſium diverſitate, Ptolemaicæ, Copernicanæ, Tychonicæ, & Carteſianæ: item de Fabrica Mundi, ejusque materia tam ſecundum antiquorum, quam recentium opinionem: de ſubſtantia Stellarum & diſtantia a Terra, & de earum diviſione, tam ratione motus in Fixas & Erraticas, quam ratione ſitus in Septentrionales, Zodiacales, & Auſtrales; de Stellis itidem Novis, ac Cometis, quorum numerum inde a diluvio init Clariſſimus Autor, usque ad annum Chriſtianum 1682. Excipit doctrina Eclipſium utriusque Luminaris, & modus obſervandi Eclipſem Solarem.

larem. Omnia hæc egregie illuſtrantur tam ſynopticis tabulis & computationibus, quam figuris nitidiſſime ex ænea lamina expreſsis.

Liber *Secundus* Geographiam explanat, conſtatque XVII. capitibus. Agitur ibi de Terminis, ad cognitionem hanc neceſſariis; de diviſione Terræ & Marium, quæ ambiunt Terram: de Regnis, Provinciis & illarum præcipuis Urbibus, quarum Longitudo ac Latitudo peculiari Tabula declaratur cap. X. Poſt hæc de Terræ motu & tremore, ejusque cauſis diſputatur; etiam numerus horum motuum, quotquot a diluvio ad annum Chriſti 1693. cognoſci potuerunt, ultimis capitibus initur.

Liber *Tertius* in duas partes diſpeſcitur. Prior pars quinque capitibus illuſtriores Globos, ſive machinas Cœlum aut Terram repræſentantes, exhibet, Anglicanum *Comitis de Caſtello Maine*; Gottorpienſem autore *Adamo Oleario*; Norimbergenſem, clariſſimi viri *Erhardi Weigelii* opus: Auguſtanum *Chriſtophori Treſſleri*: & magnos Globos, diametri quindecim pedum, Cœleſtem & Terreſtrem, Pariſinos, a clariſſimo *Autore noſtro* P. Coronelli inventos, & Cardinalis Eſtreenſis ſtudio Regi Galliarum dedicatos. Singulorum magnitudines, motus, artificium accurate perſcribuntur: etiam figuris, quantum licet in plano, illuſtrantur. Cum Pariſienſibus deſcribuntur etiam Globi *Autoris* ſtudio in uſum Academiæ Coſmographicæ Argonautarum, ad formam Pariſienſium, ſed diametro ad tres cum dimidio pedes reducta, adornati: qui uti magnitudine cæteros, qui in hanc usque diem venales prodiere, poſt ſe relinqunt; ſic eorum elegantiam (ut alias prærogativas, quibus reliquos hactenus extantes antecellunt, quasque *Autor* Lectoribus ipſe exponit, taceamus) quam ex una alterave mappa, a ſolertiſſimo *Autore* nobis benevole transmiſſa perſpeximus, non poſſumus non bona fide harum rerum curioſis etiam etiamque commendare.

Parte altera libri tertii, quæ XXXIV. capita habet, de formatione Globorum, Planiſphæriorum, Aſtrolabiorum, Tabularumque Geographicarum & Hydrographicarum, etiam de modo traducendi Tabulas majores in minorem formam, & minores in majorem, ac de harum rerum ſubſidiis ac inſtrumentis agitur ſatis perſpicue ac

Tt 2 copio-

copioſe, & pleraque illuſtrisſimis figuris ac delineationibus declarantur.

METHODE POUR GUERIR TOUTE SORTE DES FIEVRES &c.

ſive

Methodus Febres omnis generis curandi, absque eo ut aliquid ore aſſumendum exhibeatur, Autore Adriano Helvetio, Medicinæ Doctore Pariſienſi.

Pariſiis, apud Viduam Nicolai Oudot, A. 1694. in 12. Pl. 3.

Nullum Febrifugorum habetur tot ſcriptis hactenus totque encomiis, atque cortex Chinæ Chinæ, ab Autoribus celebratum. Multa tamen ſunt pathemata, de quibus ægri poſt internum ejus quacunque etiam ratione præparati uſum conquerantur ſæpiſſime. Alios nauſea, anorexia, dolor ventriculi gravativus alios, alios phlogoſis, &c. tantum non omnes ipſe amaror, nullo modo a remedio hoc auferendus, inſigniter torquet. Cunctas proin moleſtias recenſitus Autor noſter evitaturus, Methodum prorſus novam ſub enemate corticem laudatum in omnis generis febribus adhibendi excogitavit non ſine ſucceſſu. In febribus ſiquidem intermittentibus, ſi corticis uncia una, aquæ ſimplicis menſuræ dimidiæ exacte admixta, clyſmatis loco ſub paroxyſmi terminum applicetur, terque quotidie ad perfectam usque reconvaleſcentiam reiteretur, paroxyſmum raro ſemel, rarius bis, ter nunquam redire. In continuis autem febribus eandem Chinæ Chinæ quantitatem, forti potius hujus decocto adjectam, enematis vice ſub exacerbationis finem, aut eo etiam tempore, quo febris minorem impetum facit, adaptandam eſſe, ſingulisque quaternis horis repetendam, donec febris ceſſet. Nec, febre quacunque profligata, clyſmata commendata mox ſeponenda, ſed per duodecim etiamnum dies, priori quidem ſextiduo bis, poſteriori vero ſemel tantum de die, venire continuanda, imo diutius adhuc ab

iis,

iis, qui diutiſſime illa retinere haud valent. Horum in gratiam quoque, cum omnis curationis cardo in diuturniori enematis retentione vertatur, ſyrupi papaveris albi unciam dimidiam, niſi ſomnolentia obſtet, præcipit adjungendam; quemadmodum e diverſo in aliis, qui nihil clyſteris rurſus excernere ſolent, enema aliquod purgans veſpertinum commendat. Summas abdominis tenſiones internosque abſceſſus unica ſymptomata eſſe, quæ prohibeant ac fallant uſum hujus remedii, in febri alias quacunque, etiam cum catarrho v. gr. pectoris, raptu humorum ad caput, pleuritide, vulnere &c. complicata, ſumme proficui, modo pro ætatis diverſitate doſis a drachmis duabus ad unciam unam rite obſervetur, eaque tunc, quando ægri temperamento debiliori ac viſceribus tenerioribus gaudent, aut hæmorrhoidibus vexantur, dimidia ſolummodo exhibeatur. Quod ſi vero in principio febrium omnis Chinæ Chinæ uſus reſpuatur, tantum abeſt, ut Autor improbet, ut venæ ſectionem atque purgationem præmittenda eſſe ſuadeat, eumque in finem purgans aliquod & emeticum non minus deſcribat, atque potiones cordiales, febribus intermittentibus æque ac continuis & malignis appropriatas, quo gravioribus ſymptomatis ſublatis, China Chinæ ſub enemate uſurpata, tanto promtius fermentum febrile poſſit deſtruere. Febres namque multo expeditius indigitata debellari ratione, qua ſpecificum pariter ſuum antidyſentericum, vomitum in tenerioribus provocans, feliciſſime antehac adminiſtraverit, argumentis pluribus comprobat. Quantitatem videlicet Chinæ Chinæ longe majorem ſub enemate præberi, quam quæ in os ingeri valeat; in ſubſtantia hanc ſemper exhiberi, adeoque potentiores etiam exerere vires; particulas denique Chinæ Chinæ ſubtiliores, unice in febris fermentum agentes, ad ſanguinem per capillarium oſcula æque facile permeare, ac nutrientia & nicotianæ clyſmata propter nutritionem atque vomitionem. Ne ullum tamen relinquatur dubium, e duobus millibus febricitantium, triennium intra beneficio hujus methodi reſtitutorũ, eos cumprimis, qui Verſaliis ex mandato Regis curæ ſuæ concrediti fuerint, in ſcenam producit; ſub finem reconvaleſcentiam quoque infantium & gravidarum commemorans, ad calumniam eorum retundendam, qui ulcera, fiſtulas, abortum ejusque commatis pathemata alia inſecuta fuiſſe objece-

runt. Tandem ſummam annectit literarum Medici alicujus Vicenſis, in quibus hic Helvetio de Methodo antifebrili inventa non modo multas habet gratias, ſed & experientia propria eandem confirmat. Eorum in gratiam, qui Gallicum idioma non capiunt, verſionem Latinam *Fritſchius* noſter, bibliopola ſolertiſſimus, curavit adornandam.

PHARMACOLOGIA
ſeu
Manuductio ad Materiam Medicam, in qua Medicamenta Officinalia Simplicia deſcribuntur, auctore Samuele Dale.

Londini, apud Sam. Smith. & Benj. Walforth 1693.
Conſtat plag. 30. in 12mo maj.

MAteriæ Medicæ ſeu Simplicium cognitio, quanti quanti etiam momenti res eſt, ita tamen ſuperioribus temporibus negligebatur, ut poſteaquam Hippocrati, Theophraſto, Dioſcoridi, Galeno, paucisque aliis decentem conceſſeris honorem, non tantum nil in ea ageretur, ſed & dictorum Artis Principum Obſervationes Rerum Naturalium peritiam & uſum concernentes, corrumperentur, Mercatorum, Seplaſiariorum, Pharmacopœorum fraudibus conſpurcarentur; adeo, ut iis expurgandis perſpicaciſſimorum ingeniorum ſudores viresque poſtmodum vix ſufficerent. Sicuti vero præſens hoc, quod colimus, ſeculum, ſuperiora poſt Hippocratem & Galenum, quamcunque etiam nuncupes Medicinæ partem, ſolertia & inveniendi dexteritate antecellit, ita & in eruendis Naturalium arcanis longe priora ſuperat. Etenim *Cæſalpini* ſub fotu Vegetabilia cuncta revireſcere incipiebant; *Georgii Agricolæ* ſolertia Mineralia primum felicius ſuccedebant; *Geſneri* demum & *Aldrovandi* vivaciſſimo ſpiritu emortua pene animalia anima quaſi reddita reſuſcitabantur; adeo, ut accedentibus ſequacium curis cuncta nunc copioſe luxurient, & in elanguidæ ſanitatis robur felicius conſpirent. Interea tamen nemo Neotericorum adhuc dum uno volumine omnes illas tres rerum naturalium claſſes, ſi unicum, man-

Digitized by Google

mancum in quibusdam, alias perutile, *Schrœderi* opus excipias, percenſuit, ut non immerito *Velſchius*, Polyhiſtor & Medicus Auguſtanus celeberrimus, inter Deſiderata Medica ejusmodi Syſtema in Somno Vindiciano retulerit. Laudabili proinde conſilio Auctor noſter clariſſimus e plurimorum celeberrimorum Medicorum in hac ſcientia deſudantium, *Raji* autem potiſſimum & *Hermanni* Scriptis & Prælectionibus, adhibito quoque diligenter *Schrœderi* opere, neceſſaria, & ad cognitionem Simplicium, eorundemque uſum facientia, in faſciculum collegit, quæque tot vaſtis voluminibus tradita erant, in gratiam Philiatrorum, tum & aliorum, brevi quaſi tabella delineavit, & accurata perſpicuaque a celeberrimis Medicis excogitata methodo, expoſuit. Promiſit præterea Elucubrationes Botanicas, Anglice conſcriptas, quibus præſentem facilemque Lucinam Botanicorum ordo exoptat.

Gründlicher Bericht und Beweiß vom Urſprung und Anfang der Thüringer / kürtzlich ausgeführet von Johann Juſt Winckelmann/

hoc eſt:

SOLIDA DECLARATIO ORIGINIS THURINGORUM,

Auctore Jo. Juſto Winckelmanno.

Bremæ, apud Herm. Brauer, A. 1694. in 8. Conſtat 12. plag.

Dudum e Scriptis, quæ vulgavit, haud ineruditis, & Chronico imprimis Oldenburgico, inclaruit Vir Nobiliſſimus, Joannes Juſtus Winckelmannus, Conſiliarius & Hiſtoriographus Haſſiacus & Oldenburgicus, cujus peculiarem de origine Thuringorum ſententiam paucis heic indicare viſum eſt. Tametſi enim & alia memoratu non indigna in hoc opuſculo occurrant: quandoquidem, ut quædam abs ſe olim tradita defenderet, de cornu Oldenburgico, de epiſtola Pauli ad Laodicenſes, & mutuis hunc inter Senecamque literis, deque nonnullis aliis ſuperpondii loco erudite diſſeruit: nihilo tamen ſecius cum ab eo, quod tractationis præſentis caput eſt, huic libro ſuum largiri titulum voluerit, ideo nos mentem ejus circa iſtud unice aperie-

riemus. Thuringorum videlicet appellationem derivat a Doriis, Græciæ populis, qui primas in Morea ſeu Peloponneſo ſedes collocaverint, ſed poſt, dubium valde, qua de cauſa, e teſtimonio Timaginis apud Ammianum Marcellinum, per Italiam atque Galliam, duce Hercule, Germaniam inferiorem petierint, ubi imprimis Dordracum ſibi incolendum elegerint; unde etiam tractus circumjacens Doriorum aut Thoringorum tractus appellatus ſit. Hinc viribus paulatim auctis, latius ſe iſtos origine Græcos in oris modo memoratis extendiſſe aſſerit; unde haud incongrua ſit opera, quam Matthias van der Houwe in monumentis iſtorum locorum e Græca antiquitate eruendis inſumſerit, civitatem v. g. Medenblyck a Medea, ab Ulyſſis nomine urbem Fliſſingam, a Circe Ciricæam &c. derivans. Atque hoc regnum diu ante Chriſtum natum floruiſſe, & Thuringiam trans-Rhenanam itemq; Belgicam nuncupari obſervat. Idem v. nomē in oras ſuperiores&cis-Rhenanas hoc pacto propagatū fuiſſe arbitratur: Cum Clodius, Francorum Rex, Thuringis iſtis Belgicis, viciniſ ſuis, firma ſatis adhæreret amicitia, ac ipſius quoque Widelphi, Thuringorum Regis, filiam Baſinam uxorem duxiſſet, accidit, ut is ſocero defuncto regnum ipſius ſuo adjungeret, aſt mox amplioribus ditionibus inhians Mœnum trajiceret, Saxones quidem ac Hermunduros intra Albim & Salam non adeo felici cum ſucceſſu debellare valens, ſed eo tamen iſtos, qui hodie vocantur, Thuringos adigens, ut filium ſuum, Merovæum A. C. 447. Regem deſignarent, quo imperante mira quoque incrementa novum hoc Thuringiæ regnum ceperit. Ex ipſa vero illa emigratione pronam emerſiſſe ait occaſionem erroris, quo apud varios Scriptores duplex hæc Thuringia ſic confundatur, ut, quod antiquiori tribuendum ſit, de recentiori utplurimum enunciari ſoleat; idque procul dubio patebit ulterius, ſi quam juxta annorum ſeriem ſe compoſuiſſe refert clariſſimus Auctor, ſpecialior deductio lucem aliquando publicam adſpexerit.

CORRIGENDA.

M. Octob. 1693. pag. 475. in C. H. Z. de problemate Bernoulliano lin. 4. pro abſtinere ſtatuerim, *lege:* abſtinere ſtatuiſſem. *p. 476. lin. 2. pro* omnia erui poſſe, *lege:* eam erui poſſe.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno M DC XCIV.

THEODORI IANSONII AB ALMELOVEEN Amœnitates Theologico-philologicæ. Subjiciuntur Epigrammata & Poemata veter,ut & Plagiariorum ſyllabus.

Amſtelodami apud Janſſonio Waesbergios, A. 1694. in 8.
Conſtant plag. 30.

INter eos,qui elegantiores litteras arti medicæ ſumma cum laude adjunxerunt, & utraque ſtudia eadem felicitate excolunt, ſummo jure numerandus clariſſimus Auctor: cujus aliquoties facienda mentio, & pluſcula eruditionis ipſius in utroque hoc ſtudiorum genere recenſenda fuerunt ſpecimina; nunc autem Obſervationum, in libello, quem præ manibus habemus, haud contemnenda eſt enarranda copia, ſed quam inſtituti memores ſaltem delibabimus. Epiſtolæ in modum ad amiciſſimum ſibi virum *Henr. Sypeſteinium* concinnata eſt Diſſertatio; in qua narrat Janſonius, Comitem quendam, peregrinas inviſentem terras, a ſe,ubi Gaudam perveniſſet,deductum fuiſſe in templum p.10; eaq; occaſione de templo Salomonis p.12. ſeq. differit, deque duabus ei appoſitis columnis p.15: quibus inſcripta fuiſſe autumat Iſraelitis data a Deo præcepta p.16, appellatasque *Jacbin* & *Booz* p. 18, quæ nomina explicat p.19,&duabus columnis,quibus ignea ac nubila uſus eſt Deus in ducendis Iſraelitis,V.& N.Teſtamentum ſignificari exiſtimat p.23. Tum porro Judæos leges poſtibus domuum ſuarum affixiſſe tradit p.24. unde explicandus ſit ritus ille Hebræorum Exod. 21, verſ. 6. quando herus in perpetuum ſervitium mancipando ſervo auriculam ad poſtes domus perforabat, ut ſcilicet ſervus moneretur, ſempiternam ipſi eſſe illarum legum, quæ oſtiis poſtibusque erant adſcriptæ, ſervan-

Digitized by Google

ſervandam memoriam ac obedientiam p.25. Porro quum contemplarentur contentas templi feneſtris picturas hiſtoriarum venuſtiſſimas p.32, & occurreret iſta, quæ Sabæam reginam exhibet, ad Salomonem ſapientiæ atque magnificentiæ viſendæ cauſa profectam; elegans epigramma Sam. Bocharti ἀνέκδοτον recitat, quo regina iſta cum Eliſabetha Angliæ regina componitur p.33. Conſpecta deinceps Eraſmi imagine in Bibliotheca templi ſuſpenſa p.37, de ejus patria diſſerit p.38, & maximo opere contendit, *Gaudanum* eum potius quam *Roterodamum* dici debere, quod ex epiſtola ipſius Eraſmi ad Herm. Læthmatium olim ſcripta, quam Gaudani poſſederint, ſed furto amiſerint, oſtendi poſſit, profeſſum Eraſmum *ſe eſſe Gaudanum*, & dolere, *quod Roterodamenſem ſe, non Gaudanum ſcripſerit* p.38. Ex Baudio p.39. probat, parentes ipſius Gaudæ habitaſſe, & cum partitudo matri appeteret, Roterodamū eam conceſſiſſe, ubi parentes non conſtituerant domicilium. In ea ergo urbe patriam ſortitum dici non poſſe, ſed locum & domicilium parentum patriam tribuere cenſendum, epiſtola prolixa *Bern. Coſteri* ſuper hoc argumento ſcripta p.44. & ſeq. demonſtrat. Profert dein aliquas nondum editas Eraſmi p.62, Martini Dorpii p.66, Alb. Pighii p.68, Flor. Junii p.72, Viglii Zuichemii p.80, Jo. Oporini p.85, Joh. Fiſcheri Ep. Roffenſis p.86. ad Herm. Læthmatium datas epiſtolas. In contemplatione pictarum tabularum, in æde iſta extantium, prædicatur magnificentia Galliarum Regis Ludovici XIV, & Magni Hetruriæ Ducis, qui academias pictorum liberaliter alunt p.97. Pictores etiam Gauda oriundi celebres, Theodorus & Gualtherus Crabethii, Cornelius Gaudanus, Simon Jacobi, Cornelius Viſſcher, Damianus, Petrus Pourbus, Cornelius Ketelius nominantur p.99, narraturque, Holbenium famigeratiſſimum illum pictorem ſiniſtra pinxiſſe manu, & quendam alium pedis pollicibus & digitis hominum imagines accuratiſſime delineaſſe p.100. De arte colorandorum vitrorum p.102. diſſeritur, & de ea libros in Paulina apud nos Bibliotheca extare memoratur. Ludi puerorum, qui peraguntur æneis nummis p.103; aurei globi, vel aurea mala, quæ e templorum laquearibus dependent p.104; uſus vaſorum ligneorum circulis (Reiffen) connexorum, noſtris hodiernis ſimilium, in vino condendo a veteribus adhibitus p.105; feminarum contorti & in criſtam erecti capilli, *turrita capita* Hieronymo, *tutuli* Feſto & Var-

Varroni dicti, p. 106; virorum capillamenta adſcititia, ſeu galericula, p.112; vox Belgica *vanden* p.113. in examen veniunt. Extra urbem delatis ſermo inſtituitur de Iſala & Iſela diverſis fluminibus p. 116, quorum hoc Gaudam præterlabitur, carmine celebratum Belgico a Conſtantino Hugenio p. 119, Latino a Petro Scriverio p.120. 121; de variis item puerorum Belgicorum luſibus diſſeritur, eosque veteribus uſitatos fuiſſe oſtenditur. Qua ratione ille, quo lapillis aquarum ſuperficies ſtringitur, ἐποστρακισμὸς dictus, e Minucio Pelice recenſetur, p.122; iſte, quo ſtrepitꝰ excitatur, dum folium tiliæ duobus ſiniſtræ manus in orbem contortis digitis impoſitũ dextra percutiendo confringitur, quod πλατυγίζειν olim dictum eſt, e Meurſio priſcis haud infrequẽs fuiſſe traditur p. 125. Quando pueri uno pede ſaltãt, ἀσκωλιασμὸν vocari; quando aviculas funi alligatas volatui limitato permittunt, μελολόνθην dici p. 125; quando glandes taloſque in foveam projiciunt, τρόπα ludum iſtum nuncupari, p. 126; quando clauſis obvelatiſque oculis unus e pueris manibus extenſis obambulat, unum e cœtu arrepturus, cui vices ſuas, ſi, quis iſte ſit, recte divinaverit, imponat, quem ludum Batavi *blinde mannetje*, nos *blinde kuh* vocamus, Græcis μυῖα χαλκῆ dictum p. 134; quando quis planis manibus proprios comprimit oculos, & pulſus nominare jubetur eum, qui percusſit, κολλαβισμὸν nuncupatum fuiſſe docetur p.135. Eaque occaſione proverbium, quo Gaudani convitio *oſcitatorum* petuntur, explicat ejusq; rationes reddit p.123. Mos item ille, in circulo tradendi ramuſculum ardentem, additis vocibus *Luydje leeft nog*, i. e. adhuc vivit Luydula, cujus, priusquam in orbem rediiſſet, ſi in alicujus manu extingueretur flammula, mulctam incurrat conſtitutam, ex Græca λαμπαδοφορία accerſitur p.140; & vocabuli *luytje* vel *louwtje* origo inquiritur p.141. Inde de mulierum ſemine disquiritur, iſtudque verum iis ineſſe, ovisque veluti incluſum contineri, neque Chriſtum *ſemen mulieris* dici poſſe, ſi nullum ſexui iſti competeret, affirmat p. 141. Tum ſermo naſcitur de optimo antiquiſſimoque regimine terrarum, utrum monarchicum, an ariſtocraticum ſit, p 147; de cauſa, ob quam Samſoni abſcisſis ſeptem capillorum cinnis (Jud. XVI, 19.) defecerit incredibilis illa fortitudo, p.150; de terriculamentis ſeu μορμολυκείοις puerorum apud antiquos adhibitis, unde nata nomina Man, Manniꝰ, Gello, Baucate aut Baucale, Empuſa, Accus, Alphetus, p.152; de ſcala in ſomnio Jacobo viſa p.157;

Vu 2 de ro-

de roſis menſæ ſuperimpendentibus, ad ſignificandam ſilentii fidem, p.158; de uſitato veteribꝰ menſæ accumbendi ritu p.161; de panis nomine, figura varia & piſtura p. 162; de cultrorum ſuper menſa adhibitorum uſu p.167; de ſale appoſito menſæ p.168; de potu ſuaveolentibus vel ſuccis, vel floribus, vel balſamo inficiendo p.170; de bufonis & lilii figura in capitibus gallorum gallinaceorum, eorumque cerebro diſſecto deprehendenda, lapidibusq; in eorum ventre p.174; de cœna lautiori dari ſolita iis, qui ad ſupplicium damnati ſunt p.176; de cauſa, ob quam certarum avium eſu interdixit Iſraelitis Deus p. 177; de foculis menſariis, quos antiqui vocarint *vatilla* p.177; de medicamentis adverſus uſtiones p.178; de acido, an ſanitati obſit, p.179; de remediis adverſus oculorum morbos p.181: de erroribus pictorum variis, qui e.g. Ganymedem aquilæ dorſo inequitantem pingunt p.183, Herculem leonis ora diſrumpentē, Cleopatram lethum ſibi ſerpente pectori admoto parantem, Sanctorum capita radiatis Solis circulis illuſtrata p.184, Chriſtum in cunis vagientem fulgore conſpicuum p.185, Angelum e paradiſo protoplaſtos expellentem gladio flammante inſtructum p.186, Moſen cornubus armatum p.189, Caini ſacrificium verſus terram depreſſum, in Abelis holocauſto ſurſum adſcendente fumo p.189, Spiritum S. columbæ forma conſpicuum p.197; quæ omnia pictorum nugamentis accenſenda tradit. Adhuc quæſitum eſt inter alia, de varia poculorum apud antiquos cælatura p.211; de Bacchi corona hederacea & laurea p.213; de materia poculorum veteribus uſitatorum p.220; de conſuetudine propinandi in alterius ſanitatem, p.221; de poculis, quibus literæ inſculptæ, *literatis* ſeu *grammaticis* inde dictis p.222; de placentis, quæ *oblies* Gallis dictæ, Græcis ὀβελίαι appellatæ p.225; de olivis & earum viribus p.226; de Lunicolis & Solicolis p.230; de loco Jerem. X, 2. in quo per *ſigna* intelligenda eſſe docet ſchemata natalitia, ſeu genituras e conſtellationibus collectas p.231; de aſtrologia judiciaria p.233; de Lunæ in ſublunaria poteſtate p.235; de Veneris ſtella aliisque ſideribus pro fauſtis quæ habita p.237; de Magorum ſtella p.238; de Cometis & eorum ſignificatione p.242; de Coreana Dea p.248. Quæ omnia poſtquam largam diſſerendi materiam præbuiſſent, jamque Gaudam relicturi abitum pararent Comes & Ephorus ejus, ineditam hactenus *Dominici Baudii* epiſtolam iis in itinere legendam, jucundiſſimæ conſuetudinis memoriæ cauſa, traditam narrat p.250, qua ille exquiſitiſſimis verbis Jo. Uytenbogarid

garid

gardi opem in perſuadenda &, allicienda ad amorem ſui puella quadam implorat p.253. *Joannis de Laet* etiam comm. in Epiſtolam Pauli ad Titum, p.258, qui perinde lucem non adſpexerat antea, iis donatum memorat.

Epiſtolæ huic variam eruditionem complexæ adjunxit Auctor collectionem centum & quinquaginta epigrammatum, eum in modum, quo Petr. Pithœus A.1596. ſyllogen eorum publico dedit, e variis Scriptoribus depromptorum, & e Cuſpiniani, Dempſteri, Sirmondi, Caſtalionis, Lipſii, Reineſii, Scaligeri, Caſauboni, Menagii, Heinſii, Scriverii, Salmaſii, Graſſeri, Capacii, Sponii, Grævii, Fleetwoodi, Barthii, monumentis excerptorum. Adjecit etiam Syllabum plagiariorum, eo quem anno 1685. prodiderat, longe auctiorem, omiſſos in iſto fidei minus bonæ Scriptores, qui, unde ſua hauſerint, profeſſi non ſunt, omnium oculis exponens. Epiſtolam quoque Henr. Sypeſteinii ſubnexuit, quæ prudenter admodum & circumſpecte, quid pro plagio literario habendum ſit, quid minus, docet, & quam ſollicite fugiendum ſit iſtud, quod vere nomen hoc meretur, monet. Indicem in Jac. Thomaſii & Jo. Alb. Fabricii de plagiis litteratorum diſſertationes & collectiones ultimo loco collocavit.

Cæterum quando in Amœnitatibus varios ab induſtria ſua nos expectare juſſit Auctor ſolertiſſimus commentarios, de Vita Caſauboni p.114, Conjectanea p.144, de Balneis p.215, de veterum in medicina ſuperſtitione p.229; iſtos, & forte alios, quos paratos habet doctrinæ fœtus, ut publico dare ne moretur, optamus.

LA VIE DE CORNEILLE TROMP &c.

i. e.

Vita Cornelii Trompii, Hollandiæ Archithalaſſi.

Hagæ Com. ap. St. Foulque, 1694. in 12. Alph. 1. *Lib. I.*

NOn tam Cornelii Trompii fortiſſimi Viri vitam, quam rerum omnium a quinquageſimo ſecundo hujus ſeculi anno ad nonageſimum primum, præclare fortiterque mari geſtarum ſeriem, ſiſtit hicce liber. Quæ cum neminem fugiant, paucis ea ſaltem indicare juvabit, quæ de ipſo Trompio ſcire non injucundum erit. Patrem ejus

Digitized by Google

fuiſſe Mart. Harperum Trompium, conſtat, qui egregia virtutis ac fortitudinis exempla præivit filio, per quæ ad immortalem decurreret gloriam. Commiſerant illi Ordines Fœderati Belgii claſſis præfecturam A. 1652, ut naves Belgicas ab Anglorum inſultibus immunes præſtaret. Nec defuit partibus ſuis Trompius; ſed caſu & fatali quodam errore, res inter utramque claſſem ad prælium pervenit; unde in mutua odia Angli Belgæque exarſere, quæ cruento & pene irreconciliabili bello vix potuerunt expiari. Diſceptatum acriter inter utramque gentem de belli hujus auctore fuit; Anglis in Trompium culpam omnem conjicientibus, Trompio contra in Anglicæ claſſis Ducem ruptæ primum pacis crimen transferente. Nec res componi potuit, donec belli pertæſi arma ponerent, quietemque ac pacem redderent feſſis patriæ rebus A. 1655. Trompius autem eodem anno in prælio navali in ipſo fortitudinis theatro periit, animamque fortiſſimam efflavit. Interim Cornelius, Martini Harperi filius, belli maritimi tirocinium haud infeliciter poſuerat in mari mediterraneo, eoque ipſo promeruerat, ut ad primos dignitatum navalium titulos eveheretur.

Lib. II. Partam præclaris facinoribus gloriam ut nova acceſsione augeret, opportuna mox ſeſe offerebat occaſio. Poloniæ Regi, Johanni Caſimiro, arma inferebat Carolus Guſtavus Rex Suedorum. Jam vero & Dantiſcum, potentiſſimis Regibus inter ſe dimicantibus, haud ſine ratione ſibi metuebat; quam urbem ſalvam eſſe, ne commerciorum periclitaretur libertas, Batavorum magnopere referebat. Claſſe itaque inſtructa ſecuritati urbis conſulunt: quam ſervaſſe Trompio quoque glorioſum fuit & perhonorificum. Nec infelicius partibus ſuis functus eſt, cum juſſu Ordinum, Balthicum mare peteret, Friderico III. Daniæ Regi, contra Carolum Guſtavum, ſuppetias laturus, illudque ſuis nobilitaret victoriis. Sed iſto quoque bello die 26 Junii A. 1660. finito, Trompius maritimos prædones conſectando, mare mediterraneum tutum reddidit. Interim Angli haud dubiis argumentis prodiderant animum, incrementa Reipublicæ Belgicæ quam ægerrime ferentem. Mox igitur in novum bellum odia iſta erupere. Summam rei jampridem commiſerant Belgæ Jacobo d' Opdam clariſſimo Viro, reique maritimæ longe peritiſſimo, qui cum in navali prælio fortiter pugnando periiſſet, omnium quidem oculos animosque in ſe convertebat Trompii virtus, nec alius ſeſe offerebat, dignior qui eſſet,

ut

at ſuccederet Opdamio. Sed vero dum deliberationibus & bellico apparatui rite inſtituendo vacant, ex Guinea cum claſſe redit Rüterus. Sine mora ergo huic ſummam rei maritimæ deferunt; id quod adeo male Trompium habebat, ut privatam vitæ conditionem, otiaque honeſta, militaribus præferret honoribus. Tandem cum ab aliis edoctus intelligeret, quam turpiter vir fortis, ambitione ductus, patriæ ſua deneget officia, ſimulque Ordinum auctoritate commotus, mutata ſententia navem conſcendit. Si unquam vero, ea ſane ætate mare victoriis illuſtratum, nobiliſſimisque pugnantium facinoribus ſignatum eſt. Sæpius quidem acriterque pugnatum fuit, ſed dignum memoratu præcipue iſtud prælium eſt, quod die 11. Junii A. 1666. inceptum, & decimo quarto demum ejusdem menſis die finitum eſt. Illud mox aliud excepit die 4. Auguſti, ſed & Belgis & Trompio funeſtum. Cum enim plena victoria ad Anglos tranſiiſſet, Belgica claſſe tantum non aut deleta aut fugata, Rüterus Trompium aut perfidiæ aut imprudentiæ arguere, certe acceptæ cladis culpam in eum derivare, nullus dubitavit. Trompius ſe purgat pro viribus, & quam ab omni crimine fuerit remotiſſimus, oſtendere ſatagit: ſed adeo nihil hac ſua utut juſta defenſione profecit, ut magiſtratu abire ab Ordinibus Fœderati Belgii juberetur. Nihiloſecius tamen privatus quoque patriæ ita addictus fuit, ut ampliſſimas etiam dignitates, maximosque honorum titulos a Gallis ſibi oblatos, ſpreverit. Belgæ autem Anglique ſæpius inde, aſt vario eventu conflixerunt, donec pace Bredæ A. 1667. die ultimo Julii inita contentionibus finis imponeretur.

Ceterum invidendis incrementis aucta Gallorum potentia, præcipue Belgis formidinem injiciebat, & ſuæ rite eos conſulere jubebat ſecuritati. Hinc fœdere cum Anglis Suedisque percuſſo, ſe muniebant. Galliæ vero Rex cum petere bello Belgas decreviſſet, haud difficulter Angliæ Regem ad ſuas pertraxit partes; qui etiam fœderis inſuper habita ſanctitate, una cum Gallis in eos arma ſumere non detrectavit. Et initio quidem Galliæ Rex incredibili ſucceſſu & felicitate uſus, per Belgii Fœderati ditiones arma victricia circumtulit: & actum fuiſſet, niſi Rüteri & Trompii virtus, non ut ille cunctando, ſed vincendo, mari Belgicam reſtituiſſent rem. Tum enim rebus gerendis iterum admotus eſt Trompius, ſimulque cum Rütero in gratiam rediit, inque amicitiam firmiſſimam & plane ſinceram fortiſſimi Du- *Lib. III.*

ces

ces coaluerunt. Rem omnem paucis eloquar: utriusque Regis claſſem vicit Rüteri Trompiique virtus; quin deleta prope Anglorum claſſe, & ſæpius fugata, A. 1673. denique pax ſincera cum Anglis Reipublicæ Belgicæ reddita fuit. Galliæ tamen nondum comprimi ſpiritus poterant, quæ exinde non raro cladi ſuæ ingemiſcens Trompii virtutem fuit experta. Nec tamē defatigari ita potuit, ut non novas ſubinde ſumeret vires, percuſſoq; cum Sueciæ Rege fœdere, nova ſibi pararet præſidia. Laceſſere nimirum ille Brandenburgicum Electorem cœpit, ſed profecto adeo non impune, ut inſigni accepta clade, magna ditionum, quas in Germania poſſidebat parte, prius fuerit exutus, quam defenſionem moliri fortiſſimum Heroem crederet. Simul vero Daniæ Rex terra marique bellum illi indixit, quod utrinque magna fortitudinis laude fuit geſtum. Claſſis tamen Suecorum aliquoties victa fuit ac profligata, ope potiſſimum Trompii, qui ad opitulandū Daniæ Regi juſſu Ordinum cum navibus quibusdam advolaverat. Quibus rebus etiam effectum eſt, ut mortuo interea Rütero, rei maritimæ ſummam penes Trompium Fœderati Ordines eſſe voluerint. Singula quibus in hac expeditione nobilitatus fuit facinora, Auctor accuratius perſequitur. Denique cum novo bello, cujus hodienum orbi incumbit moles, Belgæ involverentur, omnem quidem ſpem in Trompii collocabant virtute; ſed dum expeditioni ſe accingit, morte præventus, Gallorum nimirum, ut nonnulli putant, inſidiis oppreſſus, occubuit. Mortuus eſt Amſtelodami A. 1691. die 29. Maji.

LUCÆ TOZZI, NEAPOLITANI, IN HIPPOCRATIS Aphoriſmos Commentaria.

Neapol. Sumtibus Hered. Coſmi Fioravanti, 1693. in 4.
Conſtant Alph. 4. plag. 8.

Hippocratis de Medicina auxiliatrice tanta ſunt merita, ut jure Parens & Reſtaurator Artis, quin & ipſius Sanitatis Columen dicatur. Et quanquam, quod dolemus, celeberrima ejus Scripta temporis injuria, manibusque impiorum quorundam defœdata graviter conſpiciantur; tantæ tamen olim, dum adhuc pura eſſent, dignitatis habebantur, ut Galenus lib. de Uſu partium c. 8. plane nil perperam ab eo ſcriptum eſſe affirmaverit; & in ſolis Aphoriſmis, Hippocratem

cratem divino ingenio fuiſſe, tot hodienum documenta continentur, ut plura in rem noſtram teſtimonia petere nulla nos urgeat neceſſitas. Nulli proinde miramur eos, qui horum præſtantia commoti, gravem iis explicandis impenderunt operam. Quos inter ſuum quoque locum ſplendide tuetur vir clariſſimus *Lucas Tozzus*, Neapolitanus, qui improbo labore Aphoriſmorum horum priores quatuor libros doctiſſimis Commentariis in duos Tomos diſtinctis exornare aggresſus eſt. Qua quidem opera ſententias has Hippocraticas verborum inopia laborantes, diffuſo doctrinæ Medico-Practicæ flumine inundavit & reſtituit, ex centenis, quibus premebantur, difficultatibus extricavit, ad genuinam Autoris mentem cuncta explanavit, quamplurimis denique ad Medicinam Practicam facientibus monitis exornavit, & illud ubique præſtitit, ut labor omnibus, quibus ſanitas ægri curæ eſt, multiplici utilitate ſemetipſum commendare valeat.

PUBLICORUM NEGOTIORUM SYLLOGE, in lucem edita a Johanne Chriſtiano Lunig.

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Joh. Theodori Boetii, A. 1694. in 4. Alph. 7. plag. 7.

QUi in colligendis Actis publicis negotia majoris momenti concernentibus curam paulo accuratiorem adhibent, non eam modo experiuntur utilitatem, ut rerum geſtarum memoriam imprimis ſibi reddant cognitam, verumque earum tenorem tanto felicius a ficto diſcernere valeant, ſed etiam, ut ſtyli genium, qui iſthæc talia tractaturis obſervandus ſit, tot in præclaris exemplis, tanquam in regula certisſima perſpiciant. Atq; his ipſis rationibus commotum ſe fuiſſe fatetur clariſſimus *Lunigius*, ut ſuis primum commodis, ac deinceps uſui etiam publico hanc Syllogen deſtinaret. Iſta autem literas cujuscunque fere generis, varia item decreta, ſalvos conductus, plenipotentias, memorialia, propoſitiones, reſolutiones, obſervationes, declarationes, proteſtationes, vota, pacta, fœdera, inſtrumenta pacis, &c. quæ cuncta Latinis verbis concepta, & intra proximum vicennium ab Auguſtisſimo Romanorum Imperatore, univerſis Europæ Regibus, S. R. I. Electoribus, Principibusque ac Statibus diverſis promulgata fuere,

Digitized by Google

ita exhibet, ut annorum in diſpoſitione obſervetur ſeries, lemmataque ſingulis præmittantur utiliſſima, & index tandem negotiorum publicorum, ſive ſingularum rerum in hoc opere contentarum, ſummaria exhibens ſubjiciatur.

NICOLAI GÜRTLERI IN ATHENÆO HANOVIENSI SS. Theol. Doct. & Prof. Ordin. Inſtitutiones Theologicæ.

Amſtelodami, apud Henricum Wetſtenium, A. 1694 in 4. Conſtant Alphabetis quinque, & tribus cum dimidia plagulis.

NOvimus & quotidianis experimentis edocemur, magnam vim ordinis ac methodi eſſe ad diſcendum, & longe facilius capi cum cura diſpoſita, quam in quibus diſpoſitionem facilem ingenium nondum invenit, ſed eam ſibi demum fingere neceſſe habet. Conſtat vero Spiritum S. in Sacris literis, quamvis propoſitum ſibi habuerit, homines *reddere ſapientes ad ſalutem per fidem*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu*, *eosque ad omne opus bonum perfecte inſtruere*; nullum tamen librum ſacrum Amanuenſibus ſuis inſpiraſſe, certa aliqua methodo, quicquid ad ædificationem noſtram faceret, complectentem: cujus rei rationes ſapientiæ divinæ idoneas fuiſſe neceſſe eſt, etiamſi easdem exprimere non valeamus. Reliquit ergo Doctor optimus aliquid induſtriæ piorum, qui ut diſcant & doceant alios, univerſam Scripturam indefeſſa opera evolvere neceſſe habent, ut colligant diſperſa, de ſingulis rebus ideam ſibi pleniorem formaturi. Hoc cum omnium, ſi ſine libris aliis eſſemus, officium futurum eſſet, non improbanda illorum eſt induſtria, qui, quod ita reperere, literis conſignarunt, & qua ratione ab aliis facilius poſſet concipi, in ordinem redegere, & quidem vel ſuccinctius vel diffuſius: qui labor *Compendia* & *Breviaria*, vel *Majora Syſtemata* peperit. Hæc, modo pie ac prudenter concinnata fuerint, nemo dixerit Scripturæ obſtare, & hujus amore incenſo parum proficua eſſe. Nihil enim aliud iſta ſunt, quam *Diſpoſitio veritatum divinarum in libris* Θεοπνεύστοις *diſperſarum, & doctorum ſtudio in ordinem redactarum*. Unde, cum in ordine concinnando propria noſtra alioquin occupari deberet induſtria, labore iſto alio-

aliorum nos nonnihil levat diligentia, oculis noſtris collectum ſiſtens, quod diſperſum hinc inde quærebamus. Ex quo patet, grato potius animo agnoſcendos eſſe labores Theologorum, quos talibus impendere libris ſolent, quam ut ſperni mereantur.

Palmam in hoc genere ſcribendi, ſi non aliis præripere, certe dubiam facere videtur excellentiſſimus harum INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM Autor, ſolidioris eruditionis cultum, cum veræ pietatis amore & judicandi dexteritate ſingulari conjunctum, undique ſpirans. Qui, ut de inſtituti ejus ratione laudabili nonnulla commemoremus, nobis hic *Syſtema veritatum, quæ ſecundum pietatem ſunt, concinna admodum ſerie connexarum* exhibet, ordinis naturalis, a primis & ſimpliciſſimis ad poſtrema & compoſita, a facilioribus ad difficiliora, a communiſſimis ad ſingularia progredi jubentis, præcepta ſecutus. Ipſam doctrinam arctis comprehendit *Theſibus*, ut commodius ſubſiſtat Lector in contemplatione veritatis unius, quia non licet pergere ad ſecundam tertiamve, niſi primam recte percipiamus, firmiterve credamus. Theſibus ſubjunxit *Loca S. Scripturæ*, quibus nituntur; at recenſere teſtimonia integra noluit, ut cultores Sapientiæ cœleſtis ipſos legere ac meditari Codices divinos asſueſcerent. *Placita Adverſariorum ac Diſſentientium* (maxime Socinianorum & Arminianorum) ſuis ipſorum, in adjectis annotationibus, propoſuit verbis, labore ingenti ac prolixo, quo ſuperſedere aliquando ſtatuit ad minuendam libri molem, ſed inſtitit cœpto ſapientisſimorum ſuaſu Virorum, ſecum agnoſcentium, neque omnibus ſuppetere tot librorum copiam, neque animum eſſe vel otium eos inſpiciendi, quod tamen ſit neceſſarium ad dijudicandas Autorum ſententias. Quæcunque autem *aliis ex Scriptoribus citavit*, ſuis, in eorum codicibus, ſe vidiſſe ac legiſſe oculis, in Præfatione aſſeverat, præter unum alterumve Auguſtini vulgatiſſimum dictum, & loca non nimium multa, quæ indicati a ſe Viri docti allegarint: ut prolatis teſtimoniis tuto fidere lectores queant. In fine ſingulorum capitum adjecit *Uſus* ad pietatem & conſolationem, exemplo fere novo, difficilique, ſed neceſſario, omnibusque ſequendo, ne in Theologica diſciplina diſputare ſolum vel altercari, ſed & pie vivere, nosque & alios ſolari diſcamus. Sane & Apoſtoli doctrinæ Evangelicæ monita pia, ſolatia læta, preces & colloquia cum Deo, vel inſeruere pasſim, vel præ-

ſertim in fine Epiſtolarum ſubjecere. Fatetur tamen ingenue GURTLERUS cordatisſimus, nullam totius Operis partem hac eſſe imperfectiorem: neque defectum excuſat, ſed emendari ſupplerique a probis Doctoribus optat. Idem ante ipſum tentaverat PETRUS VAN MASTRICHT; Theologus Ultrajectinus, in *Theologia Theoretico-Practica*, Amſtelodami anno 1682. edita: qua per capita ſingula pars dogmatica, elenchtica & practica, perpetua *συμβιβάσει* conjugantur. Sed, præter *Tomum I.* nihil ulterius de hoc egregio Opere vidit hactenus Orbis literatus. Quanquam nec unius Viri penſum eſſe exiſtimet *Noſter*, ſed a multis Chriſti diſcipulis, diverſæque ætatis & conditionis, imo & profeſſionis, colligi expetat cogitationes momentorum, quibus ferventiſſime quisque cum Deo loquatur, vel Dei in corde alloquium audiat, charitatemque ſentiat. *Sermonem* ubique adhibuit *planum* & *facilem*, ſcholæ caliginoſis dictionibus vacuum, ut, ſi vellent, cum fructu legere has ejus elegantiſſimas Inſtitutiones poſſent & ii, qui aliud vitæ genus ſectantes, vocabulis & formulis Academiarum obſcurioribus asſueti haut ſunt.

Hæc de *integra libri Structura*: ad quam jure meritoque ſuo ſpectat *Syllabus Capitum* hoc tenore ſe inſequentium. Caput I. ſiſtit Præcognita. Capite II. agitur de libris, in quibus humanæ liberationis medium a Deo eſt revelatum. Cap. III. de Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Cap. IV. de Dei Patris, Filii & Spiritus S. conſilio & decreto in genere. Cap. V. de principio executionis decreti Divini. VI. de ſpiritibus. VII. de homine. VIII. de officio hominis & officii præmio. IX. de libertate hominis officium ſervandi. X. de prima hominis culpa. XI. de miſeria primam hominis culpam ſecuta. XII. de propagatione miſeriæ in genus humanum. XIII. de conſilio gratiæ & iræ exercendæ erga genus humanum. XIV. de Liberatore ac ejus ſponſione. XV. de ſalute nobis in Liberatore deſtinata. XVI. de conſervatione & gubernatione mundi, ad exequendum conſilium gratiæ & iræ. XVII. de conſilii gratiæ executione per promiſſionem tempore primo. XIIX. de Seminis liberantis exhibitione in typis & apparitione, tempore primo. XIX. de ſalute ſeminis liberati tempore primo. XX. de ſemine liberato temporis primi. XXI. de ſemine Serpentis tempore primo. XXII. de conſilii gratiæ executione per Vetus Teſtamentum tempore ſecundo.

Digitized by Google

do. XXIII. de promiſſionis confirmatione & amplificatione tempore ſecundo. XXIV. de Seminis liberantis exhibitione per typos & apparitionem tempore ſecundo. XXV. de ſalute ſeminis liberati tempore ſecundo. XXVI. de ſemine liberato temporis ſecundi. XXVII. de ſemine ſerpentis tempore ſecundo. XXIIX. de adventu Meſſiæ in carne ſub finem temporis ſecundi. XXIX. de Meſſiæ vita privata & publica. XXX. de Meſſiæ paſſione, reſurrectione & aſcenſione in cœlum. XXXI. de Meſſiæ officio ſacerdotali, prophetico & regio. XXXII. de conſilii gratiæ executione per Novum Teſtamentum tempore tertio. XXXIII. de ſalute Seminis liberati tempore tertio. XXXIV. de Semine liberato temporis tertii. XXXV. de Semine Serpentis tempore tertio. XXXVI. de fine temporis tertii, judicio ultimo, & ſalute æterna. Hic primo obſervamus, quoad executionem conſilii gratiæ erga heredes Dei exercendæ, retentam fuiſſe diviſionem totius mundi ætatis in tres articulos, quorum primus erat Promiſſionis, & ſecundus V. Teſt. ſive Legis, tertius vero eſt N. Teſt. ſeu regni Meſſiæ. Ut verborum Pauli Hebr. XIII, 8. apta hæc ſit declaratio: Jeſus Chriſtus *heri*, tempore promiſſionis; *hodie*, in fine V. Teſt. & *in ſecula* regni Meſſiæ: Idem ſemper eſt fidei noſtræ fundamentum & objectum, idem Liberator. Periodum promiſſionis a temporibus V. T. ipſe diſtinguit Paulus Gal. IV, 24. quando horum principium deducit a pactione fœderis in monte Sina, Moſe inter Deum & Iſraelem internuncio. Sicuti & Moſes expresſis verbis teſtatur, fœdus in Horebo initum cum Iſraele diſtare a pacto, quod Deus cum Patribꝰ ſanxerit, Deut. V, 2. 3. Et hanc temporū in tres articulos diſtributionem jam fecit olim *Proſper*, cujus verba ex Prologo L. de promiſſ. & prædict. recitantur c. XVI. hujus Syſtem. f. 409. Deinde notamus, appellationes *Seminis liberantis* (i.e. Chriſti) *& Seminis liberati* (i.e. hominū piorum) nec non *Seminis Serpentis* (h.e. impiorum) depromtas eſſe ex Geneſ. III, 14. 15. Cujus loci uberior explicatio traditur Cap. XVII. §. 8. ad 67. f. 415. ſqq. Denique ſalutem nobis in Chriſto Liberatore partam, quæ omnibus Dei hæredibus ac filiis, per omnia tria Eccleſiæ tempora obtingit, ex 1. Tim. IV, 8. (*Pietas habet promiſſionem hujus & futuræ vitæ*) deduci videmus, ita ut ſub *bonis hujus vitæ*, communio & conjunctio cum Deo & Mediatore per fidem, adoptio, juſtitia, ſanctificatio, horum beneficiorum partim conſtantia, partim conſcientia; ſub *bonis* au-

tem *futuræ vitæ* perpetua beatitudo in cœlo comprehendatur. Conf. Cap. XV. §. 12. 13. 14. f. 247. De ipſis Libri hujus Partibus notabilioribus monere quicquam omiſit Autor in Præfatione, niſi de recenſione *ſeminis liberati*, & *ſeminis ſerpentis*, quam pro falli neſcia inter Sanctos relatione aut condemnatione haberi non vult. Cum enim cives regni cœlorum ament cupiantque civium numerum, ideoque civibus accenſeant, quoscunque putant Regi obſequia præſtare fidelia: inde accidiſſe ſcribit, quod de *Zoroaſtre* ſit bene opinatus, etſi Viri docti obſcura & nimium dubia habeant, quæ Plutarchus de illius doctrina & religione narrat, vel ſuppoſititiis annumerent, quæ clariora de vero Deo teſtimonia ab eodem profecta eſſe dicuntur. Ex adverſo, quoniam viperina opera diſpliceant ubique, miſceri facile potuiſſe ait cum ſemine ſerpentis, quos pravorum facinorum egiſſe pœnitentiam ſit ignotum. Scilicet malis actionibus malæ turbæ aggregari meruiſſe iſtos, ſed qui aggregat, invitum id facere. Nos vero ex innumeris, quæ inter legendum ſe nobis obtulerunt, ſaltim nonnulla memoratu digniora, ad ſalivam movendam erudito Lectori, cujus cenſuræ omnia permittuntur, hic recenſebimus.

f. 130. Cap. IV. §. 5 & 6. Miratur, quare viri docti putarint, primos Parentes integros adhuc & rectos myſterium Trinitatis venerandæ ignoraſſe, cum certiſſimum ſit, mentem ipſorum primo ſtatim vitæ momento fuiſſe a Deo determinatam ad hasce cogitationes: Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Ens unum perfectiſſimum, & hominem & reliqua omnia feciſſe; & eas cogitationes ſervare ac ſubinde repetere debuiſſe.

f. 133. Cap. X. § 28. 29. Divina moderante Sapientia accidiſſe ſcribit, quod homo uterque Dei mandatum violavit. Quid enim, ſi Eva peccaſſet ſola, *liberine ſancti*, quærit, *an corrupti fuiſſent nati? matrisne luiſſent culpam, an accepiſſent præmium patris?*

f. 150. Ibid. §. 53 54. 55. Decuiſſe Deum, ſcribit, Adami integritatem conſervare, ſi id petiiſſet: cum non poſſit Deus fruſtra quæri; Adamus autem, rogando acceptæ imaginis Dei conſervationem, Deum quæſiviſſet. Sed poſtquam homo in periculo fundere omiſerit preces pro conſervatione mutabilis felicitatis, qua tum fruebatur, non decuiſſe Deum conſervare hominis integritatem: ab homine enim requiri, ut teſtetur, ſe a Deo dependere, quæ cultus divini ſumma ſit.

De

De cætero potuiſſe Deum abſoluto dominio ac liberrimo arbitrio Adamo non dare voluntatem petendi a Conditore integritatis cuſtodiam: ſuffeciſſeque datam ſapientiam, qua noſſet, ſine precibus in integritate ſe perſeverare non poſſe.

Cap. XIII. §. 7. ad 10. Eccleſiæ Reformatæ doctrinam de Prædeſtinatione his verbis proponit: *Deum Patrem ab æterno cum Filio & Spiritu Sancto iniiſſe conſilium de nonnullis ex miſeria, in quam peccato incurrerant, liberandis. Quosdam enim ex univerſo genere humano miſeriæ obnoxio dilexiſſe, & Filio liberandos tradidiſſe, adjecta pollicitatione, liberatos fore ejus hereditatem. Tum Filium promiſiſſe Patri, ſe omnia præſtiturum, quæ pertinerent ad liberationem eorum, quorum Heres ac Dominus conſtituatur. Utrumque autem, Patrem ac Filium,* petiiſſe a Spiritu S., *ut liberando in populo extinctam Dei imaginem repararet, ac ſapientiam, ſanctitatem ac vitam renovaret. Cui* petitioni *cum Spiritus S. annuiſſet, eos, quos Pater benevolo primum oculo adſpexerat, communi trium Perſonarum decreto, ad ſalutem immutabilem electos fuiſſe. Reliquos e contrario, qui non diligebantur, Patrem ad oſtendendam juſtitiam, in miſeria dereliquiſſe, Filium ſolutionem pro iis non ſpopondiſſe, & Spiritum Sanctum ſtatuiſſe imaginem Dei in iis non reficere.* f. 193.

Ibid. §. 61. ad 67. Sententiam ſectatorum B. Lutheri contrariam e Kromayeri noſtri Theologia Poſitiva candide ac ſine bile, quod & in cæteris capitibus nobiſcum controverſis fecit, proponit. f. 207.

Cap. XIX. §. 72. Refectionem præputii factam fuiſſe ſtatuit die octavo, forſan ad ſignificandum, præterlapſis ſeptem populi Iſraelitici ex Abraha naſcituri ætatibus, venturum tempus beatum, quo Deus circumcidit cor noſtrum ad ipſum amandum, Deut. XXX, 9. f. 464.

Ibid. §. 113. *Carcerem* 1. Pet. III, 19. memoratum docet eſſe locum ſupplicii æterni: *Spiritus* in eo concluſos eſſe animas hominum primi mundi, damnatorum ob pertinaciam peccandi. Ad eos adhuc viventes, diluvio nondum immiſſo, e cœlo in terram *profectum eſſe* Filium Dei ſecundum *Divinitatem ſuam*, humana carne nondum veſtitum, & attuliſſe ſecum ſermonem gratiæ ac reſipiſcentiæ, ſed a profana gente contemtum. Conf. cap. XXI. §. 26. f. 493. f. 474.

Cap. XX. §. 3. In verbis Gen. III, 22. Deum collaudaſſe tradit Ada- f. 477.

Digitized by Google

Adami fidem, per quam uni ex tribus perſonis Deitatis, Filio Dei, deſignato Mediatori, factus ſit ſimilis.

f. 479. Ibid. §. 17. Inter eos, quos undæ ferales abſorpſerunt, multos evaſiſſe pœnas æternas haud dubitat: quia Petrus teſtatur, *eos, quorum carnem homines ſcirent ad ſupplicium mortis damnatam eſſe, nihilominus judicio Dei vivere ſpiritu aut mente*, 1. Petr. IV, 6. & tardam inter pœnam, qualis eſt ſubmerſio, reſipiſcentiæ tempus habuerunt ipſi.

f. 493. Cap. XXI. §. 32. 33. 34. Diluvio non tantum eſſe mutatam terræ faciem ſtatuit, ut multi hodie montes, multæ valles ac inſulæ extent, quas in primordio Deus non crearat; ſed & elementa omnia miſerandum in modum fuiſſe corrupta, ita ut, dum particulæ ex cadaveribus animantium putrefactæ coierint mixtione cum terra, viventia corpora, quæ tribus his elementis conſtant vel utuntur, non poſſint non habere naturam minus vegetam, quam alias dedere elementa incorrupta. Atque hanc, præter luxum, intemperantiam, & affectuum violentas commotiones, unam ex cauſis proximis judicat decurtati poſt diluvium humanæ vitæ termini.

f. 520. C. XXII. §. 111. ad 131. Occaſione præcepti de *non faciendis ſculptilibus*, de uſu, honore, & cultu Imaginum inter Chriſtianos recepto ex Hiſtoria prolixe diſſerit, ducto initio a Gnoſticis, qui exemplo Paganorum, memoriam mortuorum vel abſentium per ſimulacra ſervantium, magiſtri Simonis Magi, tum & Chriſti ipſius effigiem, teſte Irenæo L. I. c. 20. & 24. coluere. Mox excuſationes nefandi moris perſtringit a §. 122. ad 161.

f. 556. Cap. XXIII. §. 33. ad 38. Circa Oraculum, quod de Meſſia attulit Nathan ad Davidem 2. Sam. VII, 12. 13. ſciendum eſſe monet: Davidem habuiſſe geminum ſemen, unum *ſanctum* & divinum, Meſſiam ipſum; alterum *peccans*, & ob peccatum humana virga caſtigandum, Salomonem & hujus prolem. Semini ſancto promitti regnum perpetuum: Semini delinquenti annunciari caſtigationem paternam, qualis erat diminutio & ablatio regni temporalis. Similiter Deum habere duas vel tres domos: domum *primam* ignobiliorem eſſe templum e materia ſtructum a Salomone; domum *ſecundam* Dei eſſe humanam Chriſti naturam; domum *tertiam* eſſe Eccleſiam.

Ibid.

Digitized by Google

Ibid. §.107. ad 164. Sententiam *Ben. Spinozæ* & *Richardi Simonis*, de verbi Dei auctore, auctoritate, & argumento audacter pronunciantium, & vel inſanientis ingenii ludibria, vel ſuperſtitioſa & tyrannica humanæ auctoritatis placita pro certiſſima vitæ ac fidei norma habentium, graviſſimis argumentis refutat. f. 565.

Cap. XXX. §. 57. 58. 59. Quando in Symbolo Apoſtolico, poſt ſepulturam Chriſti, memoratur illius ad inferos deſcenſus, quem varii varie ſunt interpretati, cum Voſſio Harm. Paſs. L.H. c.13. cenſet: *Hominem, ut veritatis ſic etiam pacis amantem, non tam ſollicitum eſſe oportere de modo deſcenſus, quam de fructu ejus. Genus tenendum, de modo nulli præfracte litem movendam.* Cum vero Paulus ait: *Chriſtum, qui aſcenderit, deſcendiſſe prius in infimas terræ partes*, Eph. IV, 9. ſine dubio intelligi ejus ſepulturam, propterea quod cubicula mortuorum ſint inferiora ſedibus viventium. Et Meſſiam Patrem precatum: *Non derelinques animam meam* לשאל *in inferno*, petiiſſe a mortuis ſuſcitari. Nam נבש interdum eſſe corpus Lev. XXI, 1. & שאל conſtanter notare ſepulcrum Gen. XLII, 38. f. 715.

Cap. XXXI. §. 250. 251. Circa dictum Johannis Apocal. XIII, 8. bona cum Interpretum venia, ultima vocabula ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, non eſſe conſtruenda monet cum participio ἐσφαγμένου, *mactati*, ad probandam ſacrificii Chriſti vim ſempiternam; ſed cum paulo antecedentibus, γέγραπται ἐν τῇ βίβλῳ ζωῆς, ut ſenſus ſit: *eos beſtiam adorare, quorum nomina a jactis mundi fundamentis non ſint in Libro vitæ ſcripta:* quod ex loco ſimili Apoc. XVII, 8. manifeſte appareat. f. 783.

Ibid. §. 262. In orationis Dominicæ Petitione quarta per panem noſtrum ἐπιούσιον, Auguſtinum & alios Patres tum Græcos tum Latinos ſecutus, non modo victum corporis, ſed & Chriſtum panem vitæ intelligit. Igitur nos ea precari dicit, ut Deus & vitam corporis in pace conſervet, ac mentem verbo ſalutis, carne ac ſanguine Liberatoris nutriat, famemque ac ſitim noſtram expleat. f. 786.

Ibid. §. 419. Ad quæſtionem: *An regno Chriſti ante mundi finem adhuc danda ſit pax?* reſpondet (α) non eſſe impium, eam a Deo ad ipſius gloriam petere; (β) neque impium eſſe, illam ſperare; (γ) num vana ſit an ſolida ſpes, certius & amplius cognituros poſteros, quam nos, qui nunc vivimus; (δ) id ſcire nos, promitti Eccleſiæ N. Teſtam. pacem ſine belli voto aut ſtudio. *Bellum non diſcent amplius*, Eſa. II, 4. f. 809.

Item, hoſtes eccleſiæ, poſtquam hæc reſipuerit, deſtruendos omnino & conculcandos eſſe, Eſ. LIX, 12. Mich. VII, 8. 9. 10; (ε) Qui iſta ſe conſolatur ſpe, propterea non ſperare regnum Chriſti, mille annis in hac terra duraturum, quod primus inter Chriſtianos olim expectavit Papias.

f. 809. Ibid. §. 472. 473. Ad quæſtionem: *An populus Judaicus regno Jeſu Chriſti tandem ſit ſubjiciendus?* reſpondet (a) glorioſum id eſſe Regi noſtro, ut fiat. Ergo & pium eſſe, hoc optare. (b) Spem voti hujus impetrandi facere videri Davidem Pſalm. XCIIX, 3. Eſaiam c. II, 5. XI, 10. LIX, 20. 21. Jeremiam c. XXXI, 36. Hoſeam c. III, 5. Paulum Rom. XI, 24. 27. Chriſtum ipſum, quando dixit Matth. XIX, 30. & XX, 16. *Ultimi erunt primi, & primi ultimi*, i. e. Judæi, qui primo ad me Regem vocantur, ultimi me recipient; cæteræ autem gentes poſt Judaicum populum in meum regnum vocandæ, primo ſe illi ſubmittent.

f. 809. Ibid. §. 424. Ad quæſtionem: *Num & aliæ gentes quamplurimæ Regi noſtro nondum ſubjectæ, ipſi aliquando pariture ſint?* reſpondet, & hoc ſi fiat, Chriſto eſſe glorioſum: igitur & pium eſſe, optare ut fiat. Deinde, bene conſiderandam eſſe vim horum vaticiniorum: *Omnes termini terræ viderunt ſalutem Dei noſtri, fluent ad illum omnes gentes*, Pſ. XCIIX, 3. Eſ. II, 2. Mich. VII, 16. Rom. XI, 12. 15.

f. 826. Cap. XXXIII. §. 8. ſqq. Salutem vel hæreditatem N.T. conſiſtere docet (α) in Spiritus S. menſura majore, (β) in arctiore cum Deo & Chriſto Liberatore communione, (γ) in adoptione ſine ſervitute, (δ) in juſtitia ſine exprobratione peccati nondum deleti, (ε) in ſanctitate majore, (ζ) in conſcientia horum bonorum clariore ac firmiore, (η) tandemque in gratiæ hujus ad omnes gentes propagatione.

Ibid. §. 9. 10. *Baptiſmum in Spiritu S.* diſtinguit *a baptiſmo in igne*, Matth. III, 11. Illum dicit eſſe immerſionem in aquas mundas Spiritus S. h. e. divitem & abundantem donorum illius communicationem. Hunc autem ſermone figurato notare dicit injectionem in flammam, manantis aquæ inſtar longe lateque diffluentem, qualis flamma Hieroſolymas cum populo Judaico conſumſit.

f. 854. Ibid. §. 206. Si inſcii vel conſcii conſpergamur aqua, a Doctore negante Deum eſſe Patrem, Filium, ac Spiritum S. manifeſtum eſſe dicit, nos baptizatos, i. e. Deo Patri, Filio & Spiritui S. dedicatos affuſa lympha

lympha haud eſſe, & conſequenter baptiſmo genuino opus habere, qualis non erat affuſio aquæ per hæreticum facta.

Ibid. §. 223. Hoſpites primæ cœnæ Dominicæ fuiſſe ſcribit ſolos Apoſtolos, ceu ſectatores Chriſti fideles, pios, myſteria regni cœlorum haud quidem probe intelligentes, ſed vehementi præceptoris amore flagrantes, vitæ integros, ſceleriſque puros: Judam enim proditorem in cœna vulgari poſt epulum paſchale detectum, *offula panis intincti accepta exiviſſe illico*, Johann. XIII, 30. & ad Pontifices, ante inſtitutionem S. cœnæ abiiſſe. Dominum autem panem non intinxiſſe in S. cœna N. Teſt. ex ſeparata panis ac vini diſtributione patere: ſed vel in Paſchali, vel in vulgari convivio: ut Lucas hiſtoriam, mutato temporis ordine, recenſuerit. *f. 851.*

Ibid. §. 261. 262. Chriſtum, quando ait de pane euchariſtico: *Hoc eſt corpus meum*, retinuiſſe putat dictionem Judæorum paſcha comedentium, ac inter edendum dicentium: *Hoc eſt Paſcha, quod comedimus, quia Deus tranſiit per domos Patrum noſtrorum in Ægypto.* Eundem, quando ait de poculo, i. e. de vino in poculum effuſo: *Hoc eſt ſanguis Novi Teſtamenti fuſus pro multis ad remiſſionem peccatorum*, imitatum eſſe ſimilem locutionem Moſis, *ſanguinem victimalem*, quo Teſtamentum Vetus initiavit, *fœderis ſanguinem* nominantis, Exod. XXIV, 8. *f. 862.*

Ibid. §. 297. Sibi & ſuis ſodalibus ex animo gratulatur, quod qui credunt, etiam cum corpore noſtro jungi corpus & ſanguinem Domini corporeo modo, agnoſcant tamen ac fateantur, eam manducationem corporis Chriſti & bibitionem ſanguinis, quæ anima fit, ſumme eſſe neceſſariam, & corporea manducatione ac bibitione longe potiorem, hancque poſteriorem ad conſequendam vitam in Deo haud ſufficere. *f. 868.*

Ibid. §. 355. ſqq. Opinionem de Baptiſmi neceſſitate originem ſumſiſſe ait ex male intellecto Chriſti ad Nicodemum dicto: *niſi quis fuerit genitus ex aqua & ſpiritu, nequit introire in regnum Dei.* Hic regnum Dei ſignificare *Eccleſiam N. Teſt.* & *meritum Chriſti* appellari aquam, ut ſententia Chriſti hæc ſit: *ſi vis, o Nicodeme, accenſeri ſectatoribus Meſſiæ, & hæredibus N. T. oportet, ut fias homo novus, per Spiritum S. conditus ad opera bona, propter obedientiam Chriſti, cujus ſanguis abluit homines a peccatis.* *f. 884.*

Ibid. §. 424. Singulari providentia Dei contigiſſe obſervat, ſingulis anni diebus a Papiſtis miſſam fieri, excepto Veneris die feſtum reſurrectionis Dominicæ proxime antecedente, quo Redemtor in cruce eſt mortuus: ita enim nos admoneri, Miſſam Papiſticam & ſacrificium Chriſti conſiſtere haud poſſe.

f. 917. Cap. XXXIV. §. 61. 62. *Zachariam* Barachiæ filium inter templum & altare occiſum, haud eſſe Jojadæ natum, 2. Chron. XXIV. contendit, ſed eſſe Zachariam *Baruchi filium*, Joſepho memoratum L. IV. de B. J. c. 19. in templo, paulo ante hujus excidium, necatum: ut Chriſtus præteritum tempus, loco futuri, Prophetarum more, adhibuerit, Matth. XXIII, 35.

f. 930. Cap. XXXVI. §. 19. 20. Agitatum Pauli dictum 1. Cor. XV, 29. *Alioqui quod facient ii, qui baptizantur propter mortuos, ſi omnino mortui non reſurgunt? cur & baptizantur propter mortuos?* ſic exponit: Niſi detur reſurrectio, vaniſſimus fuit baptiſmus, quo in V. Teſt. loti fuere, quicunque vel mortuum tetigere vel in eodem cum mortuo conclavi egere. Atqui non erat vanus ritus, ſed ſapientis Dei inſtitutum.

f. 940. Ibid. §. 31. 32. *Ignem*, nonnullorum Eccleſiæ Corinthiæ *Doctorum opera probaturum*, 1. Cor. III, 13. ſtatuit eſſe feralem flammam a Romano milite accenſam, qua urbs & templum Hierſolymorum periere. Paulum enim diſputare contra illos, qui contendebant, præter Evangelium ſervandos eſſe ritus lege Moſaica præceptos: & Evangelium quidem auro, argento & lapidibus pretioſis, ritus autem legales ligno, fœno & ſtipulis conferre v. 12. Aurum argentumque non conſumi igne, ſed explorari: ita Evangelium duraturum ultra excidium Hieroſolymitanum, quo veritas ejus manifeſto ſit demonſtranda; ſed flammam lignum, fœnum, ſtipulas abſumere: ita templi incendium ceremonias legales extincturum. Igitur Doctores Evangelii, ritus Moſaicos abolitum iri docentes, mercedem accepturos, pro veracibus habendos ab omnibus: ſiquidem eorum opus duraturum ſit ultra diem excidii in perpetuum v. 14. Sed defenſores ceremoniarum die excidii opus ſuum viſuros exuſtum, ritus, quos obſervari jubent, cum templo & altaribus abolitos; ipſos tamen, ſi quidem Jeſum Chriſtum ſtatuerint fundamentum, ſervatum iri veluti ereptos e flamma Hieroſolymas vaſtante v. 15.

DE

Digitized by Google

DE DANICÆ LINGUÆ ET NOMINIS ANTIQUA gloria & prærogativa inter Septentrionales Commentariolus Othonis Sperlingii, Il. J. D. Conſiliarii Regii & Prof. P. Hiſtoriarum ac Eloquentia in Academia Equeſtri Hafnienſi.

Hafniæ, ſumptibus Auctoris, A. 1694. in 4. plag. 12½.

FEcit in iſthoc Commentariolo clariſſimus Auctor, quod illi ſolent, qui patriam, ſeu qua nati ſunt, ſeu in qua ipſis bene eſt, amant celebrantque. Equidem quin lingua Danica ex antiquiſſimis una ſit, non eſt dubitandũ. Sed id anniſus eſt cumprimis *Sperlingius*, ut oſtenderet argumentis quibusdam, eam omnes ſeptentrionalium linguas præſtare. Poſtquam enim §. 2. & ſeqq. breviter aſſeruiſſet, Gothos, Normannos & Anglo-Saxones ex Dania & per Daniam exque Cimbrica Cherſoneſo prodiiſſe Europam devaſtatum, §. 6. de linguæ Danicæ eminentia ex teſtimoniis librorum aliquot Islandice ſcriptorum diſſerit, eamque ſtatuit §. 9. omnes Reges uſurpaſſe, Suecicos æque ac Norwegicos. Neque negat tamen §. 12. in Islandica ſola reſidere linguam ſeptentrionalium veterem, ſed quæ Danica fuerit appellata ideo, quod Danicam linguam agnoſcerent magiſtram omnium, & ſi quid mutandum aut ſupplendum aut exornandum occurreret in cæteris, illud ex Danica peteretur & ex alia nulla. Tum reſpondet porro §. 13. ad objectiones eorum, qui Gothicum præferant linguæ nomen, docetque, illud, tametſi olim latius expanſum forte, mature tamen anguſtiſſimis finibus § 14. 16. 17. eſſe circumſcriptum, & illam gentem, quæ ſæculo a C. N. III. ab alio ſeptentrionis latere §. 15. & a Mœotide palude excurſus fecerit in plurimas Europæ provincias, prorſus non eandem eſſe cum Danica, Norwegica aut Suecica gente. Inde refutat §. 18. *Verelium* in Hiſtoria Gotrici & Rolvonis, *Jonam*que *Rugmannum* Gothicæ linguæ laudatores, ac recenſet Islandicæ fata §. 19. 20. 21. & quæ ſua ſit ſententia totiusque hujus diſſertationis ſcopus, exponit §. 22. his verbis, quæ integra oportet ut adſcribamus: *Nihil pro Danica lingua ejusque præeminentia dici potuit pulchrius a tam antiquo Scriptore. Non quod Danica lingua non ſuis ſit diſtincta terminis, & pronunciationibus, prout cætera ſeptentrionales; ſed quod communi conſenſu populorum horum hic honos habeatur Danico nomini, ut* Danice

 loqui

loqui *dici debeant, qui in Suecia vel Norwegia vel Islandia degunt, aut regionibus ſubjectis, pariter ac in ipſa Dania. Sed & Scallda* (ſcriptor Islandicus) *alicubi eandem formulam adhibet, eadem excellentiſſima ſignificatione* Danicæ linguæ; *quod niſi meruiſſet probe nomini ſuo decus addere Dania, nunquam reliquæ gentes, quæ ſunt ad invicem æmulatione & livore prædita, hoc conceſſiſſent, aut adeo tritam formulam proverbii loco aſſumſiſſent. Magnis igitur beneficiis Danicam linguam omnes ſeptentrionales beaſſe & cumulaſſe libenter confeſſi ſunt, idque ne ullo modo negari poſſet unquam, publica voce teſtati ſunt omnes.* Et amplius §.23: *In omnium igitur ore, qui Septentrionem habitarunt, verſata eſt* Danica lingua, *quod nulla fuerit elegantior, & quamvis eam cæteri vix aſſequerentur, quod eodem palato & gutture haud omnes donati ſint,* Danice *tamen loqui omnes dicebantur, licet diſtortis paulo ſermonibus a nativa Danorum εὐφωνίᾳ diſcederent.* Inde porro §. 24. & ſqq. quædam teſtimonia eorum allegat, qui *a Danska Tungu*, id eſt, linguam Danicam cæteris prætulerunt, interque iſtos, ut omittamus libros Islandice MSS., Adamum quoque Bremenſem, & Ant. Brerewodium in Scrutinio Religionum. Novum poſt id §.37. pro confirmanda Danicæ linguæ præſtantia adducit argumentum inde, quod Epiſcopi Norwegi plures aliique celebriores viri *Danos* ſeſe cognominaverint. Ea occaſione explicat inſimul §§.39 - 43. vocabula *Danefæ*, & *Dana-arff*, ex jure Danico, Suecicoque, ac docet, *iſtud* ſignificare regium theſaurum, quando repertus ad Regem ſpectet, *hoc* vero Regii fiſci hæreditatem ex peregrinorum morientium bonis, ſi ea intra annum & diem non repetantur a peregrinorum hæredibus legitimis. Danici tandem nominis celebritatem §. 44. 45. etiam ab denominatione antiquiſſima ſinus Codani & Gedani urbis, & §.46. ab inſula Daneholm ac fluvio Danebeck, ut & voce *Danegeld* §.47. deducit, qua Angli etiam, Danis a ſe jam fugatis, vocaverint tributum illud, quod Regibus ſuis ex Normandica ſtirpe pendere quotannis perrexerunt. Tandem §.50. inter cauſas, quæ populos moverint, ut *Danico* nomine linguas ſuas inſigniri paterentur, potiſſimum affert eam, quod cum Chriſtianiſmo, ex Dania primum inter regiones ſeptentrionales oriundo, ſimul etiam ſeſe diffuderit lingua & ſcriptio Danica. Nam & hanc ſtatuit ſerio §. 51. antiquam æque ac novam, ex Dania veniſſe ad Islandos gentesque Septentrionis alias, ac licet

licet non deſint forte, quæ §. 52. pro Runica ſcriptione pugnent, tamen ait neque de hac ejecta, neque de illius initiis aut progreſſu, cum incerta ſint & in obſcuro poſita omnia, quicquam ſcribi poſſe.

SEMPRONII GRACCHI MASSILIENSIS, MEDICUS hujus ſeculi, ſeu Herma Tyroni Medico expeditiſſimam, qua eundum, viam monſtrans.

Dresdæ, apud Johann. Jac. Wincklerum, A. 1693. in 8.
Conſt. plag. xxxx.

CUm tam vaſtum ſit Medicinæ ſtudium, atque e variis ſcientiis ampliſſimis coagmentatum, ut iis omnibus, prout par eſt, accurate cognoſcendis, tota hominis ætas, quousque etiam extendatur, vix ſufficiat, de Methodo ſolliciti fuerunt artis principes nonnulli, Poſſevinus, Sennertus, Pons, Mercurialis, Hafenrefferus, Schenckius, Rhodius, Plempius, Bartholinus, aliique, qua mediante longum iter brevius reddatur tyroni, & accuratius procedendo altera ejus addiſcendæ pars ad alteram viam præmonſtret regiam, ut ne tyro præpoſtere agendo remoram ſentiat, aut huc illuc vagetur, ſed feliciori itinere curſum exſequatur. Hos dum ſedulo evolvit præſentis libelli ficto ſub nomine deliteſcens auctor doctisſimus, quædā ab iis omiſſa, quædā alio, quam æquũ ipſi videbatur, ordine tractata, haud difficulter obſervavit. Tyronis proinde in gratiam eundem laborem aggreditur, & modum bene addiſcendi artem & prudenter exercendi, ſuis ubique rationibus additis, præſenti bipartito libello exponit. Nimirum priori libri parte ea, quæ ad Medicum neceſſario hodie requiruntur, explicat, inculcatque tyroni, ut priusquam ſe totum Medicinæ tradat, vocationis internæ ad hoc, nec ad aliud vitæ genus, examen ſubeat. Deinde vult, ut eruditionem ſolidam avide appetat; ea propter & Methodum addiſcendi artem præſcribit, ſuadetque, ut nec arti nec naturali ſcientiæ manum prius admoveat, quam Matheſeos & Chymiæ accuratiori cognitione imbutum ſe noverit. Tertio adhortatur, ut bonæ famæ ſtudio flagret, cujus parandæ media, tam ab ægro, quam ab adſtantibus, tum maxime a miniſtris medicorum, eorumque prudenti regimine derivat, & ea prolixius indigitat, quæ vel in chirurgorum, barbitonſorum, balneatorumque examinibus magiſtra-

giſtralibus, vel in obſtetricum novellarum tentaminibus, vel in officinarum pharmaceuticarum viſitationibus probe obſervanda tyroni veniunt. In poſteriori poſtmodum parte de cauſis contemptæ adeo Medicinæ edifferit, copiam medicorum; matrimonii, propter majorem ægrorum confidentiam & affluxum, ineundi neceſſitatem; invidiam & calumnias; ſoſtri tenuitatem; medicaſtrorum denique, pharmacopœorum, raſorum, ſcarificatorum impune praxin medicam exercentium patrocinium deplorat, tyronique exponit, ut num his & ſimilibus difficultatibus ſuperandis par ſit, expendat, ne poſtea in medio ſtudiorum curſu hæreat, & ex genuino artis filio in ſemidoctum & empiricum degeneret, aut miſerè vitam ducat.

ANDREÆ CHRISTOPHORI RÖSENERI, J. U. D. TRACTATUS Juridicus de Libris Mercatorum, von Handels-Büchern / *in quo perutilis hæc tam in theoria quam praxi juris materia ſecundum ſeriem cauſarum dilucide traditur, ac Collegiorum Juridicorum reſponſis illuſtratur.*

Lipſiæ, apud Frid. Lanckiſii hæredes, A. 1694. in 4.

Alph. 1. pl. 14.

IN commerciorum favorem multa jura ſingularia condita obſervataque reperiri, non pauci ex JCtis ſpiſſis atque eruditis ſuis ſcriptis docuerunt. Nullus tamen hactenus viſus fuit, qui de Libris Mercatorum ex profeſſo egerit, ac peculiari eos tractatu explicuerit. Proinde non omnino oleum & operam perditurum ſe arbitratus eſt conſultiſſimus D. Röſener, ſi ipſe hanc materiam pro virili excoleret, quæque ſubinde ex præſtantiſſimis, nec ex parte ubivis ſemper obviis autoribus, tum propria quoque experientia animadverterat, in ſchedas conjiceret, & quindecim capitibus ſecundum methodum cauſarum elaboratis complecteretur. Et quidem in Cap. 1. & 2. poſt traditam definitionem, agit de diviſione Librorum Mercatorum in tres ordinarios, ſcilicet in Protocollum, in quo res quotidie obviæ tumultuarie conſignantur, Italica voce *Scartafoglio*, Germanis das Blitter-Buch; in *Adverſaria* ſeu Giornale, das Tag- oder Hand-Buch / & denique librum primarium ſeu Rationarium, das Haupt- oder Schuld-Buch: in quo poſtremo cuilibet debitori pariter atque creditori propriam aſſignari paginam, deque eo libro potiſ-

potiſſimum actorum ſe monet. His ita expoſitis, ex Jacobi Savary Mercatore Perfecto novem ſpecies librorum mercatoriorum adducit, & ſimul ad calcem librum mercatorum ſecretum, **das geheime Buch**/definit. In Cap.3.oſtendit,conſuetudine eſſe introductum, ut libri mercatorum fidem faciant; quia ſcripturis ſecundum diverſas locorum conſuetudines ſtandum ſit. Atque hinc deducit modum illum probandi per ſcripturam ſignatam vel ſigillatam,**durch das geſtempelte Papier**/ apud Belgas maxime receptum, & ab his in alias provincias ac regna translatum. In Cap. 4. definitionem mercatoris a Stracha exhibitam ſecundum omnia ejus membra examinat, & quinam mercaturam ex diſpoſitione tum juris communis tum ſtatutorum localium exercere poſſint, exinde concludit. Quibus præmiſſis, aliquot in hoc capite proponit quæſtiones, quarum prima: Num opificum libri eandem probandi vim cum libris mercatorum habeant? quam negative decidit, & pro ſtabilienda ſua ſententia ſe refert ad acta judicialia, ventilata in prætorio Lipſienſi anno 1680. Deinde quæſtionem movet de mulieribus, num illis jure Saxonico abſque curatore negotiari permiſſum? Affirmativam probare ſatagit, ſed addita duplici reſtrictione, modo negotiari conſueverint, & proprio nomine negotiationes exercuerint. Deinde diſtinguit,utrum cum marito, an ſola mercaturam exerceat mulier; ita ut priori modo ut ſocia conſideretur; poſteriori vero tantum uxor proprio ſuo contractu teneatur. Porro quærit de pharmacopœis,num illi perinde ut mercatores,libros ſuos poſſint producere, ad hunc effectum ut ſemiplene probent? Caſum producit de duobus pharmacopœis,altero Miſnenſi, altero Lipſienſi,qui anno 1686.in judicio mercatorum Lipſienſi litigarunt; ubi pro mercatore Lipſienſi exceptionem compenſationis ex libro mercatorio probante,fuit pronunciatum. Objectum librorum mercatorum abſolvere data & accepta, i.e. debita & credita, oſtendit Cap. 6. ubi num.7. quæſtionem illam pertractat,ſi liber mercatoris contineat data tantum, an propterea vitietur? Reſpondet ad eandem negative, quia forte mercator nihil a debitore acceperit, quod libro ſuo inſerere potuerit: ſufficere librum eſſe formaliter compoſitum ad inſcribenda accepta atque data. Num vero datis his & acceptis apponi debeat annus, menſis & dies, in num. 14. quærit. Diſtinguit vero hic inter libros rationum ex neceſſitate & libera

voluntate confectos; illos, quales confici ſolent, e. g. ab exactoribus tributorum aliiſque officio publico fungentibus, item a tutoribus atque curatoribus, debere eſſe ſolennes cum die, anno & conſule; non vero poſteriores, quo refert libros mercatorum. Ad formam libri in Cap. 7. inter alia requirit primo titulum ſeu inſcriptionem; deinde ut liber ſit confectus proborum mercatorum more & compactus, ſeu liber magiſtralis. Requiſitum vero Gailii, Finckelthuſii, Ayreri, libros propria mercatoris manu debere eſſe conſcriptos, ex Carpzovio aliiſque Doctoribus ſolide refutat. Porro requirit, ut debiti cauſa in libris illis exprimatur apta & clara. Neutiquam vero pro requiſito agnoſcit illud, quod deſiderat Bartolus, juramentum prius debere eſſe præſtitum a mercatore ab initio mercaturæ: cum mercatores hodierni nullo juramento præſtito exerceant mercaturam ad lubitum, & hodie juramentum ab illis nonniſi tempore probationis requiratur. Circa illam quæſtionem, num mercator libros ſuos edere cogatur, in Cap. 9. diſtinguit inter jus ſcriptum & non ſcriptum; ſecundum poſterius affirmat, & in num. 15 ac ſeqq. modum edendi, ſi in alio, quam negotiationis loco editio poſtuletur, commonſtrat. Non ſolum vero edi, ſed etiam ab adverſario recognoſci debere libros mercatorum, & quidem in judicio illo, ubi actio inſtituta, excepto eo caſu, ſi inveniantur in alia provincia, & ibidem aſſerventur, (ubi etiam alibi recognitionem fieri poſſe, citata tamen prius ad iſtum locum, ubi libri aſſervantur, parte adverſa) in cap. X. edocet. Deinde cum ipſorum librorum originalia, non etiam eorum tranſumta ſint recognoſcenda, idcirco quomodo utroque in caſu recognitio expedienda, in eodem capite ante oculos ponit. Quia vero libris mercatorum ex conſuetudine hoc ſingulare eſt tributum, ut ſemiplena probandi vi gaudeant, in Cap. XI. varia privilegia ac ſingularia mercatoribus indulta jura in medium affert, v. g. quod poſſint habere propria collegia; quod illis licitum ſit ſtatuta a jure communi poſitivo exorbitantia condere, ac judices peculiares conſtituere. Eum in finem mentionem facit conſulum Hiſpanorum, Gallorum &c. in Barbaria aliiſque locis Imperii Turcici reſidentium. Quam maxime vero, quomodo Ordinatio proceſſus mercatorum Lipſienſis a proceſſu Electorali communi differat, pluribus oſtendit, e. gr. Quoad perſonas Judicii acceſſorias ſeu Advocatos: admitti tantum illos,

Digitized by Google

illos,qui ſunt Doctores vel Licentiati, vel ratione eruditionis ſuæ documenta afferre poſſunt, & præterea jurejurando ſeſe adſtringunt de diligentia ſua adhibenda & calumnia vitanda: ipſum modum procedendi non ordinarium ſed ſummarium eſſe. Quoad actus judicii præparatorios eſſentiales monſtrat, quod libellus alternativus admittatur, in eoque plura quam tria puncta cumulari poſſint: item quod citatio non in ſcriptis, ſed tantum per tabellionem, nulla data dilatione fiat; quodque hujus effectus ſit reſpectu rei comparitio perſonalis, non etiam per mandatarium. Ratione actuum præparatoriorum accidentalium & exceptionum dilatoriarum, hoc ſingulare proponit, quod præter exceptiones feriarum ſacrarum, præventionis & litis pendentiæ, ſi in continenti doceri poſſint, item legitimationis ac ſpolii, nullæ aliæ dilatoriæ locum inveniant. Quomodo in actibus illis, qui judicio inſunt, veluti probationibus, concluſione, inrotulatione actorum; item in actibus mixtis, e. gr. contumaciæ accuſatione, litis denunciatione &c. nec non in actibus, qui judicium ſequuntur, vel ſuſpenſivis, uti ſunt appellatio, leuteratio, vel executorialibus, ſingularia ſeſe exerant, uberius declarat, ſuamque ſententiam verbis ex Ordinatione proc. mercat. petitis confirmat. Recenſitis hisce ſingularibus ad librorum mercatoriorum effectum, probationem ſc. ſemiplenam, & neceſſariam juramenti præſtationem revertitur, ac praxin forenſem, ſi extraneæ perſonæ, in diſſitis terris viventes, coram judicio, ubi lis ventilatur, litigant, & jurare debent, ob oculos ponit. Num diaria eandem cum libris mercatorum fidem mereantur, n. 230. quærit, & ad quæſtionem negative reſpondet. Antequam vero Autor hoc caput relinquat, adhuc de Scontris, ſ. libris pro notandis compenſationibus, quæ circa cambia occurrere ſolent confectis, item de bilantiis, & qualem probandi vim habeant, diſſerit. Poſtquam itaque de librorum mercatorum probatione ſemiplena fuſius egit in Cap. XII. inter alia quæſtionem: num ſtatutum aliquod diſponere poſſit, ut plene libris mercatorum abſque juramento ſuppletorio credatur? proponit, cujus affirmativam tuetur, in tantum ut non ſolum plene probent in loco, ubi viget conſuetudo, ſed etiam extra territorium, num. 24. ſeqq. Intricatam quoque illam quæſtionem: num liber mercatorum pro tertio & contra tertium probet, num. 61. explicate enucleat. Eodem capite num. 113. illam quæſtionem, num contra

 libros

libros mercatorum, quorum fides approbata eſt a ſtatuto vel conſuetudine, probatio admittatur in contrariũ? affirmative reſolvit. In Cap. XIV. proponit contraria, quæ vocat, librorum mercatorum, inter quæ primum refert amiſſionem tum caſu tum dolo factam, & quomodo tunc in foro procedendum, accurate demonſtrat. Contrariis deinde accenſet defectus occurrentes tam circa perſonas ſcribentium, quam formam libri mercatorii, & materiam; ubi etiam quænam inſtrumenti vitia ſint intrinſeca, quæque extrinſeca, diſtincte tradit. In Cap. XV. & ultimo agit de literis, chirographis, ſignis ſeu marcis, item ſarcinis ſeu ballis, nec non de teſſeris, ſchedis inciſis ac bacillis fiſſis, quæ omnia inter affinia probandi genera ponit. Ipſis vero libris mercatorum veluti affines annumerat libros proxenetarum, argentariorum, campſorum, aliosque complures. Atque hac occaſione quæſtionem movet, an libri Judæorum probent, atque hi ad juramentum ſuppletorium admitti poſſint? Diſtinguit, an Judæo res ſit cum Chriſtiano, an cum alio Judæo? Priori caſu quæſtionem negat, quia Judæi tanquam viles & ſubleſtæ fidei homines contra Chriſtianum regulariter teſtimonium perhibere non poſſint: poſteriori caſu affirmativam defendit. Quemadmodum vero Autor in id incubuit, ut oſtenderet, quam utilitatem nobiliſſima hæc ac quotidiana juris mercatorii materia in dicaſteriis præſtet: ita quæſtiones practicas ad præſens negotium facientes ſedulo propoſuit, & ex legibus communibus, ſtatutis item localibus ac variis præjudiciis judicii mercatorii Lipſienſis, accurate & perſpicue definivit.

G. G. L. CONSTRUCTIO PROPRIA PROBLEMATIS de Curva Iſochrona Paracentrica. Ubi & generaliora quædam de natura & calculo differentiali oſculorum, & de conſtructione linearum tranſcendentium, una maxime geometrica, altera mechanica quidem, ſed generaliſſima. Acceſſit modus reddendi inventiones tranſcendentium linearum univerſales, ut quemvis caſum comprehendant, & tranſeant per punctum datum.

A Celeberrimo Viro *Jac. Bernoullio*, Matheſeos apud Baſileenſes Profeſſore, in *Actis menſis Junii* nuperi velut invitatus; præſertim

tim circa problema a me olim, cum nondum noſtra calculandi methodus frequentari cœpiſſet, propoſitum; reſponſionem defugere nolui; tametſi & valetudo vacillans & aliæ multiplices cauſæ, excuſare me fortaſſe poſſent. Et quidem profundius iſta meditari non licet, aut demonſtrationes introſpicere, minime tamen dubito, pro explorato acumine *Viri*, vera attuliſſe. Quo conſtituto libenter agnoſco, non facile in ſpecialium problematum ſolutione apud Geometras pulchriora repertum iri. Quædam tamen annotabo, quæ mihi primo aſpectu ſeſe obtulere, nec novo ſtudio indigebant. Theoremata pro inveniendis radiis circulorum oſculantium elegantia & utilia ſunt, utorque ſimilibus vel expreſſe, vel potius virtualiter, ipſa calculi noſtri natura jubente, quoties generatricem evolutoriam vel oſcula quæro, lineæ non niſi differentialiter ſeu per tangentium proprietatem datæ; tunc enim ut ex duabꝰ incognitis generatricem determinantibus unius (altera ſublata) valor, per ipſas x, y, dx, dy lineæ differentialiter datæ, generaliter habeatur; utique veniendum eſt ad differentio-differentiales, quæ tamen ceſſant in applicatione, quia dy:dx, per ordinarias explicatur. Sed & pro centris non minus ac radiis circulorum oſculantium theoremata generaliora formari poſſunt, quæ certorum elementorum æqualitate non indigent. Tale hoc eſt (cujus corollaria ſunt, quæ *Vir Cl.* attulit,) radius oſculi eſt ad unitatem, ut elementum unius coordinatæ eſt ad elementum rationis elementorum alterius coordinatæ & curvæ. *Rationem* autem hic ſumo pro re homogenea unitati vel numero, quæ oritur ex diviſione antecedentis per conſequens. Item: diſtantia centri oſculantis circuli ab ordinata curvæ, eſt ad unitatem, ut tertia proportionalis elementorum abſciſſæ & curvæ eſt ad elementum rationis elementorum abſciſſæ & ordinatæ. Et quod notatu dignum eſt, poſſunt hæc indagari ſine meditatione figuræ, nempe ex calculo ſolo a nobis propoſito; quærendo ſcilicet æquationem localem ad rectam curvæ normalem, eamque differentiando ſecundum quantitates in ea geminatas, methodo a me præſcripta in his *Actis April. 1692*, & nuper illuſtrata. Nempe ſit abſciſſa AB, x; ordinata BC, y, vel contra; & elementum curvæ ſit dc. Et CP ad curvam perpendicularis, axi occurrat, in P; ſumaturque in ea punctum quodcunque G, unde ad axem normalis GF ducatur. Jam ſit AF, f; & GF, g; fietque (cum ſigna ita po-

 ſtula-


ſtulabunt) $g + y$ ad $f - x$ ut dx ad dy ſeu fiet $g + y = f - x,\ dx : dy$, quæ eſt æquatio localis ad rectam indefinite productam, curvæ normalem. Verum quia jam duarum hujusmodi rectarum quæritur interſectio, differentianda eſt hæc æquatio; hoc tantum obſervato, ut g & f, ob commune punctum concurſus, conſiderentur velut coincidentes in utraq; recta, adeoq; indifferentiabiles. Et fiet $dy = f - x\, d\,\overline{dx:dy} - dx\,\overline{dx:dy}$; ſeu $dc\ dc : dy$ (tertia prop ipſis $dy\ dc$) eſt ad $d\,\overline{dx:dy}$ (elementum rationis inter dx & dy) ut $f - x$ ad unitatem; quod eſt poſterius theorema ex iis, quæ paulo ante adduxi. Quod ſi rationem inter dx & dy vocemus r, fiet dx ad $r\,dr :, 1 + rr$ (elementum quoddam pro dicta ratione logarithmicum) ut diſtantia a coordinata nempe $f - x$ eſt ad unitatem. Iisdem poſitis, radius oſculi vocetur q, fiet $q\,dy : dc = f - x$; & differentiando fiet $q\,d, \overline{dy : dc} = dx$ ſeu fiet q ad 1, ut $-dx$ ad $d, dy : dc$, vel q ad 1, ut dy ad $d, dx : dc$; quod eſt theorema prius. Et omnino variari iſta poſſunt infinitis modis, conſtituique pro uſu problematum; potiſſima tamen elegantioraque conſignari prodeſt ad ſcientiæ incrementum. Et latent ſane in iſtis, quæ egregios uſus habere poſſunt.

De *Elaſtro* in univerſum quidem dici, opinor, poteſt: tenſionem eſſe proportionalē vi tendenti. Sed cum in ſolidi contenti mutatione tenſio conſiſtat, non ſolet tota in longitudinē refundi; ut ſi fingamus pilas inflatas in lineam diſpoſitas eſſe, vicinamque vicinæ nodo quodam alligari; ac totum funem ex illis compoſitum intendi; manifeſtum eſt, funis extenſionem in longitudinem non fore proportionalem tenſioni aeris incluſi in pilis, ſeu vi tendenti. Quæ cauſa etiam eſt, quod de lamina elaſtica non æque ac de catena certi aliquid conſtitui poteſt. Itaque recte *Cl. Vir* generalia dedit pro quacunque tenſionis lege.

Cum varios modos conſtruendi tranſcendentes lineas examinaſſem olim, omnium abſolutiſſimum eſſe repereram, qui fieret inventione punctorum quotcunque per meras quantitates ordinarias ſeu Algebraicas, ſuppoſita tantū unica quantitate conſtante tranſcendente pro punctis omnibus; cum alias perpetuo tranſcendentibus novis ſit opus pro puncto quovis. Et hoc modo uſus eram ad catenariæ conſtructionem. Is igitur valde probatur *Celeberrimo Viro p. 271:* dolendum

TAB. I

Fig: 1.



na Paracentrica ad A ex H
r datum 1 C.

MH = (M)(H)
AGC : A.

Digitized by Google

dum tamen cenſet, quod non ſit univerſalis; etſi enim ſuccedat in his, quæ pendent a logarithmis vel quadratura hyperbolæ, non tamen adhiberi poſſe, ubi quadratura circuli vel altior alia requiritur. Cum vero mihi ſecus videatur, omninoque arbitrer pro circuli dimenſione, imo & pro altioribus, ſimile aliquid fieri poſſe; ad promotionem ſcientiæ intereſt, ut res nonnihil declaretur. Nempe quod pro quadratura hyperbolæ præſtat ſectio rationis ſeu inventio mediarum proportionalium, id pro circulari præſtat ſectio anguli. Itaque loco logarithmicæ adhiberi poteſt *linea ſinuum* (noſtro more explicata) vel linea tangentium, aliaque ſimilis. Nempe ſumatur quadrans circuli ABCGA, cujus baſis BC eſt ſinus totus, altitudini autem BA utcunque productæ in E, tanquam axi, ordinatim applicentur ſinus recti, hoc modo: Arcus quadrantis biſecetur in G; & ſegmenta AG, CG rurſus biſecentur in H & K; & ſegmenta AH, HG, GK, KC denuo biſecentur, eodemque modo pergi intelligatur. Porro ſimiliter altitudo EB biſecetur in (G); & E(G), B(G) in (H) & (K) atque ita porro: tum ipſæ rectæ a punctis ſectionum ad axem ductæ: ut GL, HM, KN ſeu ſinus agulorum GBC, HBC, KBC, (quos cum baſi comprehendunt radii a punctis ſectionum arcus ad centrum ducti) ordinatim applicentur reſpondentibus punctis ſectionum altitudinis; ſeu transferantur in (G)(L); (H)(M); (K)(N); & ſinus totus BC, in B(C); & linea E(M)(L)(N)(C) erit linea ſinuum; Atque ita ſi ordinatæ velut (M)(H) ſint ut ſinus angulorum (velut ABH) abſciſſæ, E(H) erunt ut anguli, ſeu ut arcus, velut (AH). Et, ſiquidem tota altitudo EB ſit æqualis arcui quadrantis; abſciſſæ erunt arcubus dicto modo reſpondentibus æquales. Igitur linea hæc ſinuum per puncta deſcribi poteſt non minus ac logarithmica. Ipſa autem ſemel deſcripta, dataque una ſola quantitate conſtante, quæ eſt ratio diametri ad circumferentiam; ſeu data ratione arcus quadrantis AGC, ad radium BC; adeoque data ratione arcus AGC ad altitudinem BE (cujus ratio ad BC pro arbitrio ſumta eſt,) patet ope lineæ ſinuum deſcriptæ, arcum circuli quemvis dari; adeoque & ſegmenti cujusque circularis vel ſectoris quadraturam. Quemadmodum autem in logarithmica datur unica illa quantitas requiſita, ſi detur figuræ deſcriptæ tangens; ita in linea ſinuum idem eſt. Nam ſi ordinatæ ſint ſinus, & abſciſſæ ſint proportionales arcubus, erunt elementa abſciſſarum proportionalia arcuum

TAB. IX. Fig. I.

ele-

Digitized by Google

elementis. Jam elementum arcus eſt ad elementum ſinus, ut radius ad ſinum complementi. Ergo in figura ſinuum dicta, erit elementum abſciſſæ ad elementum ordinatæ, id eſt, erit ſubtangentialis quæcunque T (G) ad ordinatam G L ſeu ſinum, in ratione compoſita, radii A B ad arcum quadrantis A G C, & altitudinis B E ad B L ſinum complementi; & ipſe arcus quadrantis erit ad radium, ut B E altitudo lineæ ſinuum eſt ad T (G) ſubtangentialem 45 graduum ſinui reſpondentem. Porro quemadmodum lineæ tranſcendentes, id eſt, æquatione algebraica ſeu certi gradus inexplicabiles, nempe de gradu in gradum tranſeuntes, deſcribi poſſunt ſectione rationis vel anguli: ita manifeſtum eſt, innumerabiles alias hujusmodi per puncta conſtructiones poſſe excogitari linearum tranſcendentium, quas ad alias quadraturas itemque ad tangentium univerſam methodum ſeu differentialium primi gradus conſtructionem profuturas, ex dictis intelligi poteſt. Atque ita ad novum velut pelagus meditationum aditus patet, quod rite ingredienti præclara dabit; cum in his vera conſiſtat connexio analyſeos algebraicæ atque tranſcendentis. Qua occaſione noto obiter, quod *Vir Clariſſimus* in mei gratiam Algebraicas ſe impoſterum vocaturum ait, quas ante Geometricas vocaverat, non ita a me accipi, quaſi mihi neſcio quam in his affectationem imputet, ſed quod rationes meas non improbet, quibus inductus ſtatuo, quicquid exactum eſt, Geometricum eſſe, Mechanicum vero quod fit appropinquando; nec minus peccaſſe *Carteſium* hæc Geometria excludenda, quæ ipſius analyſi non ſubjiciebantur, quam veteres *Carteſio* peccaſſe erant viſi, qui lineas ſupra rectam & circulum ad mechanicas retulerant.

Nota, quam *Vir Clariſſimus* adhibet *p. 271*, unde intelligatur, an quadratura figuræ ordinariæ ope logarithmicæ exhiberi poſſit, quod ſcilicet res tum demum ſuccedat, cum ordinata figuræ quadrandæ eſt ſubtangentialis Algebraicæ; non videtur univerſalis; nec niſi pro illis eſt, quæ ſimpliciore ratione per logarithmos conſtruuntur. Nam eo caſu, quo hæc nota locum habet, logarithmus ordinatæ ad alteram illam curvam Algebraicam dicta ſubtangentiali præditam, erit æqualis rationi quam ordinata quadraticis ſeu ſummatricis habet ad conſtantem, ſcilicet in quadratrice ſit ordinata y; in quadranda t; in altera algebraica v; abſciſſa utrobique ſit x, & in algebraica ad v, ſit ſub-

ſubtangentialis q; ſitque $a\,dy = t\,dx$; & t detur per x, & ob notam præſcriptam ſit $q = aa : t$, erit ex natura ſubtangentialis $dx : q = dv : v = t\,dx : aa = dy : a$. Ergo $\log. v = y : a$. Sit jam in exemplo ad inſtantiam apto $t = x + aa : x$, fiet $y = xx : 2a + a \log. x$. Ergo ſi nota dicta eſſet univerſalis, deberet dari quantitas algebraica v, cujus logarithmus eſſet $\overline{xx : 2aa + \log. x}$; ſeu logarithmus rationis inter quantitates algebraicas v & x, deberet eſſe quantitas algebraica $xx : 2aa$ indefinite, in quibuscunque v vel x, quod fieri nequit. Invenire autem, utrum quadratura fieri poſſit per logarithmicam, vel etiam per dimenſiones conicas, alterius eſt analyſeos, quam a methodo tangentium inverſa diſtinguo. Et quod ad hanc attinet, agnoſco me propoſuiſſe inter alias viam per æquationem generalem, $a + bx + cy$ &c. ad curvam indefinitam; cujus uſum non contemnendum puto, praxi ipſa, & ſpeciminibus edoctus. Sed contractionibus quibusdam, aliaque induſtria opus eſt.

Ad ſeriem, quam *Profeſſor Clariſſimus* exhibet *p. 274*, pro exprimenda quantitate $y = \int, xx\,dx : \sqrt{1 - x^4}$, perveniri etiam poteſt ſimplici expreſſione potentiæ binomii. Nam $\boxed{e}\,\overline{1 + b} = 1 + \frac{e}{1} b + \frac{e.e-1}{1\;2} bb + \frac{e.e-1.\;e-2}{1.\;2.\;3.} b^3$ &c. quod ſi ſit $= 1 : \sqrt{1 - x^4}$ erit $e = -1 : 2$ & $b = -x^4$, unde explicando ſeriem $1 + \frac{e}{1} b$ &c. & proveniens multiplicando per $xx\,dx$ habebitur valor ipſius dy: unde fiet: $y = \frac{1}{3;1} x^3 + \frac{1.}{7;2;1} x^7 + \frac{1.\;3}{11;4;1.2} x^{11} + \frac{1.\;3.\;5}{15;8;1.2.3}$ &c. Ego ſane compendii cauſa utor hoc artificio poſt *Newtonum* etiam ad ſeries meas, cum unica irrationalis calculum ingreditur, quia ſic ſublatio ejus evitatur. Quanquam & poſt exaltationes (prolixius licet) ad idem perveniri poſſit, methodo generali a me præſcripta.

Venio jam ad problematis mei ſolutionem, ſeu *lineæ* (quam voco) *Iſochronæ paracentricæ* a me propoſitæ, conſtructionem, occaſione curvæ elaſticæ a *Viro Clariſſimo* feliciter inventam, & ipſa ejus evolutione exhibitam; qua me invitare videtur, ut meam quoque

Digitized by Google

ſolutionem prodam. Feciſſem multo ante, ſi ſatis vacare liceret his laboribus. Jam enim ante complures annos habui, & quidem paulo poſt iſochronam ſimplicem inventam, quando & publice propoſui quærendam hanc paracentricam paulo difficiliorem. Sed plerumque viam reperiſſe contentus, proſequutione abſtinere cogor. Adeo ut ad ipſius Catenariæ conſtructionem vix demum, diu poſt repertam ejus analyſin, me accinxerim; cum ſcilicet amici urgerent. Apparebit autem, meum proceſſum non tam ab eo, quod feliciter extrinſecus oblatum eſt, quam ex ipſius rei natura ſtatim per ſe proveniſſe. Et quanquam adeo non improbem conſtructionem datam, ut laudem potius, quippe quæ ad rem difficilem *Autori* aditum dedit; nec iis aſſentiar, qui peccatum dicunt, compoſito magis modo præſtari, quod poteſt ſimpliciore, neque enim peccatum eſt, quod perfectiſſimum non eſt: Cum tamen mihi ſeſe obtulerit conſtructio ſatis expedita per rectificationem curvæ ordinariæ, hanc velut toto genere ſimpliciorem illa, quam *Vir Cl.* dedit, paucis deſignare volui. Nam ipſe curvam quandam conſtruit, quadratura ſeu dimenſione ejus figuræ, cujus ordinata eſt $axx : \sqrt{a^4 - x^4}$ Et hujus quadratricis tranſcendentis (quam ob uſum Elaſticam vocat) rurſus dimenſionem adhibet, ut ſolvatur problema quæſitum. Atque ita curvam a me propoſitam efficit per ſolutionem tranſcendentalem ſecundi generis. Sed cum curva ſit ipſamet nonniſi generis primi, quia tantum ad ejus conſtructionem requiritur quadratura figuræ, cujus ordinata eſt, $\sqrt{a^4 - x^4} : a$; ideo lineam quoque quæſivi algebraicam, cujus rectificatione quæſitum commode præſtaretur. Quomodo autem hæ duæ quadraturæ conicis dimenſionibus reſpondeant, alias oſtendam. Adeſt enim peculiaris pro talibus analyſis. Sane, ſi quadranda eſſet figura ordinatarum, $\sqrt{a^4 + x^4}$ (quæ ſigno tantum a dicta differt) per extenſionem curvæ hyperbolicæ res præſtaretur. Sed nunc ad propriam conſtructionem problematis propoſiti progrediamur.

TAB. IX. Quæritur, qualis ſit (in *fig. 2*) linea *Iſochrona paracentrica*
Fig. 2. 1C 2C 3C, in qua moto gravi, quod deſcendit ex altitudine H, acceſſus

Digitized by Google

ſus & receſſus reſpectu centri cujusdam A ſeu puncti fixi, ſit æquabilis; adeoque elementa diſtantiarum ab A ſint elementis temporum proportionalia. Diſtantiæ A C repræſentent tempora t; ex 1 C agatur 1 C 1 θ, normalis ad A 2 C, erunt 1 θ 2 C, ut elementa temporum dt. Arcus curvæ appellentur c; elementa eorum, dc, tanquam elementa ſpatiorum, quæ grave percurrendo abſolvit. Sunt autem (ex generaliſſima motus lege) *elementa ſpatiorum in ratione compoſita velocitatum & temporis elementorum*. Velocitas vocetur v. Hinc dc $\overset{(1)}{\text{ut}}$ $v\,dt$. Diſtantia inter horizontes punctorum H & A, ſeu H A, vocetur a. Porro ex lege motus gravium, velocitates ſunt in duplicata ratione altitudinum H B. Sit A B, x, & H B erit $a \pm x$ (nam *varietates ſignorum* pro talibus in ipſo literæ valore comprehendo, nec in calculo moror, cum omnia eodem modo proveniant) fiet vv $\overset{(2)}{\text{ut}}$ $a \pm x$, & per 1 & 2, fit dc ut $dt\,\sqrt{a \pm x}$, ſeu ad implendam legem homogeneorum $dc \overset{(3)}{=} dt\,\sqrt{aa \pm ax : a}$. Jam centro A, radio ſi placet A H, deſcribatur circulus A K M, axem A B ſecans in K, & A C in M. Et Arcus K M (qui vocabitur m) repræſentet angulum converſionis rectæ A M C circa A; itaque, M 2 M, ſeu dm, erit ipſius arcus circuli ſive motus angularis ſeu vertiginis, elementum. Itaque fit 1 C 1 $\theta = t\,dm : a$. Eſt autem quadr. 1 C 2 C æqu. quadr. 2 C 1 θ $\pm$ quadr. 1 θ 1 C. Ergo $dc\,dc \overset{(4)}{=} dt\,dt \pm tt\,dm\,dm : aa \overset{(5)}{=}$ (per æqu. 3) $dt\,dt \pm dt\,dt x : a$. Ergo $dt : t \overset{(6)}{=} dm : \sqrt{ax}$. Ex M ad axem agatur normalis M L, & A L vocetur z, fiet $ax \overset{(7)}{=} zt$, nempe ob triangula ſimilia A L M, A B C. Et, per 6 & 7 fit $dt : \sqrt{at} \overset{(8)}{=} dm : \sqrt{az}$. Jam ex proprietate tangentium circuli eſt dm ad dz $\overset{(9)}{\text{ut}}$ a ad $\sqrt{aa - zz}$, id eſt, ut A M ad M L, radius ad ſinum anguli K A M. Et ex 8 & 9 fiet $dt : \sqrt{at} \overset{(9)}{=} a\,dz : \sqrt{a^3 z - a z^3}$. Unde ſummando $2\sqrt{at} \overset{(10)}{=}$

$Aaa\ 2$ $\qquad$ $aa.$

$aa. \int, dz : \surd a^3 z - az^3 + b$: ubi b eſt quantitas *conſtans pro arbitrio aſſumta.* Id enim licet *inter ſummandum*, quoties non vetamur problematis conditionibus. Quod cum non ſatis obſervari videam, monere hoc loco volui, quoniam intereſt ad *ſolutionum generalitatem.* Nam infinitæ ſatisfaciunt curvæ, iisdem manentibus punctis H & A, ſed quæ variari poſſunt pro variata recta b, adeo ut curva quæſita (quantum judico) reperiri poſſit, quæ tranſeat per punctum datum. Nunc ſupereſt abſolvenda quadratura $\int, dz \surd a^3 z - az^3$, id eſt (ſi A N ſit media proportionalis inter A L & A K) invenienda eſt area figuræ, cujus ordinata ſit ad A H ut quadratum ab A H ad rectangulum ſub A N & L M.

Hanc quadraturam ita efficiemus: In H K ſumatur L W æqualis ipſi E K diagonali quadrati ab AH vel AE, & juncta M W, ſumatur $A\beta$ in A K, ſi opus producta, quæ ſit ad A N in duplicata ratione M W ad W L ſeu E K. Et ipſis $A\beta$ ordinatim ad angulos rectos applicentur $\beta\gamma$, quæ ſint ad L M (reſpondentes) ut rectangulum N A L ad quadratum ab E K. Et per puncta γ deſcribatur linea $A\gamma$, cujus extenſione in rectum habebitur quadratura paulo ante dicta. Nempe triplum rectanguli ſub curva $A\gamma$ & recta A H, demto quintuplo dimidii rectanguli ſub A N & L M ($= \frac{5}{2} \surd a^3 z - az^3$) dabit figuræ ſupra dictæ ab A incipiendo ſumtæ (cujus ordinatæ ſint reciproce proportionales dictis rectangulis ſub A N & L M) aream; quam applicando ad a prodibit recta $aa. \int, dz : \surd a^3 z - az^3$. Hæc recta ſumatur cum recta conſtante b (ſignis tamen, prout caſus poſtulant, variatis) provenientis dimidium vocetur p. Ergo per æq. 10 fit $\surd at = p$ ſeu $t \overset{(11)}{=} pp : a$. Et cum p habeatur ex z & a, habebitur ex illis & t ſeu A C. Ergo & x ſeu A B per æqu. 7. Cum ergo ex aſſumta A L ſeu z quacunque habeatur A B magnitudine, adeoque & poſitione, at A C magnitudine; habebitur A C etiam poſitione, ſeu dabitur punctum C. Nam centro A, radio A C, magnitudine dato, de-

Digitized by Google

deſcribatur circulus, cui ex B normaliter ad AB educta occurret in puncto C, quod eſt in curva Iſochrona paracentrica quæſita. Delineationes variabunt pro caſibus, quam in rem & *b* aſſumta variari debet. Nam quod arbitratur *Vir Clariſſimus*, non niſi unam lineam quæſitam dari ad idem punctum A, & ad eandem altitudinem H; id rogo, ut denuo expendat: mihi enim viſum eſt infinitas haberi poſſe, ita ut aſſignari regulariter queat, quæ per datum punctum tranſeat; exceptis punctis horizontalis rectæ tranſeuntis per A. Quin & ſupra A talis linea intelligi poteſt. Tantum vero ipſius acumini & profundæ harum rerum notitiæ tribuo, ut quod re rite expenſa meisque rationibus conſideratis ſecunda meditatione ſtatuet, plurimum apud me ponderis ſit habiturum.

Interim quemadmodum *rationem* univerſalem hic aperui, *per quam ſolutiones problematum differentialium redduntur generales;* quæ neglecta, ni fallor, obſtitit, quo minus *Vir Clariſſimus* hic omnes lineas quæſito ſatisfacientes complecteretur: ita dabo *modum Mechanicum* quidem, ſed tamen ob univerſalitatem & praxeos commoditatem non contemnendum, cujus ope quæcunque *lineæ quæſitæ tranſcendentes differentialiter datæ per punctum datum (quando id fieri poteſt) duci poſſunt*, idque tam exacte, quam quis volet, licet non ut *Geometricus* ſupra declaratus (exemplo lineæ ſinuum) per puncta vera, ſed tantum per veris proxima incedat. Habetque hunc uſum, ut de linearum poſſibilitate, forma & natura, multa etiam ante veram ſolutionem cognoſcere poſſimus. Quin & ad differentio-differentiales cujuscunque gradus applicari poteſt. Nempe, in exemplo præſente, datum ſit punctum 1 C, per quod ducenda linea Iſochrona paracentrica CC, in qua grave lapſum ex altitudine H æquabiliter recedat a centro A; quæritur punctum aliquod aliud proximum 2 C, ita ut recta 1 C 2 C ſit latus *polygoni, curvæ ſuccedanei*. Præter rectam A 1 M, in quam (ſi opus productam) incidit 1 C, ducatur alia, quantum ſatis vicina A 2 M, (ad eas partes, ad quas ducere volumus lineam CC) & ad A 2 M agatur ex 1 C perpendicularis 1 C 1 θ. Et in A 1 θ (ſi opus producta) ſumatur (ad eas partes, ad quas ducitur linea, 1 C 2 C) recta ipſi AH æqualis, 1 θ 1 P; unde perpendiculariter educatur 1 P 1 Q (ad easdem quas dixi partes) Biſecta AB in ω, centro ω, radio ω H, deſcriptus circuli arcus ſecet AE ſi opus productam in R; ſeu bre-

 vius,

vius quæratur A R media proportionalis inter A H & H B. Denique centro 1 C radio æquali ipſi A R deſcriptus arcus circuli ſecet 1 P 1 Q in 1 Q, & juncta 1 C 1 Q, ſecabit ipſam A 2 M, ſi opus productam in puncto quæſito 2 C. Eodemque modo ex puncto 2 C quæretur 3 C, & ita porro. Et ſic habebitur polygonum 1 C 2 C 3 C &c. lineæ quæſitæ ſuccedaneum, ſeu *linea Mechanica Geometricæ vicaria*; ſimulque manifeſte cognoſcimus, poſſibilem eſſe Geometricam per datum punctum 1 C tranſeuntem, cum ſit *limes, in quem* tandem polygona continue *advergentia evaneſcunt*. Ita ſimul & *ſeriem* quantitatum ordinariarum habemus tranſcendenti quæſitæ *advergentem*. Quæ ad tangentium converſam de cætero meditati ſumus, alio loco Deo volente proferemus: multa enim diverſiſſima itinera non ſine ſucceſſu exploravimus, tametſi proſequi ſatis non vacet. Pro radicibus æquationum omnino dari puto methodum generalem, neque imaginarias moramur. Itaque quod inde colligit *Vir Doctiſſimus*, hactenus probo, ne miremur, ſi in Tranſcendentibus intra pauciſſimos annos non omne præſtitum eſt, quod vellemus; quando in ipſa analyſi ordinaria ſeu algebraica circa radices æquationum ſeu valores incognitarum analyticos, nemo gradum quarto altiorem abſolvit, nec *Vieta* vel *Carteſius* in eo negotio quicquam majorum inventis adjecerunt.

Poſtremo ne diſceptatiunculæ priſtinæ inter nos, circa numerum radicum oſculationis, monitorumque *Viri Clariſſimi* plane obliviſcar. Equidem quod initio ſcripſeram, cum materiam hanc Geometris proponerem, adhuc mihi verum videtur, quando ſcilicet circulus lineam oſculatur, duos contactus ſeu quatuor interſectiones in unum abire; adeoque adeſſe quatuor radices æquales. Interim verum quoque eſt, ſi quis modo circulum reperiat lineæ in tribus punctis coeuntibus occurrentem, habere oſculantem. Nam quartum punctum eo ipſo adeſt, etſi ejus non fiat mentio. Cujus rei ratio eſt, quod nunquam circulus lineam ad eaſdem partes cavam ſecat in tribus punctis, quin ſimul ſecet in quarto. Si vero circulus lineam ſecet in tribus tantum punctis, oportet in arcum lineæ in punctis interceptum, cadere punctum flexus contrarii. Et tamen nihilominus in ipſomet puncto flexus poſſumus pro oſculante concipere quatuor interſectionum coincidentiam, ſeu duos ab eodem latere curvæ contactus circulares,

unum

Digitized by Google

unum ante, alterum poſt punctum flexus, ſeu unum in concava, alterum in convexa parte arcus ex duabus partibus hujusmodi compoſiti; qui contactus continue convergentes tandem in ipſo flexu coibunt. Et revera flexus contrarii eſt punctum extremum commune, in quo duæ lineæ, una concava, altera convexa, (unam totam conſtituentes) ſe tangunt. Coincidunt ergo duo contactus ſeu quatuor interſectiones in omni oſculo. Sed ſi de interſectionibus rectæ cum linea quæratur, tria tantum puncta interſectionum coincidentia, vel contactum cum interſectione coeuntem, nempe in ipſo puncto flexus, non vero duos contactus, concipere licet.

OBSERVATIONES ECLIPSIUM SOLARIUM Anni 1693 & 94.

ECLIPSIS SOLARIS GUBENÆ A GODOFR. Kirchio obſervata,

d. 23. Jun. ſt. vet. anni 1693.

Quamvis cœlum circa Eclipſeos expectatæ confinia nubilum parum ſpei faceret ejus obſervandæ; diſpulſis tamen a meridie nubibus, ſerena aura Hor. 1, 9′. 0″, principium ejus Tubo decempedali ſatis manifeſte deprehendi; contactus tamen limborum uno circiter minuto citius contigerat. Increſcebat inde defectus magis ac credebam futurum: ſed Hor. 1. 50′, cum defectum duorum circiter digitorum, quantum ob auræ inconſtantiam fieri potuit, æſtimarem, cœlum ſpiſſis nubibus obvolutum ſpem omnem continuandæ obſervationis præcidit. Hora tamen 2. 36′, Sole per interruptas nubes iterum conſpecto, defectus adhuc aliquis deprehendebatur, qui ad usq; 42′ durabat. Sed Hora 2. 43′ diſcus Solis omnino liber erat. Tempora capta ſunt per Horologium oſcillatorium, & ex altitudinibus Solis, finito deliquio captis, correcta. Totius obſervationis ratio eſt in Tabula.

Ordo

Ordo Obſerv.	Tempus ſecund. Hor. oſc. H. ′ ″	Eclipſis Solaris anno 1693. die 23. Jun. 3. Jul. poſt merid. obſervata Guben.	partes Micr. 10. Pedum.	Altit. Solis & Diſt. Gr. ′ ″	Quantitas Defectus ′ ″	D. ′	Temp. ex altit. corr. H. ′ ″
1.	1. 0. 0.	Diameter Solis	218.	0. 31. 40			1. 2. 0.
2.	1. 4. 0.	Sol clarus					1. 6. 0.
3.	1. 8. 0.	Initium					1. 10. 0.
4.	1. 9. 0.	Defectus exiguus					1. 11. 0.
5.	1. 17. 5.	Chorda defectus	72.	0. 10. 27.			1. 19. 5.
6.	1. 22. 15.	Partes lucidæ	198.	0. 28. 46.	2. 54.	1. 6.	1. 24. 15.
7.	1. 30. 50.	Chorda circiter	100.	0. 14. 31.			1. 32. 50.
8.	1. 50. 0.	Quantitas Defectus circiter				2. 0.	1. 52. 0.
9.	2. 41. 0.	Defectus exiguus					2. 43. 0.
10.	2. 42. 0.	Defectus adhuc					2. 44. 0.
11.	2. 43. 0.	Finis					2. 45. 0.
12.	2. 49. 40.	Altitudo Solis		46. 18. 0.			2. 51. 36.
13.	3. 21. 45.	Eadem repetita		41. 40. 0.			2. 23. 44.
14.	3. 23. 47.	Iterum capta		41. 24. 0.			3. 25. 36.
15.	5. 49. 24.	Altitudo Solis		19. 0. 0.			5. 52. 40.
16.	5. 51. 40.	Eadem		18. 46. 0.			5. 54. 12.
		Ergo Duratio tota					1. 35. 0.
		dimidia					0. 47. 30.
	1. 55. 30.	Medium ſeu maxima obſc.					1. 57. 30.

Cognita hic Eclipſeos hujus duratione, quantitas ejusdem calculo facile determinatur. Horarius enim Lunæ motus a Sole viſus hoc tempore fuit 22′. 25″. Unde ſcrupula dimidiæ durationis 17′. 45″; & ſcrupula defectus 5′. 37″; indeque defectus Dig. 2. 8′: Summa Sdrorum 31′. 12″, & Solis 15′. 49″ aſſumtis.

ECLI-

ECLIPSIS SOLARIS IBIDEM AB EODEM AUTORE Anno 1694, d. 12. Jun. St. v. obſervata.

COelum hodie varium, & nubibus frequens, deliquium hoc, prout deſiderabam, oculis noſtris ſpectandum non permiſit. Hora tamen 5. 41′ horologii mei oſcillatorii, tubo quatuor pedum, Sole nubibus evoluto, defectus aliquis comparebat; quantitatem tamen, quæ exiguam diſci partem occupabat, determinare nubes ſtatim intercedentes non ſinebant. Et hunc defectum, Sole per rariores nubes ſubinde transparente, directo per tubum intuitu, in limbo ſuperiori verſus dextram (nam tubus ſpecies inverſas exhibet) non ſemel inſpexi, quem alius præſentium per foraminulum in papyro acu factum inferius ad lævam deprehendit: cumque a prima obſervatione creviſſe uterque judicavimus, ſed magnitudinem ejus exacte definire cœli intemperies aliaque impedimenta non permiſere, niſi quod infra digitum eam conſtitiſſe, ex circumſtantiis concluſimus. Hora 6. 5′ decreſcentis eclipſeos eam magnitudinem æſtimabamus, quæ fuerat primo conſpectæ: a quo ſenſim contrahebatur, ut Hor. 6. 12′ pauxillulum adhuc reſtaret, inſequenti vero 13′ Solem integrum relinqueret. Duratio Eclipſeos nobis conſpicuæ fuit 31′; ſed cum prius cœperit, quam nobis animadverteretur, tota ejus duratio præterpropter fuit 40′, ſemiduratio 20′; Horarius Lunæ a Sole viſus præterpropter 29′. Unde ſcrupula defectus 1′. 34″, & maximus defectus Dig. 0. 36′. Ex altitudinibus Solis poſtea captis tempora reſtituta ſunt, ut habet Tabula.

Digitized by Google

Tempus ſecund. Horol. oſcill. H.	′	″		Altitudo Solis. Gr.	′	Tempus ex Altit. Solis corr. H.	′	″	Diff. Temp. ′	″
5.	33.	0.				5.	40.	43.		
5.	41.	0.	Initium			5.	48.	43.		
6.	5.	0.				6.	12.	43.		
6.	12.	0.	Finis			6.	19.	43.		
6.	13.	0.				6.	20.	43.		
6.	19.	45.	Altitudo Solis	14.	18.	6.	27.	28.	7.	43.
6.	22.	0.	Eadem repetita	13.	58.	6.	29.	44.	7.	44.
6.	24.	10.	Iterum capta	13.	40.	6.	31.	48.	7.	38.

EADEM ECLIPSIS A JO. PHILIPPO Wurzelbaur Norimbergæ obſervata.

RAtionem exhibet Tabula, a ſolertiſſimo Aſtronomo nobis liberaliter communicata:

Tempora Oſcillatorii. H.	M.	S.	Altitudo Solis. °	′	″	Azimutha Solis a Mer. in Occ. °	′	Tempora correctiora. H.	M.	S.
XII.	0.	0.	d. 64.	3.	10.	0.	0.	XII.	0.	0.
I.	53.	41.	55.	53.	45.	--	--	I.	54.	50.
II.	33.	20.	50.	15.	30.	63.	31.	II.	34.	32.
	57.	28.	46.	39.	0.	69.	50.		58.	40.
III.	2.	0.	45.	58.	30.	70.	58.	III.	3.	8.
	9.	45.	44.	45.	0.	72.	54.		11.	6.
	18.	0.	43.	[illegible]	0.	74.	52.		19.	24.
V.	19.	20.	Initium			Eclipſeos		V.	20.	35.
	23.	40.	Phaſis I.			Dig. 0.	ſcr. 20.		24.	55.
	27.	55.	Ph. II.			0.	30.		29.	10.
	31.	3.	Ph. III.			0.	45.		32.	18.
	35.	12.	Ph. IV.			0.	58.		36.	27.

Temp.

Digitized by Google

Temp. Oſc.			Phaſes Eclipſeos.			Temp. corr.		
H.	M.	S.		Dig.	Scr.	H.	M.	S.
V.	38.	6.	Phaſis V.	1.	8.	V.	39.	21.
	41.	42.	Ph. VI.	1.	8.		42.	47.
	44.	28.	Ph. VII.	1.	10.		45.	43.
	47.	37.	Ph. VIII.	1.	10.		48.	52.
	51.	16.	Ph. IX.	1.	10.		52.	31.
	55.	1.	Ph. X.	1.	9.		56.	16.
	59.	5.	Ph. XI.	1.	7.	VI.	0.	20.
VI.	3.	37.	Ph. XII.	0.	53.		4.	52.
	7.	12.	Ph. XIII.	0.	40.		8.	27.
	10.	41.	Ph. XIV.	0.	24.		11.	56.
	13.	34.	Ph. XV.	0.	14.		14.	49.
	18.	10.	Finis Eclipſeos.				19.	25.

Ratio diametrorum utriusque Luminaris ob exigua diſci Lunaris ſegmenta, eaque trans auram haud adeo limpidam terminis minus diſtinctis apparentia, accurate pronunciari non poterat. Si tamen aliquis eſt conjecturæ locus, vel nulla, vel admodum exigua inter utramque diametrum interceſſit differentia.

IDEM SOLIS DELIQUIUM EXIGUUM, ANNO ÆRÆ vulgaris Chriſtianæ 1694, die 12 Jun. ſt. vet. obſervatum a Jo. Abr. Ihle, Lipſiæ ſub Elevat. Poli 51°. 19′, ita ſe habuit.

Solis matutini altitudo deprehenſa fuit hora 7, 27°, 30′.

Hora 9, 46°. Hora 9. 15′, 48°.

Hora pomerid. 3°, 29′, 39°, 45′. Hora 3. 45′, 38°. 35′.

Urbis Horologium ſemper hic intelligendum, horaria vero minuta ex clepſammidio, ad horologium oſcillatorium diviſo, deſumta ſunt.

Primum Lunæ contactum ſive Eclipſeos initium Hora pomerid. 5, 25′, circa dextri marginis Solaris gradum 10 aut 12, a puncto infimo aſcendentem in tabella obſervatoria notavimus, qui margo cœlum ſive Solem ipſum inſpicienti ſiniſter eſt.

Hora 5. 36′, primi digiti primus quadrans defeciſſe, Hora autem 5, 56′ primus digitus ſuperatus videbatur; Sole ſubito hic occultato, ut phaſin hanc ſatis accurate metiri neutiquam liceret.

Hora 6, 5′, decreſcente jam Eclipſi, gradus 40 aut 43 ex Solis margine abſciſſi credebantur; ſubinde enim incurſantium nubium inviſa agmina totius diei perdifficilem obſervationem effecerunt; nobis non ſemel deſperantibus: finem tamen Eclipſis ſecure ſpectare licuit hora 6. 15′. 30″.

Tota igitur duratio minuta horaria 51 neutiquam ſuperavit. Graduum minuta prima, & temporis ſecunda, æſtimatione conſtant.

Ponderandum ducimus, hoc Solis deliquium, & quod eodem præcedentis anni Junio menſe accidit, majus apparuiſſe, quam calculi curioſe poſiti monſtrarunt.

ECLIPSIS LUNÆ TRANS ET INTER NUBECULAS præterfluentes obſervata Norimbergæ a Philippo Wurzelbaur Anno 1694, d. 26 Jun. ſt. v.

Tempora Horol. portatil. minor. H. M. S.	Oſcillator. majoris H. M. S.		
X. 52. 0.	- - -	culminat Saturnus alt.	18°. 3′. 20″.
XII. 0. 0.	- - -	Lunæ jam 1°. 30′ azim. ultra Meridianum progreſſæ altitudo limbi inferioris	17°. 32′. 0″.
28. 10.	- - -	culminat lucida Aquilæ	48. 40. 10
42. 0.	XII. 40. 45.	Horologia conferuntur.	

XII. 54.

XII. 54. o. Albor Lunaris e regione *Montis Sinai* nonnihil turbatur, nec ſine *Penumbra* ingruentis ſuſpicione, ſed nubeculæ prætercurrentes faciem lunarem obvelant, qua emergente,

XIII. 11. 37. *Penumbra* evidentior apparet.

13. 50. *Penumbra* increbeſcit, forſan & *Umbra* vera appellit. Jam *Montes Sinai* & *Ætna* in eodem Verticali.

o

17. o. *Umbra* vera ſatis evidens inter 190 & 200 diſci Lunæ Heveliani in confiniis *lacus Meridionalis* & *Montis Hajalon*, quartam circiter digiti partem occupat, quam ſubinde occurrentia nubium velamina accuratius deſcribi non ſinunt.

20. 55. Trans nubeculas iterum apparet phaſis, quoad quantitatem priori ſimilis, ſed (ad tubi inverſionem) ſuperne lævam verſus ſuper *M. Sinai* promota, & nubes magis magisque conjunctæ haud prius quam

44. 30. inter fiſſuras phaſin priſtina fortaſſe minorem eamque ulterius lævam verſus pergentem contueri permittunt, ſed ſubito nubilis iterum obvolvitur Luna, quibus modice diſſipatis

o

51. 40. intra 210 & 230 diſci Lunaris, circa *M. M. Techirandam* & *Dalanguer*, *Penumbra* apparet ultra digitum extenſa, quæ trans nubila modo creſcere modo decreſcere videtur, usque dum

59. o. ſpiſſa nubium congeries Lunam omnino obtegit, qua

XIV. 2. 30. aliquatenus diſſipata, *Penumbra* adhuc apparet, quæ necdum evanuit, quinimo per intervalla, modo magis modo

9. o. minus diluta apparet.

16. o. Leviſſimum *Penumbra* veſtigium reſiduum eſt.

18. o. Lunam liberam inque nitorem priſtinum reſtitutam cenſemus.

Digitized by Google

LETTRES DU CARDINAL MAZARIN. *Second Partie.*

i. e.

Epiſtolæ Cardinalis Mazarini. Tomus IIdus.

Amſtelodami, apud Henr. Wetſteinium, 1693. in 12. Plag. 20.

PRimum Tomum Epiſtolarum Julii Mazarini a Varillaſio collectarum editarumque, Acta hæcce ſiſtunt anno 1691, menſe Martio, p. 131. Qui nunc ſeſe nobis offert ſecundus Tomus ejuſdem argumenti Epiſtolas complectitur, quarum nonnullæ itidem ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem, ejuſque matrem, ceteræ ad Telleriuma c Lionneum, miniſtros regios datæ ſunt. Et Regis quidem animo amorem, quo in Mariam Manzinam Mazarini neptem ferebatur, excutere omni ope annititur. Id trigeſima nona & quinquageſima cumprimis teſtatur Epiſtola. Matrem vero Regis, de ſua erga illam Regemque fide, ſubinde certiorem reddit, ſimul quam ægre intempeſtivum, quo Rex neptem ſuam complectebatur, affectum ferat, adeo non diſſimulat, ut ſæpius indignabundus querulas voces fundat. Reliquæ Epiſtolæ, quæ inter Mazarinum Cardinalem, & Ludovicum de Haro, geſta ſint, juſta ſerie exponunt ediſſeruntque. Acriter ſæpius inter utrumque eſt diſceptatum, ut parum quandoque abfuerit, quin irrito eventu diſceſſerint. Ludovicus quippe Condæi Principis ſtudebat partibus, eumque priſtinis reſtitui dignitatibus cupiebat: abnuebat hæc Mazarinus, Regisque maximopere referre, ne Condæus impune officii ſui migraſſe leges videretur, contendebat. Hæc præcipua litis cauſa, quam cum componere non adeo proclive eſſet, accedentibus & aliis haud exigui momenti rationibus, indies magis magisque pacis negotium impediri cœpit. Incredibile dictu, quantum inde Mazarino tædium. Hoc vero non mediocriter augebat Ludovici lenta & cunctabunda negotia expediendi ratio. Unde & ſubinde ea de re conqueritur, præſertim Epiſt. LXXI & LXXX, ſimul tamen profitetur, tantum ſibi ſupereſſe patientiæ, ut, ſi tædiis moleſtiisque ſe eousque addu-

Digitized by Google

ctum iri Ludovicus ſperet, ut Regis ſui inſuper habeat commoda, eundem turpiter deceptum iri, nullus dubitet. Prudentiæ vero, promptitudinis, & aliarum, quibus Mazarinus eminuit, virtutum documenta, ſingulæ Epiſtolæ affatim ſuppeditant, ſimulque docent, quo pacto infinitis tandem difficultatibus ſuperatis, pax & quies reddita fuerit feſſis Europæ rebus.

GEORGII MOEBII, THEOLOGIÆ DOCTORIS ET in Academia Lipſienſi Prof. Publ. Primarii, ſelectæ Diſputationes Theologicæ.

Lipſiæ, ſumtibus Jo. Chriſtiani Wohlfarti, A. 1694. in 4. 7 Alphab. $14\frac{1}{2}$ plag.

CUm maxime Reverendi D. D. Mœbii Scripta quædam in Actis hisce noſtris anno 1685. p. 375. commemoraremus, & occaſione quidem tractatus de *Ethnicis Oraculis*, nominatæ etiam ſunt inter alias, quas divulgavit, Exercitationes, quatuor iſtæ ad Exod. XXXII. de *moſcholatria populi Iſraelitici*, ac totidem aliæ ad Numer. XXI. de *ſerpente æneo* compoſitæ. Iſtæ autem nunc iterum laudandæ ſunt, poſteaquam Diſſertationum aliquot, ſigillatim quondam abs ſe editarum faſciculum, uno jam volumine comprehenſum, ad plurimorum inſtantiam Auctor celeberrimus prodire juſſit, comitesque adeo iis adjunxit disquiſitiones varias, quarum pleræque hactenus jam aliquoties prælum expertæ, ſed nihilo tamen ſecius cum reliquis iterum deſideratæ fuerunt, utpote: *Aſylologiam ſacram*, ex Num. XXV. & Joſ. XX; *Hiſtoriam Prophetæ Bileami*, ex Num. XXII. XXIII. & XXIV; Exercitationes item ſequentes: de *gratia irreſiſtibili* a Calvinianis mordicus defenſa, & imprimis a *Marco Frid. Wendelino* contra *D. Gerhardum* magno conatu propugnata; nec minus ejusdem a *D. Jo. Heinii* impugnatione vindicias; de *Core, Dathanis, Abirami, & Onis deſcenſu ad inferos*; de *Eliæ ad ſuperos aſcenſu*; de *admirando DEI judicio adverſus poſteros Regis Saulis, quorum ſeptem crucibus affixi miſere interierunt*; de *admiranda DEI vindicta, quam occaſione peccati a Davide commiſſi, qui populum numeraverat, Iſraelitæ* ſuſti-

ſuſtinuerunt, ex 2. Samuel. XXIV; de *publica & ſolenni miſericordiæ divinæ promulgatione per Hoſeam c. XI, 8. 9. facta*; de *agno paſchali Vet. Teſtam. Sacramento*; *diſcuſſionem ſingularium quæſtionum Theologicarum*; de *arca Noachi, humani generis conſervatrice*; de *cauſis & mediis, quæ Mahomediſticam religionem partim introduxerunt, partim adhuc conſervant*; de *ſanguine vetito ex Geneſ. IX, 3. 4.* ubi ſimul contra Claudium Salmaſium, Th. Bartholinum, Stephanum Curcellæum, Chriſt. Becmannum, aliosque horum ſequaces monſtratur, *ſanguinis eſum ex animalibus in Novo Teſtamento non eſſe prohibitum*; de *crucis ſupplicio, quo Salvator noſter Chriſtus tempore paſſionis ſuæ fuit affectus*, ubi contra Joſ. Scaligerum, Iſaacum Caſaubonum, & alios eorum aſſeclas oſtenditur, *crucis ſupplicium apud veteres Hebræos non fuiſſe uſitatum*; de *mercatura ſpirituali, Eſa. LV, 1. 2. 3. deſcripta*; de *Jona triduanam Salvatoris noſtri quietem ac reſurrectionem glorioſiſſimam adumbrante, ex Matth. XII, 40*; *meditationem Theologicam ex verbis Chriſti, Matth. XXV, 34–45*; *Davidicum Loci de Chriſto compendium*, ſeu brevem Pſalmi CX. explicationem; *conſilia pacifica Marcelliana*, ſeu diſcuſſionem mediorum & conſiliorum, quæ Henricus Marcellius, Theologiæ Doctor & Jeſuita Bambergenſis, pro ſtabilienda reconciliatione & unione univerſali omnium diſſentientium, qui Chriſtiano nomine gaudent, Chriſtiano orbi exhibuit; *argumentorum* denique, quibus ſe commotum profeſſus fuit Sereniſſimus Princeps, HENRICUS, Dux Saxoniæ, ut a Lutheranis ad Reformatos anno 1688. Deſſaviæ ſecederet, *Examen*, nomine Facultatis Theologicæ ſuſceptum. Et his omnibus prolixi ſatis atque accurati Indices non tractatuum modo ac diſputationum, ſed dictorum etiam Scripturæ, auctorumque & rerum, ſubjuncti conſpiciuntur.

Indicatum cupimus Benevolo Lectori, proditurum intra octiduum Sectionem quintam Tomi ſecundi Supplementorum.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno M DC XCIV.

ΘΕΟΔΟΥΛΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ ΗΤΟΙ ΘΩΜΑ τοῦ Μαγίστρου λόγος εἰς Γρηγόριον τὸν Θεόλογον: τοῦ αὐτοῦ λόγοι προσφωνητικοὶ Δ καὶ ἐπιστολαὶ Η.

h. e.

THEODULI MONACHI, SIVE THOMÆ Magiſtri Laudatio Gregorii Theologi, Nazianzeni. Ejusdem Orationes gratulatoriæ IV, & Epiſtolæ VIII. Editore ac Interprete Laurentio Norrmanno.

Upſaliæ, excudit Henricus Keyſer, A. 1693. in 4.
Conſtat plagulis 31.

PRoteum non immerito appellari poſſe hunc ſcriptorem Editor clariſſimus obſervat, quandoquidem Ægyptius ille vix ſeſe in plures vultus formasque mutaverit, quam nomine ſubinde alio alioque, interdum etiam nullo, hic Noſter in Eruditorum libris occultetur. Alibi enim *Theodulum*, ſive *Monachum*, ſive *Magiſtrum*; alibi *Cyrum Theodulum Magiſtrum*, frequenti in recentiorum Græcorum nominibus allucinatione, pro *Domino Theodulo Magiſtro*; alibi pro Magiſtro *Rhetorem* aut *Sholaſticum* eum appellari; eſſe item, ubi *ὁ μάγιστρος* per ſe audiat; nunc ſub *Demetrii Triclinii* nomine eundem latere; nunc *Theodori Monachi* & *Chriſtoduli* nuncupatione venire commemorat. Prius vero Magiſtrum ſive officiorum ſive ſcriniorum regiorum & Chartophylacem, tum & Rhetorem fortaſſe & cauſarum Patronum hunc egiſſe; poſtmodum autem, cum Imperator Andronicus Palæologus ſenior fortunis opi-

Digitized by Google

busque per nepotem exutus, ſuaſu potiſſimum Patriarchæ Niphonis, in monaſterium detruderetur, & Antonii Monachi nomen cum cucullo acciperet, parem cum hero fortunam & alios expertos, & Thomam, abdicato munere publico, rebusque ſeculi repudiatis, Theodulum appellatum fuiſſe arbitratur. Hinc ætatem Noſtri patere aſſerit, quod nempe ineunte quarto decimo poſt Chriſtum natum ſeculo floruerit, cujus ſeculi anno triceſimo ſecundo in monaſterio ſuo extinctum Imperatorem triceſimo mox die ſecutum magnum Logothetam Theodorum Metochitam, auctor ſit Nicephorus Gregoras, ad quorum utrumque Epiſtolas nonnullas ille miſerit; prout idem quoque ex προσφωνητικῷ, quem Niphoni Patriarchæ, thronum CPtanum recens adepto, ſcripſerit, haud parum confirmetur. Non enim audiendum heic eſſe Virum ſummum, Carolum du Freſne, dum in Indice Auctorum, quibus ad Gloſſarii mediæ & infimæ Græcitatis confectionem uſus ſit, pro Niphone Tryphonem Patriarcham, quem circa a. 930. vixiſſe conſtet, ſubſtituat, & hinc ætatem Thomæ percipi exiſtimet. Sententiam vero ſupra memoratam inſuper roborari affirmat ex iis, quæ is ad ipſum Andronicum Palæologum ſcripſiſſe perhibeatur, quæ cum in ſuo MSto non extiterint, aliunde lucem publicam adſpectura ſperat. Reliqua interim illius opera Græco idiomate concepta primus in lucem protulit, ac eleganti interpretatione Latina exornavit Cl. Norrmannus. Et inter hæc maximam omnino partem conſtituit prolixiſſima Gregorii Nazianzeni laudatio: quam gratulatoriæ aliquot Orationes, prima nempe magno exercituum Duci, Angelo; ſecunda Theodoro Metochitæ; tertia Niphoni Patriarchæ; quarta deniq; Regi Cypri dicata, excipiunt. Octo tandem ſequuntur Epiſtolæ, quarum duæ priores, una cum quinta & ſexta, ad Theodorum Metochitam; tertia & quarta ad Tricanam, ærarii minoris Quæſtorem exarata eſt. Septimam Nicephorus Gregoras ad Magiſtrum miſit, hujusque ad iſtam reſponſoria octavo & ultimo loco collocatur.

EHREGOTT DANIEL. COLBERGII, in Univerſitate Gryphisvvald. Prof. Ord. de origine & progreſſu hæreſium & errorum in eccleſia ſpecimen hiſtoricum.

Sumpti-

Digitized by Google

Sumptibus Joh. Chriſtoph. Weidneri Bibliop. Nivemontani, A. C. 1694. in 4. Conſt. 1. alph. 11. plag.

Regnum tenebrarum ex Ariſtotelicæ Philoſophiæ & Theologiæ commixtione enatum, alio tempore ſe in lucem emiſſurum clariſſimus Autor ſpondet. In præſenti ſpecimine antiquarum hæreſium originem ex Philoſophia Platonica deducit, easdemque ſubinde cum recentiorum Fanaticorum deliriis componit. Auſpicatur hanc lucubrationem a Simone Mago, Menandro, Ebione, & Cerintho, & ſub finem capitis primi contra *Becmannum* diſputat, qui in Meditationibus politicis communionem uxorum a Platone aſſertam, non de communione corporum, ſed operarum intelligendam eſſe arbitratur, & præterea in Parallelis politicis ſcripta adverſus Johannem Baptiſtam Criſpinum apologia hanc ſententiam prolixius tuetur, quam contra Colbergius a veritate alienam judicat. In ſecundo capite, quod de Gnoſticis, Nicolaitis, Ophitis, Cainis, & Sethianis agit, inter alia contra *Heraldum* & *Kortholdum* probare ſatagit, quod minime fabulis aut falſis rumoribus accenſeri debeant, quæ Epiphanius & alii de nefandis Gnoſticorum myſteriis retulerunt. Capite tertio ad Gnoſticos Carpocratianos, & capite quarto ad Gnoſticos Valentinianos progreditur, & Valentini diſcipulos recenſens Bardeſanis quoque mentionem facit, cui a *Danæo* in notis ad Auguſtini libellum de hæreſibus & ab ipſo Auguſtino defenſionem fati perperam tribui aſſerit, animadvertens dialogum, quem de fato Bardeſanes conſcripſit, ab Euſebio & Hieronymo commendari potius, quam ullius erroris argui, & inſuper ex fragmento hujus dialogi, quod in Euſebii Præparatione evangelica legitur, haud difficulter colligi poſſe, quod Bardeſanes de fato recte ſenſerit. De Severianis in eodem capite agens iterum a *Danæi* ſententia diſcedit, duos Severos comminiſcentis, quorum unum Tatiani ſucceſſorem, alterum Apellis diſcipulum fuiſſe ſtatuit. Reliqua capita circa Marcionitas, Manichæos, Origenianos, quorum hiſtoriam ſe imprimis *Horbio* debere profitetur, & hæreſes ex Origenis doctrina ortas occupantur.

SYNOPSIS METHODICA ANIMAlium quadrupedum & ſerpentini generis, vulgarium notas characteriſticas, rariorum deſcriptiones integras exhibens, cum hiſtoriis & obſervationibus anatomicis perquam curioſis. Auctore Joanne Raio, S. R. S.

Londini impenſis S. Smith & B. Walford. 1693.
8tav. plag. 22.

ABſoluta & in lucem edita ſtirpium Britannicarum ſynopſi methodica, *Cl. Auctor* rogatus, ut ſynopſin quoque animalium & foſſilium Britannicorum componeret, amici non iniquæ petitioni ſatisfacere ſerio conſtituerat, ſed rem ipſam aggreſſus, experimento in inſectis facto deprehendit, penſo huic abſolvendo vix id quod effluxit, nedum quod ſibi reſtaret, vitæ ſufficere. Quocirca conſultum duxit, nec foſſilium, nec animalium omnium, ſed ſanguineorum ſolum conficere ſynopſin, cujus pars non poſtrema eſt illa, in qua quadrupedia ſeu vivipara piloſa & ſerpentini generis animalia recenſet. Præmiſit autem pauca de *animalibus in genere*, quæ definit, quod ſint corpora animata ſentiendi & ſe movendi facultate prædita, atque hac occaſione contra Carteſianos ſenſum brutis denegantes diſputat. Porro vexatas de generatione animalium quæſtiones ventilat: An detur aliqua generatio ſpontanea aut æquivoca? Utrum omnia animalia individua, quæ unquam fuerunt aut futura ſunt, initio creata fuerint, an nova generatione indies producantur? Novam quoque *Celeb. Lewenhoeckii* opinionem, animalia omnia ex animalculis in ſemine maſculino hoſpitantibus originem ducere, ſub examen vocat; & quamvis non neget, talia animalcula in ſpermate exiſtere, nihilominus tamen in alteram propendet ſententiam, in conceptu ſcil. ſeu ovo materno animalis primordia includi; idque ob rationes non contemnendas, quarum præcipuæ ſunt, quod omnium animalium ſemen in uterum non injicitur, ovariis exſectis ſteriléſcunt fœminæ, & in tubis Fallopianis, quo ſemen maſculinum non pertingit, fœtus aliquoties repertus fuit. Quo ſpectat obſervatio *Dn. Nuckii*, celeberrimi quondam Profeſſoris Lugdunenſis Batavi, qui cum cani fœminæ, tertio poſt congreſſum die, per vulnus abdomini inflictum extraxiſ-

traxiſſet ſiniſtri lateris cornu, cujus ovarium jam duobus ovulis majuſculis notabiliter erat conſpicuum, illudque inter vaginam & ovarium medio loco ligatura arctiori conſtrictum repoſuiſſet, vulnusque intra octiduum ad cicatricem perduxiſſet, vigeſimo poſt ligaturam injectam die canem cultro anatomico denuo examinans, ſiniſtri cornu partem inter ligaturam & ovarium duplici fœtu obſeſſam reperit. Diſtinctionem animalium in *vivipara* & *ovipara* nullius uſus eſſe oſtendit ad animalium genera diſcriminanda, cum animalia ejusdem generis alia vivipara poſſint eſſe, alia ovipara, prout e. g. in ſerpentino genere natrix torquata ovipara eſt, vipera vivipara. Primam omniumque commodiſſimam animalium diviſionem eſſe in *ſanguinea* cenſet & *exſanguia*, neque illorum adſtipulatur ſententiæ, qui liquorem vitalem ſanguini analogum circularique motu præditum ſanguinem vocare geſtiunt. In ulteriori autem diviſione ita procedit: *Sanguinea* vel *branchiis reſpirant*, ut piſces ſanguinei præter cetaceos omnes, vel *pulmone*; habentque hæc partim *cor* præditum *ventriculo unico*, ut quadrupedia ovipara & ſerpentes, partim *duobus*; hęcq; ſunt vel *ovipara*, ut aves, vel *vivipara* tam *aquatica*, ut cetaceum genus, quam *terreſtria* quadrupedia, ſeu (ut manati, h. e. vaccam marinam, quæ bipes eſt, complectamur) *piloſa*. *Exſanguia* ſunt vel *minora*, h. e. inſecta, vel *majora*: & hæc rurſus vel *mollia*, ut polypus; vel *cruſtacea*, ut cancer; vel *teſtacea*, quæ rurſus in univalvia, bivalvia, & turbinata dividuntur. Fatetur tamen, dari aliquod inſecti genus vere ſanguineum, nimirum lumbricum terreſtrem, ſed unam aut etiam alteram exceptionem regulam generalem non evertere autumat. Porro cum animalia vivipara piloſa, de quibus maxima pars hujus agit libri, ab iis, qui Ariſtotelem ſequuntur, diſpeſci ſoleant in *ſolidipeda* ſeu ſolidungula, quæ ungulam habent ſolidam & indiviſam, *biſulca*, quæ ungulam habent bifidam, & *multifida* ſive *digitata*, quæ pedes habent in plures quaſi digitos fiſſos, ea diviſione repudiata, novam excogitavit Rajus. Quoniam enim dantur animalia (v. g. camelinum genus), quæ nec biſulca ſunt, cum ungulas non habeant, neque multifida, cum pes in duos tantum digitos fiſſus ſit; nec non aliqua, quæ quatuor ungulas habent, ſuper quibus ſtant & incedunt; maluit vivipara piloſa dividere in *ungulata*, quæ digitos ſeu extrema pedum ungula (ſeu ſubſtantia cornea, ſuper qua anim alia

Digitized by Google

ſtant & incedunt) tecta obtinent, & *unguiculata*, quæ digitorum extrema nuda unguibus tantum adnaſcentibus armata habent. Quæ genera deinceps in varias ſpecies accurate diſtribuit & deſcribit, non ſecus atque illa quæ cor habent unico ventriculo inſtructum & pulmone reſpirant, ad quæ ranæ, lacertæ, teſtudines & ſerpentes referuntur. Ita autem verſatus eſt in recenſione illorum animalium, ut in manſuetis, domeſticis, paſſim obviis & unicuique notis, nominibus ſolis contentus fuerit; minus vulgarium notas quasdam breves diagnoſticas adhibuerit, quibus ab aliis congeneribus certo poſſint diſtingui; rariorum & exoticorum deſcriptiones integras adjecerit; in quibus eminent *Elephantis*, *Tajacu* ſeu apri Mexicani moſchiferi, & *Boicininga* ſeu anguis crotalophori, hiſtoriæ anatomicæ a celeberrimis viris *D. Edwardo Tyſon*, & *D. Allen Moulins* elaboratæ, quas etiam in Actis Eruditorum recenſitas vide Anno 1684. p. 138. item p. 581. & Anno 1685. p. 75.

PHYSICA NOVA SEU PHILOSOPHIA naturæ, ad uſum Academicæ Juventutis, ſecundum methodum hactenus in ſcholis receptam tradita, in qua omnes naturæ effectus, quantum fieri poteſt, mechanice ſeu per inviolabiles motuum leges explicantur: multis figuris æneis, brevique ad calcem rejecta totius operis ſynopſi illuſtrata, auctore JOHANNE SPERLETTE, Gymnaſii Fridericiano-Gallici Rectore, Philoſophiæ Doctore ac Prof. Publ.

Berolini, Impenſis Joh. Michael Rudigeri, 1694.
4t. plag. 45.

Annus fere agitur quintus, ex quo Sereniſſimus Elector Brandenburgicus, FRIDERICUS III, in uſum juventutis Gallicæ Beroliní Gymnaſium inſtituit, in quo Græcam & Latinam linguam cæterasque humaniores litteras poſſet addiſcere; ſub initium adeo regiminis ſui propenſas in bonas artes ſtudium ipſo opere profeſſus, cujus novum idque longe illuſtrius hoc ipſo anno documentum *Princeps Potentiſſimus* dedit, in vicina urbe Halenſi fundata ac munificentiſſime dotata

dotata nova Academia, ſcientiarum univerſarum officina. Illius vero, quod initio memoravimus, Gymnaſii cum Moderator & Philoſophiæ Profeſſor, *illuſtris Spanhemii* commendatione, Clariſſimus Sperlette factus fuiſſet, nihil non molitus eſt, ut ſingulas Philoſophiæ partes ea traderet methodo, quæ ad ſtudioſæ juventutis captum maxime eſſet accommodata. Et quia in rebus philoſophicis recentiorum placita non ſine merito, in multis hodie Academiis, veteribus prævaluerunt, ipſis quoque ſibi adhæreſcendum nullus dubitavit. Neque ideo tamen a recepta huc usque in ſcholis conſuetudine prorſus recedendum ſibi putavit, ut recentiores fere ſolent, qui ſecundum vel Carteſii vel Gaſſendi principia & hypotheſes philoſophati ſunt; quoniam, præterquam quod litteratos in aliorum ſcriptis & opinionibus non decet eſſe penitus peregrinos, aut quibus cæteri utuntur terminos ignorare, alias quoque easque maximas habet utilitates methodus, quæ vulgo vocatur ſcholaſtica, quæque ſolet ſingulas, de quibus agit, materias in totidem partiri & diſtribuere quæſtiones, quarum quælibet ſuas habet probationes, cum ſolutione objectionum quæ contra illas fieri poſſunt. Atque hac methodo in toto ſtudii philoſophici decurſu uſus eſt, præeuntes ſecutus magni nominis philoſophos, *Claubergium*, *Antonium le Grand*, & *Joh. Bapt. du Hamel*, de quo ultimo tamen monet, eum in *Philoſophia veteri & nova* minus ſincere Carteſii opiniones frequentius retuliſſe, imo & affectaſſe, contra propriam licet conſcientiam, præſtantiſſimum hunc Philoſophum confutare; cujus rei cauſam facile ſint hariolaturi, qui variam Carteſianæ Philoſophiæ in Gallia fortunam non penitus ignorant. Operam ergo dedit ſedulam, ut circa quaslibet Philoſophiæ quæſtiones, quæ in ſcholis agitari ſolent, clare, breviter, ac dilucide, quid ſentiendum eſſet, non tantum aperiret, ſed etiam, quid circa illas tam veteres quam recentiores philoſophi ſenſerint, ingenue declararet, ipſos conſulens auctores, & ubi de Ariſtotelis agitur ſententia, commentatores præcipue Conimbricenſes. Quum itaque integram Philoſophiam hac ratione & via pertractatam evulgare animus ipſi ſit, Phyſicam, quæ tradi ſolet ultima, in lucem primo emiſit, tum quia objecti ſui latitudine cæteris philoſophiæ partibus præſtat plurimum, tum quia nulla eſt ſcientia, in qua recentiores philoſophi majores, ut omnes conſitentur, fecere progreſſus. Novæ autem titulum ei

dedit,

dedit, quia in plurimis quæſtionibus, confutatis veterum ſententiis, recentiores ſequitur philoſophos.

Cæterum totum opus in quatuor tribuit *partes*, quarum *prima*, quæ phyſica generalis dici poteſt, in tres diſputationes ſubdividitur. In prima diſputatione, rerum naturalium principia & elementa juxta varia variorum philoſophorum, tam veterum quam recentiorum, ſyſtemata referuntur & excutiuntur, atque in his quoque Thaletis, Anaximenis, Epicuri, Pythagoræ, Peripateticorum, Chymicorum placita confutantur, demonſtrataque corporum exiſtentia, duo conſtituuntur corporum naturalium principia, materia & forma. Secunda diſputatio de materia, primo corporis naturalis agit principio, cujus exiſtentiam propriam contra Thomiſtas defendit, ejusque naturam in vera, reali, & interna, non externa tantum ſeu aptitudinali extenſione, conſiſtere probat. Diviſibilitatem materiæ in infinitum ab objectionibus vindicat, aliaque quamplurima huc pertinentia egregie & docte pertractat, qualia ſunt quæ habentur de compoſitione materiæ, de diſtinctione & unione partium, de loco materiæ, de vacuo item, de penetratione & replicatione materiæ, nec non de rarefactione atque condenſatione, de motu materiæ, de reflexione & refractione, de rerum materialium duratione. Tertia diſputatio verſatur in explicanda forma eſſentiali, ſecundo corporis naturalis principio, quam nihil aliud eſſe dicit, quam varium ſtatum & diſpoſitionem partium, per quas unum corpus ab alio notabiliter differt; agitque de formis tam ſimpliciorum corporum ſeu elementorum, quam de formis rerum ſenſibilium, oſtendens formas aliter ſe habere in objectis, quam a nobis percipiuntur; quem in finem de forma corporis duri & liquidi, de frigore & calore, de ſapore & odore, de ſono, lumine & coloribus hic quoque tractatur.

Secundam partem Phyſicæ novæ Cl. Auctor in tres quoque Diſputationes partitus eſt, quarum prima de Mundo, ipſiusque perfectione, magnitudine & productione agit, diverſaq; diverſorum Philoſophorum circa præcipuarum ipſius partium diſpoſitionem ſyſtemata complectitur. Secunda ſphæram artificialem, ſeu Geographiæ principia & elementa explicat, de diverſitate dierum in omni regione, de variis climatibus & mundi habitatoribus tractans. In tertia de natura, motu, & numero cœlorum; de Sole & ſtellis fixis, de

Digitized by Google

de planetis in genere & in particulari, de cometis, de influentiis ſiderum, de æſtu maris reciproco, nec non de gravitate & levitate, abunde diſputatur.

Tertia pars duas complectitur diſputationes, quarum prima tota eſt in explicandis meteoris, quæ generantur in globo terraqueo, agens quippe de ipſa natura terræ, de aquis ſubterraneis, de fontium origine, de ſalibus, de metallis, de mineralibus, & præcipue de magnete, de ignibus ſubterraneis, de ipſa productione & conſervatione ignis, & de uno ignis effectu mirabili, ſive de vitro. Altera exponit meteora in aëre apparentia, vapores & exhalationes, ventos, nubes, nebulas, pluviam, rorem, pruinam, nivem, grandinem & glaciem; varios iridis colores, tonitru, fulgur, fulmen, & tempeſtates, ſerenum, mel, manna, & ſaccharum.

Tandem *quarta pars* Phyſicæ novæ doctrinam de corpore animato, ſeu de rebus vita & ſenſu præditis complectitur, in eaque elaboranda doctiſſimus Auctor non parvam ſe adhibuiſſe diligentiam teſtatur. Ipſa vero in tres itidem diſputationes eſt diſtributa. Prima generalem comprehendit totius corporis humani anatomiam, digeſtionem ciborum, chyli converſionem in ſanguinem, ſanguinis circulationem, nec non præcipuos corporis humani motus ſuccincte ex mechaniſmo corporis deducens. Exponit etiam, quomodo anima uniatur cum corpore? quæ ſint animæ potentiæ, quæque earum diſtinctio & diviſio? quinam ſenſus interni & externi? quid ſint paſſiones, earumque cauſæ & effectus? imaginatio, memoria & reminiſcentia in quonam conſiſtant? In ſecunda oſtenditur, quid ſit anima bruti, & quomodo mechanice poſſint explicari omnes brutorum operationes. In tertia denique diſputatione, quicquid celebriores hodierni Scriptores de plantis tradidere, Clariſſimus Auctor clare & breviter eſt complexus.

Coronidis loco adjecta eſt compendioſa totius Phyſicæ novæ delineatio, binis comprehenſa propoſitionum centuriis, quæ indicis rerum & materiarum vicem abunde ſupplere poteſt.

HISTORIA ECCLESIASTICA SECULI XVII, cum Parallelismo profanæ, Authore Joh. Wolfgango Jägero. Decennium ſecundum.

 Tubin-

Tubingæ, literis J. C. Reiſii, A. 1692. in 4.

EJUSDEM DECENNIUM TERTIUM.

Ibid. A. 1693. Conſtat unumquodque 2. Alphab.

INſtitutum Clariſſimi Auctoris jam A. 1692. p. 218, ubi Decennium primum retulimus, a nobis indicatum eſt. Nunc e ſecundo atque tertio ſi ſpecimina nonnulla decerpamus, Lectori forſan iſtud haud ingratum accidet.

Cum vero ſeculi hujus primordia imprimis celebrentur ex diſſidiis, quæ inter Arminianos & Reformatos enata ſunt, ideo diligenter obſervat ad annos ſingulos, quid circa eadem paſſim in Belgio geſtum fuerit. Habitam præcipue Anno 1611. collationem Hagienſem dum memorat, capita doctrinæ, quæ Remonſtrantes in eadem Ordinibus obtulerint, recenſet, addita Contra-Remonſtrantium reſponſione, ſubjunctoque Arminianorum de pace aut tolerantia inter partes diſſidentes judicio. Alibi Epiſtolam Jacobi Regis Angliæ, ad Ordines Fœderati Belgii, ut diſſidia hæc componerent ſuadentem; alibi eorundem pro pace eccleſiaſtica decretum, ac ſuper eo Judicium Regis Angliæ & Archi-Epiſcopi Anglicani, interprete Iſ. Caſaubono datum exhibet; ut alias Ordinum Arminianiſmo faventium Epiſtolas ad Electorem Palatinum, & poſtea ad Jacobum I. ſcriptas taceamus. In Hiſtoria vero Synodi Dordracenæ, in qua Calviniani Arminianos condemnarunt, tradenda prolixus imprimis eſt. Præterea notatu digniora videntur, quæ de Val. Weigelii deliriis & paradoxis ſingularibus; de conatu Parei, pacem Lutheranos inter & Calvinianos meditantis; de ſtatu Eccleſiæ Græcæ, a Cyrillo, Archi-Epiſcopo Alexandrino, in peculiari ad Uytenbogardum epiſtola delineato; de controverſia ſuper quæſtione: an & quænam ſit poteſtas Magiſtratus Politici in Eccleſiam, exorta; (ubi Epiſcopi Angli, Saraviæ, primas politico Magiſtratui vendicantis literæ exhibentur;) de pugna ſuper conceptione B. Mariæ virginis, maculatane fuerit, an ſine macula; de fatis M. Antonii de Dominis ex Epiſtola Trajani Bocalini ad Mutium, deque ſumma librorum, quos de Republica Eccleſiaſtica conſcripſit, paſſim diſſeruntur. Neque lectu injucundæ ſunt variorum circa Petri Suavis Hiſtoriam Concilii Tridentini ſententiæ; ubi Sforziæ quidem Pallavicini effato, tanquam affectibus pleniſſimo, repudiato, Julii Clemen-

Digitized by Google

mentis Scoti, Cæſaris Aquilinii, & Amelotii de Huſſai ſuper eadem judicia laudantur.

In Decennii tertii præliminio controverſiarum, inter Theologos Tubingenſes & Gieſſenſes de ſtatu exinanitionis Chriſti motarum, Hiſtoriam fuſe admodum recenſet. Poſtmodum electionem Gregorii XV. Pontificis deſcribit, litem de conceptione B. Mariæ virginis ſub eo adhuc durantem nec plene definitam paulo poſt ſubjiciens. Mox integrum profert Ceremoniale, ritus electionis Romani Pontificis continens, & Gregorii XV. juſſu editum; Urbani item IIX. conclave multo cum circumſtantiarum apparatu refert. Reſponſionem Remonſtrantium ad Anatomen Arminianiſmi a Petro Molinæo inſtitutam interſerit. M. Antonii de Dominis reditum ex Italia, pœnasque inconſtantiæ cauſa ipſi inflictas, & obitum illius eloquitur. Quid de Antonii Santarelli de poteſtate Pontificis libro, Regum poteſtati iniquiſſimo, Sorbona Pariſienſis decreverit, enarrat, prout & quædam alia iſtius generis hinc inde obveniunt. Potiſſimam tamen Sectionis hujus partem conficit illorum temporum Hiſtoria politica, quam, eccleſiaſtica ſolum hæc attigiſſe contenti, non ſecus atque in antecedentibus, heic præterimus.

MEMORIALS OF THE MOST REVErend Father in God, Thomas Cranmer &c.

i. e.

Hiſtoria Reverendiſſimi in Chriſto Patris, Thomæ Cranmeri, quondam Archi-Epiſcopi Cantuarienſis. Autore Johanne Strype Art. Mag.

Londini apud Rich. Chiſvvel, 1694. fol. Alph. 8. plag. 12.

Tametſi Præſulis hujus, nec non totius Angliæ Primatis, vita jamdum tradita eſt ab aliis, amplum tamen Biographus noſter ſibi, poſt aliorum meſſem, relictum deprehendit ſpicilegium, luculentioribus nimirum monumentis inſtructus. Ex his primo confecit hiſtoriam Cranmeri in tres libros diviſam; ſelegit deinde ex iis, quæ luce publica judicavit digna, inque appendicem conjecit ſat amplam.

Digitized by Google

Scopus autem ejus primarius eſt, Præſulem ſuum liberare a vitiis vulgo ipſi adſcriptis.

p. 1. Natus eſt Cranmerus d. 2. Julii A. 1489. in oppido Nothinghamiæ Aslacton, patre Thoma Cranmero, Equite ex antiqua proſapia, quæ cum Wilhelmo Conqueſtore in Angliam venit, in Gallia quoque viguit, oriundo. Literis operam dedit Cantabrigiæ,& cum Magiſter artium factus eſſet, Nobilis alicujus duxit filiam, ideoque Collegio Jeſu relicto,in Collegio Buckinghamenſi, nunc Magdalenæ, publicam in ſe ſuſcepit Lectionem: at poſt obitum uxoris in partu cum infante extinctæ, in Collegium Jeſu revocatus eſt, ad Lectionem Theologicam, anno ætatis trigeſimo quarto Theologiæ
p. 3. Doctor creatus. Cardinale Wolſejo novum Oxonii Collegium extruente, ad illud cum aliis nominatus eſt, ſed renuens hic ſubſtitit, atque in eorum numerum receptus eſt, qui gradus academicos ambientes examinant; quibus cum plerumque ex Scriptura S. quæſtiones proponeret, & ad reſpondendum ineptos rejiceret, odium incur-
p. 4. rit non paucorum. Tandem Regis Henrici VIII. cauſa matrimoniali ad eum delata, ab eoque examinata, in Regis venit notitiam, cui charus, commiſſus eſt Thomæ Bolen Comiti in Wiltshire & Ormond, nuper hac in re Romæ & in Germania Legato. In hujus familia conſtitutus, Regis mandato ſcribit de conjugio regio opinionem ſuam, ac Cantabrigiæ, deinde Oxonii,publicæ diſputationi ſubjicit, adeo feliciter, ut ibi e ſex Doctoribus ad dignoſcendam cauſam olim lectis,& validitatem Pontificiæ diſpenſationis aſſerentibus,quin-
p. 6. que ad ſuas retraheret partes. Cardinalis quoque Poli examinat librum, judicatq;,eleganter quidem eſſe conſcriptum, at politicas ejus eſſe rationes, materiam vix tangentes, quæ juxta Scripturam S. ſtatui debeat, non autem ex periculorum metu, quæ Imperator Romanus vel Pontifex offenſi creare poſſent.

Romam deinde cum Bolenio & aliis miſſus, ad publicam non admittitur diſputationem, tametſi is Legationis ſcopus eſſet: privatim tamen multis perſuadet,Henrici cum Catharina Arragonia, ceu fratris defuncti vidua, conjugium eſſe illicitum; a nemine autem hic obtinere potuit, ut ſecum aſſererent, Pontificem R. de talibus non diſpenſare poſſe conjugiis, & ſi diſpenſet, irritum illud eſſe factum. Cum Germaniam in reditu tranſiret, Noribergæ Andreæ Oſiandri ambiit

Digitized by Google

ambiit impetravitque neptem, quam tum quidem in patria relictam
anno demum ſeculi 34. clam in Angliam adduci curavit, ſed poſt p. 11.
quinquennium, cum ſex illi famoſi articuli evulgati eſſent, ad tem-
pus iterum in Germaniam remiſit. Revocavit eam deinde Eduardo im-
perante, & ex ea aliquot ſuſcepit liberos, quorum tamen poſteros ſe p. 418.
indagare nequiviſſe Autor aſſerit; quanquam ipſam Archiepiſcopo
ſuperſtitem ex Abbatiæ cujusdam reditibus, Cranmero hæredibusq;
ejus ab Henrico R. conceſſæ, victitaſſe, cum Parkerus jam fuerit Ar-
chiepiſcopus, dicat.

Electori etiam Saxoniæ, ad quem clam ex Imperatoris aula, ubi
Legati axiomate fulgebat, devenerat, Regis ſui verbis obtuliſſe con-
tra Imperatorem auxilia aſſerit, quoniam pax Henricum inter & Ca-
rolum V. ob divortium imminens labefactari cœperit. Warhamo p. 13.
deinde Archiepiſcopo Cantuarienſi mortuo, in ejus locum ſubſtitui
noluit, tum quod *Epiſcopari nollet*, tum quoniam, ut aſſeverabat Re-
gi, cogeretur a Pontifice R. eandem accipere ſedem, quod Regiæ Ma-
jeſtati, ad quam omnium beneficiorum eccleſiaſticorum jura æque
ac temporalium pertinerent, officeret. Rex itaque auditis Cranme- p. 16.
ri argumentis, nec non Oliveri JCti aliorumque ſententiis, permi-
ſit, ut proteſtatione interpoſita Cranmerus illam adiret dignitatem,
alius vero pallium iret allatum Roma. Cranmerus his quoque
acquieſcens, dixit, *ſit ſuper animam ſuam*, & recepta a Romano
Pontifice confirmatione omnibus numeris abſolutisſima, una cum
aliis bullis 10, Regi easdem tradidit, tanquam Pontificem Romanum p. 19.
non agnoſcens ſacri hujus muneris datorem ſeu collatorem. Conſe-
cratus etiam poſtmodum, coram teſtibus regiis proteſtatus eſt, *nolle
ſe per juramentum Pontifici Romano præſtitum, quovis modo ſe obliga-
re, quo minus libere loqui, conſulere & conſentire valeat, in omnibus &
ſingulis, reformationem religionis Chriſtianæ, gubernationem Eccleſiæ
Anglicanæ, aut prærogativam coronæ ejusdem, reipublicæque commo-
ditatem quoquo modo concernentibus, & ea ubique exequi & reforma-
re, quæ ipſi in Eccleſia Anglicana reformanda videbuntur.* Prima e- p. 21.
jus Archiepiſcopalis functio fuit diſſolutio matrimonii Regem inter
& Catharinam Arragoniam, præſentibus & aliis Epiſcopis. Viſitat
deinde Diœceſin ſuam, ubi conciones fieri vetat aliquandiu, quoniam
pulpita plerumque de Regis reſonabant divortio, & ab aliis prohibe-

Digitized by Google

ri deſiderat Epiſcopis. A Papa, ob divortii ſententiam prolatam, una cum Rege excommunicatus, appellat cum eo dem Rege a Papa ad Concilium, & in Parlamento contra Papæ ſuprematum diſputat. Licentiam deinde concedit aliquibus euchariſtiam, matrimonium & baptiſmum adminiſtrandi in ſacellis privatis, forte ne ſuperſtitioſo cultui intereſſe iſti neceſſe haberent, puriorique vacare ſine periculo poſſent. In convocatione Cleri urget Bibliorum translationem, editque librum, in quo ratio concionandi & orandi proponebatur, Rex appellabatur Caput Eccleſiæ ſupremum, iſtaque Regis ſuprema authoritas ſemel in anno ante Feſtum Paſchatos publice declarari jubebatur: quod, quamprimum accepit librum, præſtitit & Eboracenſis Archiepiſcopus. Clerus & Academiæ hanc ſubſcriptione ſua liberrima confirmant theſin: *Quod Epiſcopus Romanus non habeat majorem aliquam jurisdictionem a Deo ſibi collatam in hoc regno Angliæ, quam quivis externus Epiſcopus.* Cranmerus cum aliis juramento ſe addicit ſtatuto illi, quo pro hæredibus Regni agnoſcuntur ſolum ex Anna Bolenia prognati, & pro Thoma Moro, nec non Fiſchero Roffenſi Epiſcopo, hæredes iſtos non ob nullitatem prioris matrimonii, ſed beneplacitum Regis & ſtatutum Parlamenti, agnoſcere volentibus, intercedit. Provincialem viſitationem inſtituens, a Gardinero Wintonienſi Epiſcopo impeditur, nec non a Stokesly Londinenſi, qui poſterior etiam, prout & alii, cum a Cranmero partem aliquam Novi Teſtamenti in vernaculam translati accepiſſet, ut perlegeret eandem, ac quæ male reddita eſſent, annotaret, *nihil horum* præſtitit, & ſicut acceperat, remiſit. Monaſteria cum viſitanda proponerentur, Cranmerus eorundem diſſolutionem ſuaſit, ſpe poſſe ex eorum ruina eruditis enaſci ſubſidia. Sed quanquam improba Monachorum vita hic deprehenderetur, nihil tamen præterea actum eſt. Reformatio deinde, Crumvello, qui Regis vices geſſit, aſſiſtente, urgeri cœpta eſt; articuli enim fidei conſcripti, & a Rege omnibus commendati ſunt, utpote a quo etiam præfatione donati fuerant; (ex tenebris tamen non uno momento prodire lucem, vel unicus de honore & invocatione Sanctorum probat articulus.) Henricus Rex, cum Annam Boleniam in carceres conjeciſſet, impetravit ab ea divortium per Cranmerum, hac in cauſa cum Eboracenſi Archiepiſcopo conſtitutum Judicem, cum hæc fateretur, *eſſe quadam juſta,*

p. 22. p. 23. p. 24. p. 25. p. 26. p. 33. p. 34. p. 35. p. 41.

Digitized by Google

juſta, vera & legitima conjugii cum Rege impedimenta : quanquam p. 48.
quæ eſſent illa, revelare noluerit, & Northumbriæ Comes, de quo di-
cebatur, quod ante Regis cum Anna nuptias, eaſdem cum illa pa-
ctus fuiſſet, nihil ejusmodi aſſeruerit. Circa ea tempora Epiſcopi p. 50.
quidam, authoritate Regis congregati, expoſitionem in Decalogum,
Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolicum conſcribunt,
Regique exhibent, qui animadverſionibus in illam manu ſua adjectis,
per Crumvellum Archiepiſcopo eam mittit, ejusdemque de illa ſen-
tentiam poſcit: hic iterum notas addens tum emendantes, tum ex-
planantes, per Crumvellum Regi remittit, ac tandem anno 1537. ejuſ-
dem impreſſionem impetrat, ſub titulo: *Pia hominis Chriſtiani in-
ſtitutio.* Liber iſte nunc Epiſcoporum, nunc Regis liber appellatus p. 5[illegible]
eſt, qui eruditionem affectans libenter ſcripſit, aliorumque ſcripta ſuo
appellari nomine ſivit. Poſt hunc librum Biblia tandem ſacra pro- p. 57.
dierunt, lingua Anglicana, unde maxima Archiepiſcopus affectus eſt
lætitia, ut teſtantur ejus ad Crumvellum literæ.

Anglicanorum vero Bibliorum hiſtoria ſic ſe habet integra:
Wilhelmus Tyndal, auxiliantibus Joy & Conſtantino, Novum primo
Teſtamentum transtulerat, & Hamburgi vel Antvverpiæ imprimi cu-
raverat. Sed Wolſejus cum Epiſcopis ejus prohibitionem in Regno
procuravit. Tonſtallus etiam Londinenſis Epiſcopus, cum Thoma
Moro, quæ nacti ſunt exemplaria, comburi fecerunt. Anno 1530.
Tyndal interpretationem ſuam, & correctam quidem, denuo imprimi
fecit, nec non fratri ſuo & Thomæ Patmoro mercatoribus miſit Lon-
dinum; ſed iſti ab Epiſcopo Londinenſi accuſati, Moro tum Cancel-
lario ferente ſententiam, equis ad caudam facie converſa impoſiti, li-
bris ſchedisque multis amicti, in ignem Novum illud Teſtamentum
conjicere coacti ſunt, mulctamq; 18840. libr. & 10. den. luerunt. A. 1531. p. 81.
Epiſcopi in Cameram, quam vocant, ſtellatam convenientes queſti
ſunt, interpretationem illam erroneam eſſe, præfationem etiam præfi-
xam habere hæreſeos nec non calumniarum in Epiſcopos plenam. In-
tellexerunt fortaſſis tabulam, inſtar locorum communium doctrinâ p. 59.
de S. cœna, ſacerdotum matrimonio, miſſa, & præcipuis Pontificio-
rum controverſiis, exhibentem, Bibliorumque editioni præmiſſam.
Ideo eandem Rex prohibens, juſſit, ut conquiſitis viris doctiſſimis ad-
ornaretur alia. Sed hic nihil præſtiterunt Epiſcopi. Eodem anno
Sto-

Digitized by Google

Stokesly Epiſcopus Londinenſis, ut anteceſſor, congeſta N.T. exem-
p. 82. plaria combuſſit publice. Tyndallus in Belgio exuſtus Bibliorum verſionem ulteriorem reliquit Johanni Roger, alicubi in Germania Superintendenti, & poſtmodum ad S. Pauli Præbendario, primo etiam ſub Maria R. martyri, qui de novo conferens cum Hebræo textu Græcam, Latinam, Germanicam verſiones, perfecit Anglicanam, atque ſub ficto Thomæ Matthei nomine deliteſcens, ſumtibus Graftoni mercatoris imprimi curavit 1500. exemplaria, quæ publice venum expoſita, non ſolum magno cum gaudio excepta ſunt, verum etiam Regis mandato in quacunque Parochia haberi legique debuerunt;
138. etſi invite & confuſe id a multis factum, ſubinde etiam a Rege ipſo ad inſtantiam Epiſcoporum Pontificiorum inhibitum. Aliam poſthac editionem in forma majori curaturus Grafton, impetravit a Rege Galliæ, mediante Crumvello, ut Pariſiis id fieri liceret, ob minores ibi
p. 83. faciendos ſumtus. Sed Mattheus Ory Generalis Inquiſitor prohibuit opus, & quod jam abſolutum eſſet, exemplaria omnia vel igne combuſta ſunt, vel pro ſchedis ſparſim divendita. Coverdale vero Corrector operis, cum Typographo aufugiens, typos reliquit omnes in Pariſiorum urbe, quos tamen paulo poſt cum prelo ipſo & operariis adduxerunt in Angliam, majoraque hæc procurarunt Biblia.

p. 65. Hoc anno Lambert, alias Nicolſon, Tyndali & Frithi amicus, corporalem in cœna Chriſti præſentiam pernegans, ab Archiepiſcopo pro hæretico declaratus eſt, poſtquam Rex ipſe, deinde Cranmerus,
p. 257. poſt & alii Epiſcopi cum ipſo diſputaſſent in conſeſſu ſolenni. Fuit enim tum pro corporali præſentia Cranmerus, in aliam poſtmodum ſententiam adductus a Ridlejo, qui illā hauſerat ex Bertramo, & Cranmero propinaverat, multis deinde ſcriptis ſpiritualem contra Gardi-
p. 69. nerum defendenti. Sacerdotes tum cœperant uxores ducere; quo Rex intellecto edictum edidit, declaravitque, diſplicere ſibi ſacerdotum conjugia, abſque ſuo Parlamentique indultu contracta, & prohibuit ſacerdotes illos a ſacris functionibus, nec non beneficiis eccleſi-
p. 72. aſticis. Poſt famoſi ſex Articuli fuere evulgati, quibus licet vehementer ſe opponeret Archi-Epiſcopus, prævalere tamen non potuit, Rege ei tum infenſo, quod, cum omnibus monaſteriis ſublatis, eorum reditus ſibi vendicare vellet, eundem Archiepiſcopum ſibi adverſum
p. 74. ſentiret. Miſit tamen ad eum Rex, poſtquam Articuli Parlamenti decre-

Digitized by Google

decreto confirmati eſſent, qui ea de re triſtem conſolarentur, regiamque gratiam teſtarentur. Inſecutus inſuper eſt Ceremoniarum liber a Pontificiis confectus, ſed quem Cranmerus prolixe refutavit, & Rex cum cerneret deinde, non ex malitia, ſed in Deum zelo, Archiepiſcopum ejusque aſſeclas oppoſuiſſe ſe articulis illis, aliquantum ab ipſorum remiſit rigore. Crumvello mortuo varios ſenſit inimicos Archiepiſcopus. Primarius fuit Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus, quo vel authore vel fautore haud pauci, tum amici Cranmeri, tum Eccleſiæ ejus cathedralis Præbendarii, vel ipſius beneficio promoti, multos collegerunt articulos contra Archiepiſcopum, nunc Juſtitiariis, nunc Conſiliariis Regiis, nunc ipſi Regi offerendos. Et Regi tandem cum traditi eſſent, is ipſe non ſolum rem totam Archiepiſcopo detexit, verum & author fuit accuſatorum deprehendendorum, qui manſuetudine Cranmeri tum quidem veniam, poſt aliquam in carceribus moram, conſecuti ſunt: verum paulo poſt eorum multi aliis de criminibus accuſati, vel ſic meritam luerunt pœnam. Alium in Parlamento nactus eſt Cranmerus inimicum, videlicet Johannem Goſtvvik Equitem, a quo Lutheraniſmi accuſabatur. Sed a Rege ipſo iterum defenſus, gravius quid expertus eſt a Regiis Conſiliariis, qui inſtigante (ut exiſtimat Autor) Duce de Norfolk, Epiſcopi Wintonienſis amico, queſti ſunt coram Rege, quod ipſe cum docto viro ſuo (ita Cranmerum appellabant) adeo infeciſſet regnum, ut fere partes ejus tres hæreticæ eſſent, regnoque eadem, quæ in Germania, immineret perturbatio: in carcerem igitur conjiciendum eſſe Archiepiſcopum, atque tum unumquemque, nunc ejus auctoritatem expaveſcentem, libere pronunciaturum, quod contra eum haberet. Rex annuit: ſed hora noctis undecima accerſit Archiepiſcopum, qui jam dormiens, de lecto tamen ſurgens promte accedit, & a Rege accipit, quæ Conſiliariis ſuis conceſſerit. Nihil refragatur Cranmerus: Rex autem ejus reprehendens ſimplicitatem, annulum ſuum tradit ei, & jubet, ut coram Conſiliariis ſequenti die comparens, eundem producat, atque ab eorum ſententia ad ſe provocet. Sic altera die a Conſiliariis Regiis citatus, & comparens, non vero illico intromiſſus (quod Rex percipiens, ægre tulit) audivit ſententiam, quod in Turrim Londinenſem mitti debeat; ſed annulo Regis producto irritam fecit eam. Stupentes quoque Conſiliarii & Regem adeuntes, verbis ejus

p. 109. p. 118. p. 123. p. 124. p. 125.

caſtigati ſunt, tum, quod vinctum voluiſſent Archiepiſcopum, tum, quod diu foris inter famulos ſtare permiſiſſent. Regis itaque favóre perpetuo uſus, multas tum criminationes, tum machinationes evaſit inimicorum. Ejusdem Regii favoris documentum erat, quod paterna ipſius mutaret inſignia. Nam cum hactenus tria gruum roſtra
p. 126. geſſiſſet, illorum loco tres accepit pelicanos, ipſo forſan Rege ſuſpicante, ſanguinem ejus aliquando effuſum iri pro pullis, h. e. pro iis, quos ad veritatem religionis Chriſtianæ perduxiſſet. Quanquam autem magna ejus apud Regem eſſet autoritas, non potuit tamen impedire, quin ſubinde Pontificii emergerent. Nihilominus Jus Canonicum emendare conſtituit, & ſubinde preces fieri jubens in vernacu-
p. 127. la, obtinuit etiam in Parlamento, ut 32. tum Theologi, tum JCti eligerentur, hoc in ſe ſuſcepturi opus, nec non ſanas eccleſiaſticas conſcripturi leges. Hic aſſerit Author, vidiſſe ſe ejusmodi Legum Manuſcriptum elegans, in quo non ſolum animadverterit Cranmeri
p. 133. manum emendantem, annotantem, expungentem, verum etiam Petri Martyris, ceu unius ex iſtis 32. lectis.

p. 136. Rege Henrico mortuo, quem ante mortem adhuc a nimio imaginum & crucis cultu abduxerat, in agone etiam de ſola in Chriſtum fiducia monuerat Cranmerus, nec non Filio ejus ad Regnum evecto,
p. 139. oſtendit firmiter ſibi perſuaſum eſſe, *omnu juris dicendi autoritatem, nec non jurisdictionem eccleſiaſticam, a Regia poteſtate, velut ſupremo capite ac omnium Magiſtratuum fonte & ſcaturigine, primitus ema-*
p. 141. *nare.* Ideoque petiit a Rege novo, *ut Archiepiſcopalis functio ab Henrico ſibi conceſſa, ſed cum vita ejus extincta, de novo ab Eduardo ſibi conferretur:* quod & obtinuit diplomate, in quo conficiendo operam quoque impendiſſe ſuam creditur. Regem deinde coronat, & in oratione eleganti de liberatione a Pontificis Romani ſuperioritate, ritibus etiam ſacris in coronatione adhiberi ſolitis, monet; Joſiæ
p. 145. exemplo ad pium hortatur regimen; ac ſibi delinquentem Regem in jus vocare, aut excommunicare, aut imperio privare minime licere,
p. 148. teſtatur. Viſitatione deinde inſtituta, Homiliis compoſitis, Paraphraſi Eraſmi in vernaculam converſa, Synodo convocata, & aliis actionibus nihil omiſſum eſt, quod vel Regi confirmare potuit ſummam poteſtatem, vel promovere puriorem Dei cultum; quanquam aliqui, Bonnerus imprimis, Epiſcopus Londinenſis & Gardinerus Wintoni-
enſis

ſis ſe opponerent, dicerentque, invalida eſſe ſingula, quæ durante Regis minorennitate fierent. Quamdiu enim Dux Somerſetenſis, Angliæ Protector, in vivis fuit, nemo contra Archiepiſcopum prævaluit; imo & ab hoc jamdum alienatis reliquorum Conſiliariorum animis, obtinuit Cranmerus in Parlamento confirmationem Libelli communium precum, magna ſollicitudine a ſe compoſiti & poſtmodum correcti, rituum etiam adminiſtrandi Sacram Cœnam, abrogata Miſſa, & communione ſub utraque ſpecie conceſſa. Vidit quoque, quamvis ejus hic cauſa minime, Regis autem maxime verſaretur, Epiſcopos Londinenſem & Wintonienſem, & alios Regis ſummam in eccleſiaſticis poteſtatem non agnoſcentes, depoſitos, incarceratos, benigne tamen habitos, aliosque in locum eorum ſubſtitutos: quos inter Johannes Hoperus in Gloceſtriæ Epiſcopum electus, recuſavit Epiſcopis ſueta induere veſtimenta, atque publice etiam contra illa declamavit Londini, eaque de cauſa domi ſuæ aliquamdiu incluſus eſt. Sed neque hic parens, conſcribens etiam librum contra epiſcopalem veſtitum & Regis Conſiliarios, in Archiepiſcopi cuſtodiam traditus eſt, donec ab eodem, Bucero etiam & Martyre, objectionibus ipſius omnibus ſolerter diſcuſſis & plane dilutis, perſuaderetur tandem. Somerſetenſi Duce ſublato, non tantum valde indoluit Cranmerus, verum etiam a Northumbriæ Duce abhorrens, minus frequenter in aulam acceſſit: quanquam in nominatione Epiſcoporum aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ, tum pro Anglia, tum pro Hibernia, ſæpe conſuleretur.

p. 191. p. 193. p. 208. p. 231. p. 211. p. 264. p. 454. p. 280. 283.

Ultima ejus ſub Eduardo fuit actio, qua poſt longam reluctationem aſſenſus eſt decreto Mariam a ſucceſſione excludenti, quam ipſam tamen illico ad Mariam perſcripſit, indicavitque; quæ nihilominus Regnum capeſſens, omnibusque aliis criminis in ſe admiſſi veniam concedens, nullam Cranmero juxta cum Northumbriæ Duce conceſſit, ſed in carcerem conjici mandavit. Unde ſæpius in judicium adductus, ſero a læſæ Majeſtatis crimine abſolutus eſt, hæreſeos ſolum cauſa detentus; quod ſibi gloriæ duxit. Interea videns omnia perverti in Eccleſia, multos etiam carceribus includi, fugam ſuadet reformatam amplexis religionem, præſertim Wilkinſoniæ, fœminæ ut piæ, ita hac in re dubiæ, ſibi tamen in Anglia permanendum ratus. Poſt Oxonium deductus cum Ridlejo & Latimero, inque cuſtodiam

p. 225. p. 296. p. 321. p. 313.

p. 334. traditus,poſt varias diſputationes ſigillatim habitas, damnatur ob hæ-
p. 340. reſin. Sed executio differtur. Hic Polus Cardinalis in Angliam
redit, ædem Lambethanam occupat; omnia cum Regina peragit, po-
p. 344. pulum Pontifici reconciliat; modo leniter cum hæreticis, purio-
p. 347. rem puta Evangelii doctrinam amplexis, agendum eſſe, modo
juxta canonicas ſanctiones coercendos & puniendos præcipit: unde
p. 371. ſeverisſimis in eos actionibus a Poli mente non alienis occaſionem da-
p. 374. tam, colligit Autor. Cranmeri quoque revocata cauſa, etiam Ro-
p. 375. mæ (quorſum citatus, ſed carcere detentus venire nequivit) acta, &
ſententia demum lata, juxta quam ordinibus ſacris exutus, ſeculari-
que Magiſtratui traditus eſt. Aliter enim vel citius neque Reginæ
neque inimicis ejus agere libuit vel licuit, quod Romani Pontificis ite-
rum recepiſſent autoritatem, omniaque Cranmerum attingentia Ro-
mam perſcripſiſſent. Hanc ultimam ſententiam paulo poſt Cran-
meri mors inſecuta eſt. Nam & a Papa Romano, cujus neque Com-
p. 376. miſſarios ſuſpicere voluit, quanquam Reginæ revereretur, ad Conci-
lium appellans, & ad Reginam multoties ſcribens, tum ejus miſeri-
p. 377. cordiam implorans, tum ei demonſtrans, quam imprudenter ſe Pon-
tifici R. ſubmiſerit, ac denique illecebris variis ad palinodiam addu-
p. 383. ctus, nihil quicquam obtinere potuit, ſed igni, ut & aliunde notum,
p. 392. pœnitens & confirmans puriorem doctrinam, A. 1555. traditus eſt.

Hæc ſufficere putamus ad demonſtrandum, quam non infelici-
ter defendendum, vel nuda hiſtoriæ recenſione, ſibi Autor ſumſerit
Cranmerum; quem nec Henricianum putat fuiſſe, h. e. ad nutum
Henrici R. omnia peragentem, nec perjurii reum ratione juramenti
P.R. præſtiti, nec imperioſum, cogentem aliquem ad articulorum ſub-
ſcriptionem, nec truculentum, nec incontinentem, nec tardum de-
p. 410. nique in reformationis negotio, prout Calvinus ipſum in epiſtola red-
arguit. Præterimus autem ejus in peregrinos affectum & liberalita-
p. 394. tem; a vindicta alienum animum; convictum Archiepiſcopo dignum
& liberalem; pro defendendis Eccleſiaſticis bonis ſollicitudinem;
p. 234. plurium librorum conſcriptionem, illius præſertim, quem in carcere
detentus pro defenſione prioris ſui libelli de S. Cœna contra Gardi-
nerum incepit, non tamen abſolvit; Eccleſiarum ex Germanis, Italis,
Gallis, Hiſpanis etiam, Londini collectarum ſub Paſtoribus ſingulis,
ſed Johanne a Laſco earum omnium Superintendente, curam; pacis
&

Digitized by Google

& concordiæ inter Proteſtantes conſtituendæ ſtudium, cujus gratia, Eduardo regnante, in Angliam litigantes invitavit partes; cum exteris, quos inter etiam fuit Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus, literarum commercium, & alia. p. 407. p. 286.

Inter monumenta in Appendicem rejecta eminent Cranmeri proteſtatio, cujus aliqua ſuperius inſeruimus verba; ad rebellium articulos reſponſio; Cardinalis Poli inſtructio Goldvvelli miniſtri ſui ad Mariam R. miſſi, antequam intraret Angliam; ejuſdem ad Eccleſiam Cantuarienſem, nec non omnem Angliæ Clerum inſtructio, de abſolvendo & reconciliando populo; epiſtolæ Cranmeri, Buceri, Martyris, cum quibus fere ſingula communicavit in reformatione peragenda; Academiæ Cantabrigienſis, Regia etiam diplomata plurima, ut plurimum ex manuſcriptis codicibus deſumta. Sunt tamen & hoc in libro errata, quæ Whartonus Autoris amicus & edendi illius ſuaſor obſervavit, nec non Appendici ſubjecit. Dabimus pauca. Scripſerat Autor, amicum quendam ſuum ſtatuere, Thomam Becket (vulgo martyrem) pro Eccleſiæ quidem privilegiis mortuum, aſt primum fuiſſe, qui Pontificis R. in Anglia poteſtatem agnoverit. Wilhelmo de Corboil, qui Thomam in ſede Archiepiſcopali anteceſſit, id tribuit Wharton, qui ab Honorio P. M. bullas petierit & obtinuerit. Licentiam ſacra in ſacellis privatis adminiſtrandi a Cranmero conceſſam, non fuiſſe inſolitam priſtinis temporibus. Subſcriptionem Cleri ad articulos ſub Henrico propoſitos, non originalem in Cottoniana ſervari bibliotheca, ſed Regis ærario; ibi vero tantum apographum eſſe, ſecus quam Strype putavit, aut Burnetus, exiſtimans perſecutorum injuria hanc cum ſimilibus documentis periiſſe. Aſſerit idem, deſcripſiſſe ſe inde 175 fere ejusmodi documenta. Titulares epiſcopos vel ſuffraganeos nominat Strype; ſed perfectam eorum ſucceſſionem per omnem Angliam promittit annuente Deo in Anglia ſua Sacra Warthon. Commiſſionis ſeu Archiepiſcopatus ab Eduardo petiiſſe confirmationem dicitur Cranmerus Autori, tanquam res fuiſſet nova; ſed idem jam factum eſſe ſub Henrico ab Epiſcopis omnibus anno 1535, ait Wharton. Hoc etiam monendum duximus, Autorem in Dedicatione ad Johannem Tillotſon, nunc Archiepiſcopum, aſſerere, collegiſſe ſe plurima non ſine voluptate, unde *Parkeri* etiam, *Grindali* & *Withgifti*, Cranmeri ſucceſſo-

ceſſorum poſſit conficere hiſtoriam, ſi otium Patronoſque nanciſceretur. Nos certe eidem quæcunque novi Operis ſubſidia apprecamur.

ORIGO LEGUM, OR A TREATISE of the Origin of Lavvs, and their obliging Povver, as alſo of their great Variety.

i. e.

Tractatus de Origine Legum, earumque vi obligandi, nec non varietate magna. Per Georgium Davvſon, Mag. Art.

Londini ap. Richard. Chiſvvell anno 1694.
in fol. plag. 105.

SEptem libris hic conſtat Tractatus, Magnæ Britanniæ Regi Reginæque inſcriptus, quorum ſinguli, juxta diviſionem Autoris, fere omnia conſiderant, quæ aliqua ratione de Lege dici queunt. Eſt autem Lex illi, rejectis aliorum definitionibus, *Regula agendi vel non agendi,*
p. 4. *ab ente quodam intelligente ac poteſtatem habente præſcripta:* atque
ſic negativa quoque ſe comprehendiſſe præcepta, quod alii neglexerint, exiſtimat; Legem etiam, quam ſibi ipſi præfixit Deus, nec non
p. 6. naturæ rerum præſcripſit. Originem Legis cujuſcunque eſſe ſinum Dei oſtendit, poſtquam docuerat, *æternam Legem*, de qua neminem niſi Atheum dubitaturum affirmat, eſſe *ſapientiam, quam poſſedit Deus in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret a principio, & quæ ab æterno ordinata eſt, & ex antiquis antequam terra fieret.* Hujus duas eſſe partes aſſerit, quarum una comprehendat or-
p. 5. dinem, quem Deus in operibus ſuiſmet perpetuo ſibi ſervandum pro-
p. 11. poſuit; altera eum, quem præſcripſit naturæ rerum. Et hanc quidem iterum dividit in eam, quæ eſt rerum ex natura, & quæ eſt rerum ex arbitrio agentium, quales ſunt Angeli & homines. Hinc quatuor ipſi Legis rami ſeu ſpecies: (α) Lex divinarum operationum ad extra; (operationes enim ad intra ſub legem non cadere, quia omnino naturales, cum Suarezio ſtatuit.) (β) Lex ſecundum quam naturalia agentia, ut Sol, ſtellæ, bruta &c. operantur.

(γ)

Digitized by Google

(γ) Lex Angelorum, quæ & cœleſtis appellari poteſt. (δ) Lex hominis, qui eſt vel κοσμοπολίτης, incola mundi, vel ζῶον πολιτικὸν, civis reipublicæ, vel denique ζῶον ἀθάνατον, creatura immortalis: atque ſic adigitur 1.) ad legem, quæ ipſi cum omnibus hominibus communis eſt; 2.) ad leges in commodum Reipublicæ, cujus eſt membrum, ſancitas; 3.) ad leges, quibus tenetur agnoſcere & colere Creatorem, nec non vivere prout filium æternitatis decet &c.

Diviſione ſic formata, eleganti ordine ſingula pertractat, & ex probatisſimis Juris naturæ gentiumque ſcriptoribus probat: in iis autem, quæ patriam ſpectant ejus, non invenuſte prolixus eſt. Hic enim legas licet definitionem affirmativam quæſtionis, an Regi reſiſtere liceat, adeo tamen modeſtam, ne ſupremam Regis Britannici Majeſtatem lædere audeat, imo ex Bractono JCto Anglicano adſtruat. p. 55.
Qui Bractonus non, ut aliqui ex ipſo elicere cupiunt, Regem legi ſubeſſe docuit, ſed aſſeruit *locum eſſe ſupplicationi, ut factum ſuum corrigat & emendet, & hoc quidem ſi non fecerit, ſufficere ei ad pœnam, quod Dominum expectet ultorem.* Habes hic Foreſtarum per p. 55. Angliam catalogum & leges a Canuto ſancitas, a Johanne anno 1215. p. 89. mitigatas. Leges quoque maritimas a Richardo I. latas, & in Oleron, p. 96. inſula prope Aquitaniam, unde & nomen illæ habent, promulgatas, nec non alias a Carolo II. ſcriptas. Ad leges bellicas progresſus examinat quæſtionem, utrum Chriſtiani Principes ſemper fœdere jungi debeant contra Chriſtianæ fidei hoſtes? & affirmando reſpondet, quoniam unius corporis myſtici membra ſint, & affici calamitate alterius membri debeant. Circa Eccleſiaſticas leges docet longa ſerie, quomodo Apoſtoli & Epiſcopi poſt Chriſti aſcenſum legislativam habuerint in conciliis authoritatem, rexerint Eccleſiam diviſis inter ſe provinciis & conſtitutis ſedibus Primatum & Epiſcoporum, quarum catalogum refert, easque diviſo Imperio Romano in provincias conſtitutasque metropoles omnino conformes fuiſſe aſſerit. Et hanc conformitatem Eccleſiæ cum Imperio Romano per plura deducit ſecula. Ad ſuam tandem delapſus Eccleſiam, ejusdem exhibet antiquitatem, independentiam a Romana, authoritatem ſe ipſam reformandi, Epiſcopos, eorumque conſiſtoria, fora, officiales, fidem tribus ſymbolis, quorum hiſtoriam addit variasque lectiones, innixam, ſynodos etiam, & articulos cum legibus hic conſtitutos.

p. 100. p. 121. p. 125. p. 9. p. 48. p. 52. p. 90. p. 123. p. 140.

Quæ

Quæ ſingula, quoniam & apud alios occurrunt, Petrum de Marca, ſcilicet, Hokerum, Grotium, Sanderſon, Zoucheum, Cokium, Uſſerium &c. Authori quoque noſtro citatos, hic tantum indicaſſe ſufficiat.

DE OCCIDENTE UNUM PRO ALIO Tractatio Methodica, Authore Petro Franciſco Paſſerino, Comite Belegni, ac Conſilii Ducalis Præſide,

Parmæ, excudebant Albertus Pazzonus & Paulus Montius A. 1693. in fol. Conſtat Alphab. 5. plag. 3.

QUi jam anno hujus ſeculi vigeſimo nono anagrammata numerica, & fundamenta veræ pronunciationis Latinæ, aliisque dehinc temporibus tractatum de pollutione eccleſiarum, & ſcripta inſuper plura in lucem publicam emiſit illuſtris Paſſerinus, annum nuper ætatis octogeſimum ſecundum agens fœtum hunc enixus eſt, & materiam de occidente unum pro alio quinque Diſſertationibus excutere inſtituit. Ac in prima quidem poſt ſingulorum, quæ in titulo occurrunt, vocabulorum expoſitionem prolixiſſimam, iſto nomine comprehendi ait non eum modo, qui efficaciter volens occidere unum, non volens effective occidat alium, verum etiam, qui ad occiſionem unius hominis loco alterius aliqua ex parte cooperetur, vel modo aliquo concurrat. In Diſſertatione ſecunda diſpicit de cauſis, unde fiat, quod quis occidat unum pro alio, & ex dolo volentis occidere unum, ſed actu occidentis alium, nondum evadere doloſam hanc occiſionem docet; culpæ tamen alicujus inſimulari poſſe occidentem addit, ſi culpam juridicam eo ſenſu capias, ut & actio externa, & contra iſtud ſit, quod fieri tunc debuit; ut actio libera nuncupari mereatur; ut ne profluat ex intentione læſionem inferendi; & denique ut læſio, quæ ex actione tali infertur, ab agente præcaveri potuerit. Poſtmodum cautiones affert, quæ obſervandæ iis veniant, qui per caſum mere fortuitum, unum pro alio occidiſſe dici poſſint. Mox ad cooperantem deſcendens, eum, qui directe cooperetur alteri ad non cavendum periculum occidendi unum pro alio, ſemper culpam incurrere, ſed qui indirecte ſaltim id faciat, culpa carere aſſerit. In tertia Diſſertatione,

tatione, quam diverſimode a culpa excuſetur occidens unum pro alio, quærit, & a minorenni exorſus,infantem ante completum ſeptennium puerumque infantiæ proximum in foro externo a culpa occiſionis in totum abſolvi; puerum vero pubertati proximum vel puberem ipſum regulariter non excuſari in totum a culpa ,ſed hanc minorem cenſeri ; & quamvis aliquando malitia ætatem ſuppleat , nunquam tamen iſtam ſic augeri,ut pœna ordinaria delinquens affligendus ſit, obſervat. Aſt enim in foro interiori longe aliam eſſe rationem,& ex ejus judicio infantes utique etiam peccare aſſerit. His ſenes ſtatim adjungit, ſolamque ſenectutem delicti culpam nequaquam monet imminuere, cum quilibet, quantumvis ſenex & centenarius, in dubio tamen præſumatur ſanæ mentis, ac tametſi vires corporis eum deficiant, non tamen deficiat mens & judicium. E contra ſenem ad infantilem ſeu puerilem mentis infirmitatem reverſum, ut infantem ſeu puerum a culpa excuſari vult; ubi judicis arbitrio plenum de hac infirmitate judicium relinquendum ſit. Mulierem vero occidentem unum pro alio , juxta perſonarum & circumſtantiarum diverſitatem,a culpa vel in totum vel in tantum , ſed regulariter plus, quam virum, excuſari , eo quod per imbecillitatem ſexus æque ac judicii , vel nullo modo, vel levius, quam vir, cæteris per omnia paribus, delinquere exiſtimanda ſit. Hermaphroditum, cum nec ſimpliciter vir, nec fœmina ſimpliciter, ſed homo mixtus ſit,plus vel minus a culpa liberari, prout a fœminini ſexus natura & qualitatibus plus minusve participet ; ſicuti & in odioſis plerumque vir eſſe definat,fœminini ſexus favoribus hoc pacto gaudens. Eunuchum a culpa ſive tanquam mulierem, ſive tanquam puerum.ſive magis ſaltim,quam virum, excuſari. Similem in modum, ſi a demente proficiſcatur unius homicidium pro alio, arbitrio judicum & peritorum committi debere, utrum vel infanti, vel impuberi, vel minori is æquiparandus ſit, & eum pro rei varietate,vel omni, vel aliquo, vel nullo modo abſolvi. Diſſertatione quarta hanc quæſtionem examinat: quidnam occidens unum pro alio mereri dicendus ſit ? & ſolum ſane conatum regulariter non debere impunitum relinqui affirmat , licet pœna ſaltim extraordinaria, non civilis illa & eccleſiaſtica homicidis alias deſtinata locum tunc inveniat. Si vero doloſe volens occidere unum , culpabiliter actu occidat alium, ne ſic quidem ordinariam pœnam obtinere.

Fff

nere. Quærit dein poſt alia: an volens occidere Paulum non bannitum, ſi occidat Petrum bannitum diffidatum, quem tamen ejusmodi eſſe neſciverit, pœnam vel præmium mereatur? ac in poſterioris ſententiæ affirmativa acquieſcit; prout & alias iſtius generis quæſtiones in medium producit, quas tamen intactas hac vice relinquimus. In Diſſertatione quinta agit de ſatisfactione, ad quam occidens unum pro alio teneatur; ubi ſatisfactionis nomine innui docet tam compenſationem pro injuria illata, quam reſtitutionem ſtrictiſſime ſumtam pro damno in aliis bonis dato. Qui igitur alium illicite occidere conatus ſit, eidem ſatisfactionem ad prudentis viri ſententiam pro injuria commenſuratam imponi; qui autem culpabiliter id fecerit ex culpa ſaltim juridica, eum in foro conſcientiæ ad nullam, at ſi ex culpa theologica & gravi, ad omnem damnorum reſtitutionem teneri. Pariter hanc illi incumbere, qui ex lata culpa unum occiderit pro alio, non ſecus atque huic, qui ex dolo iſtud homicidium commiſerit. Interim culpabiliter occidentem unum pro alio nequaquam poſſe adigi, ut quicquam vel temporale vel ſpirituale præciſe pro ipſo damno rependat; ac idem de eo, qui culpabiliter occidat ſeipſum, dum alium directe occidere voluerit, pronunciandum. Omnem autem homicidam, ſive doloſum ſive culpoſum, teneri ex juſtitia reſarcire damna ex homicidio provenientia, quorum tamen æſtimium æquo judici rurſus committendum veniat.

NATHAN LACY MED. DOCT. de Podagra.

Venetiis apud Andream Poleti, Anno 1692. in 8. Conſtat plagul. 6.

EFfato quidem Ovidii,

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram;

ſi tamen fides adhibenda ingenioſo hujus libelli auctori,

Tollere rite poteſt Herculis arte malum.

Peculiare ſcilicet medicamentum proponit, quod vincendæ huic hydræ aptum antipodagrici Herculis nomine percelebrat. Prius vero quam illud exponamus, more noſtro brevem diſcurſus iſtius epitomen ſumus præmiſſuri.

Ab

Digitized by Google

Ab initio Dominus morborum, & morbus Dominorum, paſſio arthritica in Democriti puteo, cum occultis cauſis & ignotis curationibus, hucusque habitaſſe dicitur. Hinc enumeratis, quæ ratione partis afflictæ ſortitur, nominibus, ut quando e.g. in humero omagra, in ſpina dorſi rachiſagra vocatur, definitio traditur, quod ſcilicet ſit ſolutio continui facta a ſale eſſentiali aucto in ſero communiter ad juncturas per intervalla extravaſato. Subduntur mox ſigna diagnoſtica cum imminentis tum præſentis podagræ, ubi ſimul de pulſu refertur, quod nihil in hoc morbo peculiare indicet; ex arenularum vero cum urina vel excluſione, vel retentione, de reditu, duratione & ſolutione morbi multa interdum poſſint judicari. Diſtinctiones podagræ ab humoribus primisque qualitatibus deſumptæ exploduntur, rejectisque antiquorum prognoſticis, ceu falſis & ſuperfluis, unicum hoc ſtatuitur, quod Podagra nemini niſi volenti faciat injuriam. Qui enim abſtinere & ſuſtinere noverit, illum medicamentis pro cura haud indigere; id quod hiſtoriis aliquot comprobatur. Inde disquiritur, quomodo parentum morbi in filios migrent? Scilicet quando paucius fermentum morboſum a male ſano ad generationem filii collatum, a firmitudine fibrarum ſtaminalium, quæ ſanior mater confert, ſatis potenter ſupprimatur & caſtigetur, ſerius & quandoque nunquam morbum paternum in filio ſe prodíturum; in ſeris nepotibus occaſione nacta tandem emerſurum. Contra vero ubi copioſius fermentum & debiliores fibræ ſtaminales in eodem ſubjecto concurrant, citius & potentius filium eo, quod per hæreditatem ad ipſum pertineat, eſſe potiturum. De cætero cauſæ & curationes a veteribus (quos laborioſos idealium terminorum fabros, & verbali medicina excellentiſſimos Auctor vocat) usque huc aſſertæ, Paracelſi puta, Helmontii, Sennerti, Williſii, Majeri, Sylvii, Tachenii, Sydenham &c. valere jubentur. Ipſe autem rem omnem tali modo expedit: Corpus humanum partibus conſtat plurimis, oſſeis, muſculoſis, arteriis, venis, nervis &c. Dum vero hoc per podagram dolore, h.e. ſolutione continui affligitur, neceſſario videtur inquirendum, ecquidnam hanc inferat? Itaque conſideratione accuratiore omnium corpus conſtituentium principiorum, ſcil. ſalis, olei, ſpiritus, aquæ & terræ, præmiſſa, brevi demonſtratione evincitur, ſolum ſal (quod ſit ſubſtantia incidens, penetrans, & aculeatis punctorum haſtis naturali-

Digitized by Google

ter armata) aptum eſſe natum ad hunc effectum producendum. Hinc ejus natura penitius inveſtigatur, quo parti ejus peccanti adæquatum opponi remedium poſſit. Concluditur autem, ſal iſtud mediæ poteſtatis eſſe inter fixum & volatile. Nam hæc tanquam non naturalia, quæque abſque ope artis nunquam & nusquam demonſtrari queant, in cauſam podagræ allegari non poſſe. Atque illud commodiſſime eſſentialis nomine inſigniendum eſſe, quale ex ſuccis plantarum communiter per cryſtalliſationem eliciatur. Hoc primitus ex chao in elementa ſuſcitatum, nunc quotidie ex elementis mediante aëre in terram, ex terra ad alimenta, ex alimentis ad corpus devenire. In hoc poni cauſam immediatam & efficientem dolorum omnium podagricorum debere. Cum vero ſalia non agant niſi reſoluta, hinc adſtruitur lympham illa ſecum vehere, ita ut ubicunque hæc fuerit, illa quoque præſto ſint. Ita ſcilicet ſal eſſentiale microcoſmicum, in lympha ſua tanquam Behemoth podagricum, in profundo dolorum mari pinnatis aculeis ſuis ſublimiter ſuperbum luxuriare. Jam autem ab uſu & officio lymphæ, quod ſcilicet hæc chylum & ſanguinem diluat reddatque fluidiorem, adeoque per univerſi corporis partes feratur, concluditur, cauſam podagræ eſſe ubique, tam in hepate, pulmonibus, cerebro, corde &c. quam in manibus, genubus, pedibus. Saltem id diſputationem dicitur habere, cur & quomodo in his partibus magis quam in illis ferociam ſuam exerceat. Hinc demonſtratio præmittitur, dolorem non niſi in partibus nerveis, membranis, tendinibus, perioſteis (quarum ſingularum definitiones traduntur) ſentiri. Mox oſtenditur fuſius, has partes indeſinenter ſanguinis arterioſi influxu rigari. Et (ſiquidem omnis ſeparatio humorum fiat per filtrationem) particulas ſibi correſpondentes atque ad nutritionem aptas recipere, reliquis plus ultra tranſeuntibus. Cum autem lympha ſanguinis podagricorum nimio ſale imprægnata ſit, facile contingere, ut unum vel alterum punctum hujus ſalis impingat leviter in aliquam ex fibris nerveis, & quidem facilius in tendinem tanquam filtrum denſius, quam in muſculum, ſicque tranſitum haud inveniat. Hinc turmatim confluere ſpiritus ad auxilium quaſi properaturos, unde interſtitia partium reddantur anguſtiora, in iisque plura ſic ſalia ſiſtantur. Nam ſemper a tergo ſanguinem & humores impelli, unde vi unita ac multitudine ſalia efficiant, quod virtute & acumi-

Digitized by Google

cumine vel per naturam vel per morbum acquiſito nunquam potuerint feciſſe. Atque hinc facile accidere, ut una aut altera fibrilla filtri ſive cribri membranacei loco cedat, & forſan rumpatur, ſicque e veſtigio ſequatur extravaſatio. Hæc vero qua ratione neceſſario contingat, & quomodo lympha absque ſanguine exeat, per exempla intra & extra corpus probatur. Inde quid ſuppurationis & fermentationis natura ſit, & quomodo res incorruptæ conſerventur, per condituras, muriam, beneficio ſalis &c. obiter exponitur. Tali autem modo operari quoque ſal arthriticum aſſeritur, ſubjuncta ſtatim explicatione ſymptomatum, quæ in podagricis obſervantur, torporis ſcilicet, impotentiæ ad motum, formicationis &c. ubi ſimul oſtenditur, non aliam ſpaſmi ſpeciem, quam tetanum eſſe lictorem, qui partem captam & quaſi clavatam detineat, motusque adeo impotentiam inducat. Hinc nonnullis in hoc morbi genere dubiis ſolutione ſatisfit, nimirum unde ſuppreſſio urinæ, ſudoris, ſputi? cur venæ ante paroxyſmum diſtendantur? quare teſticuli in ſcroto viris podagram paſſuris vel patientibus elongentur? unde ſenſus ſolito exquiſitior producatur, ita ut vel lanugo cygnea parti affectæ impoſita ipſam offendat? cur dolor aliquando in pollice pedis ſiniſtri primo excitetur? quare ab uno latere in aliud dolor tranſeat? unde tumor? unde color ad rubedinem vergens? unde affinitas inter calculum & podagram? quomodo podagra a multis morbis præſervet? unde febris ſymptomatica in podagra? De cætero poſtquam operoſa Medicorum pro cura podagræ conſilia tanquam vana & quorundam ineptias perſtrinxit Auctor, omni ſtudio inquirendum judicat, quibus modis ſolvere arthritidis paroxyſmum unquam naturæ contigerit, & quibus modis poſſibile ſit, ut ipſe ſolvatur? Hinc quatuor modos ex Sennerto aliisque recenſet: (I.) & frequentius, quando materia reſolvitur tota, ita ut vel nullum vel exiguum ſui relinquat veſtigium; (II.) quando maxima in puri quid ſimile mutatur, quod tamen verum pus non eſt, ſed ſanies quædam ſeu ichor carnem & cutem erodens; (III.) quando in tophos & nodos abit; (IV.) cum humor alio defertur, e.g. ad pulmones, cor, cerebrum, varices &c. vel evacuatur per alvi fluxum &c. Ex his omnibus primum quidem modum, ubi tota materia reſolvitur, nullo ſui relicto veſtigio, ægris unice optandum, & Medico unice intendendum arbitratur noſter Auctor.

Cum vero illum ob materiæ conditionem ſemper non liceat aſſequi, hinc alterum modum ab ægroto anxie ait expeti, eumque ut Medicus promoveat, ejus implorari auxilium. Differre autem hos duos modos inter ſe ſicut transſpiratio inſenſilis violenta & ſudor, vel ſicut deſtillatio materiæ levioris & craſſioris. Jam *ſi quis in Podagra* (ſunt verba Auctoris) *ſalia morbifica leviora per inſenſilem transſpirationem, & ſalia graviora per ſudorem uno eodemque tempore cito, tuto & jucunde poſſit expellere, ille albæ gallinæ filius Diis hominibusque plaudentibus lymphaticum agrum transmiſiſſe, arthritici Augiæ ſtabulum purgaſſe, Iſthmum articulorum perfodiſſe, clavamque Herculi podagrico ſalinam extorſiſſe jure proclamari debet.* Præmiſſo autem brevi diſcurſu de impoſſibili ſalis deſtructione, ad podagræ cauſam deſcendit, quæ in ſalis quantitate aucta, non in qualitate mutata conſiſtat. Hanc in cura ut reſpiciat, antiquorum dicta præparantia & generalia, topicis & ſpecificis præmitti ſolita, ad unum omnia explodit, purgationes ſcilicet, venæſectiones, enemata, cucurbitulas &c. atque immediate tutoque ad topicum jubet accedere. Illud vero tribus potiſſimum conditionibus commendat, (1.) ut directa via tendat ad partem affectam, nec in ullo aliquo loco per viam hæreat; (2.) ut ſe intime & effective humori peccanti jungat, nec aptum ſit alteri cuipiam ſe admiſcere; (3.) ut quando humori peccanti ſe junxerit, non tantum velit, ſed & poſſit eundem ſecum rapere, atque actu & ſenſibiliter & infallibiliter ipſum extra partem coram adſtantium oculis projicere. Qui itaque tali medicamento inſtructi cum podagra in arenam deſcendere norint, illos columba manſuetiorem, & mactata hoſtia leniorem eam reddere poſſe, doctiſſimus Auctor opinatur: imo hac ratione fieri, ut plerumque intra mediam horam, aut ad ummum tamen intra tres horæ quartas cura peragatur. Tale autem ſpecificum medicamentum dari contra podagram, juxta allatas tres conditiones probatur. Atque hic incidenter de medicamentis electiwe operantibus, item de cura lactea podagræ, de odontalgia, quædam explicantur. Mox medicamenti externi ad reſolvendos podagricorum nodos conditiones duas proponit, ac tandem deſcriptiones utriusque cum interni, tum externi, ſubnectit. Non ingratum vero futurum ſperamus benevolo Lectori, ſi proceſſus integros huc transſcribamus, cuique per otium examinandos.

Rec.

Digitized by Google

R. *tres Hercules ex triplici regno aliis Aquilinis advectos; hos deducito ad Vulcanum æthereum ſed vegetabilem, qui eos per 9. menſes continuos nectare ſuo ſaturet, usque dum injecto reti hamato arcte conſtricti & intime uniti fuerint; & tunc quidem ſi in aquam injiciantur, ſub ea eos ſe demergere, & per eam facile diffluere obſervabis, absque quod ulla oleoſi retis ipſi ſupernatent veſtigia. Aqua in quam ſubmerſi ſunt, ſubito deveniet alba, & ſic habes vehiculum medicamento regio vehendo aptum, omni curru aureo pretioſius. Huic medicamento admiſce medicamenta humorali morbo, quem curare optas, appropriata, e.g. in podagra extractum vel eſſentiam trifol. fibr. &c. in febre febrifuga, in morbo Gallico antivenerea &c. nec dubita de ſucceſſu. Nam ſi conveniens remedium vehiculo huic adjungatur, illud nunquam deerit idem ad terminum bene indicatum certe & effective perducere.*

Quoad medicamentum externum:

R. *Oleum vegetabile, e.g. oleum lini (oleum olivarum nihil valet:) hoc exſicca ab omni humiditate aquea cum ſale tartari &c. quo artificio in paucis diebus acquiret virtutem magis balſamicam, quam ſi centenos annos repoſitum manſiſſet in cadis. Ex hoc oleo & calce viva formatis globulis oleum Philoſophicum novem vicibus deſtilletur, hoc in fimo equino per quindecim dies & noctes digeratur. Hæc eſt prima ſtatio operationis. Huic oleo Philoſophico adde oleorum lumbricorum, euphorbii, pyrethri, ſuccini cum ſuo ſale volatili, caſtorei, axungia humanæ, nitri, ſalis ammoniaci, &c. q.ſ. dein circula per menſem & deſtilla. Hæc eſt ſecunda ſtatio. Habes jam vehiculum, cujus duæ vel tres guttæ in vola manus inſtillatæ ſubito diſparent, & in ſubſtantiam carnis penetrant: huic ſi rite noveris nervina & alia ſpecifica requiſita ſancte maritare, magnum arcanum pro nodis podagricis diſſolvendis, & juncturarum quamvis ſanarum majore fortificatione Te poſſidere, jure æſtimabis. Et magnum certe eſt; ſed Hercules antipodagricus ſive medicamentum ad curam internam eſt primum & perfectiſſimum quid (infra tincturam univerſalem) quod humano ingenio aſſequi naturaliter ſperare poſſumus. Hoc enim morbum chronicum, utpote 40. dierum & ultra, in acutiſſimum ad libitum convertit. Ulterius in morbo acuto criſin ægroto propitiam quandocunque vult non exſpectat ſed efficit.*

Cæterum

Cæterum id obiter adhuc annotamus, quod pagin. 83. Hercules podagricus omnem omnino liquorem aqueum tam intra quam extra corpus ſubito in lac convertere dicatur. Modus vero operandi pag. 85. ſequentibus verbis exhibetur:

Hercules antipodagricus intra corpus aſſumtus continuo ſe ſalibus dolorificis adjungit, ea ad motum ſtimulat, dat illis alas humerosque, quibus ipſa innitentia & vecta a parte vexata verſus cutem externam ſublimantur; illuc delata illam concutiunt & dilatant (unde tumor in declinatione doloris dentium) viamque ſibi foras facientia, cum perfecta partis quiete, in ſuperficie cutis ſub forma ſudoris ad guſtum & in omni judicio ſale refertiſſimi, ſeſe & patienti & adſtantibus palam examinanda coram exponunt.

Ad ultimum dubia quædam reſponſione diluuntur, atque ut ægroti officium ſuum faciant, nec per intemperantiam deſtruant longævam ſanitatis pyramidem, quam provida Medicinæ induſtria iis erexerit, fideliſſime ſuadetur.

⁜ *JAC. B. CONSTRUCTIO CURVÆ ACceſſus & Receſſus æquabilis, ope rectificationis Curvæ cujusdam Algebraicæ, addenda nuperæ Solutioni menſis Junii.*

⊕ TRiplex præcipue modus habetur conſtruendi Curvas Mechanicas ſive Tranſcendentes. Primus, ſed ad praxin parum idoneus, fit per quadraturas ſpatiorum curvilineorum. Melior eſt, qui inſtituitur per rectificationes Curvarum Algebraicarum; accuratius enim & expeditius in praxi rectificari poſſunt curvæ, ope fili vel catenulæ ipſis circumplicatæ, quam quadrari ſpatia. Eodem loco habeo illas conſtructiones, quæ peraguntur absque ulla rectificarione & quadratura, per ſolam deſcriptionem Curvæ alicujus Mechanicæ, cujus puncta, licet non omnia, infinita tamen & quantumvis proxima geometrice inveniri poſſunt, qualis ſolet eſſe Logarithmica, & ſi quæ ſunt ejus generis aliæ. Optimus vero modus, ſicubi haberi poſſit, ille eſt, qui peragitur ope alicujus Curvæ, quam natura ipſa absque arte motu quodam celerrimo & quaſi inſtantaneo ad nutum Geometræ producit; cum præcedentes modi requirant curvas, quarum delinea-

tio

Digitized by Google

tio ſive per motum continuum ſive per plurium punctorum inventionem ab Artifice inſtituatur, communiter vel lenta vel impedita nimis exiſtit: ita conſtructiones illas Problematum, quæ Hyperbolæ quadraturam vel Logarithmicæ deſcriptionem ſupponunt, cæteris paribus poſthabendas cenſeo iis, quæ ope Catenariæ peraguntur, ceu curvæ, quam ſuſpenſa catena ſponte ſua citius induerit, quam reliquis ipſe deſcribendis primam manum admoveris.

Curva Acceſſus & Receſſus æquabilis ob ſolam proponentis Viri commendationem mereri videtur, ut de conſtructionibus ſecundum omnes tres modos illi adornandis ſimus ſolliciti. Conſtructio primi modi per quadraturas, quam in nupera ſolutione inſuper habui ob jam dictam rationem, inſtitui poteſt, ſumendo in *Fig. 3. Tab.* VI, rectam EN non, ut ibi, ipſi Au ſed iu æqualem, iterumque curvilineo AEN faciendo æquale ▭lum AO; hujus enim latus AP nuperæ curvæ AQ adæquabitur, ſic ut ſumpta ad AB & nunc inventam AP tertia proportionali $A\alpha$, habeatur punctum α in optata Curva. Tertii modi Conſtructio, quæ fieret mediante Linea Elaſtica AQ, quam ſolam ibi tetigi, ſine dubio foret optima, ſi natura alicubi tenſiones viribus tendentibus ſimpliciter proportionales effeciſſet: at quia forte nullus invenitur Elater, qui hanc tenſionis legem præciſe obſervet; nec ſi reperiatur, illud certo conſtet; idcirco nec iſti fidere ſatis tutum; præſtatque recurrere ad ſecundum conſtruendi modum, & quærere Curvam Algebraicam, cujus rectificatione ſcopum aſſequamur. Talem ex voto ſeſe ſiſtit Curva 4 dimenſionum quæ hac æquatione exprimitur $xx+yy=a\sqrt{xx-yy}$, quæque circum axem BG ($2a$) conſtituta formam refert jacentis notæ octonarii ∞, ſeu complicatæ in nodum faſciæ, ſive lemniſci, *d'un nœud de ruban* Gallis. Hujus enim tum altera medietas Curvæ Elaſticæ ARΦ, tum ſuper nodo A intervallo indeterminatæ AE abſciſſa medietatis portio minor minori AQ, major majori Elaſticæ portioni ΦRQ æquatur. Unde quoque ratio conſtat, illam ad propoſiti Problematis conſtructionem adhibendi.

Cæterum ſicut infinitæ Lineæ Mechanicæ a Curvæ circularis aut parabolicæ rectificatione ſeu Logarithmicæ deſcriptione dependent; ita quoque præter Curvam Acceſſus & Receſſus infinitarum aliarum, & partim etiam ipſius Elaſticæ conſtructio (ut infra appare-

Digitized by Google

bit) a rectificatione memoratæ Algebraicæ quatuor dimenſionum derivatur. Et auſim aſſeverare, in materia conſtructionis mechanicarum hanc inter cæteras immodiate ſequi præcedentes; adeo ut conſtructio, quæ per nullam priorum ſuccedit, proxime vel per hujus Curvæ, aut per Lineæ Hyperbolicæ aut Ellipticæ, aut duarum ſimul rectificationem tentanda ſit. Cujus rei ratio eſt, quod poſt differentialium formulas: $aadz:\sqrt{aa-zz}$, $zzdz:\sqrt{aa-zz}$, $aadz:\sqrt{zz-aa}$, $zzdz:\sqrt{zz-aa}$, quæ ope quadraturæ Circuli & Hyperbolæ integrantur, ſimpliciſſimæ fere videantur hæ expreſſiones: $zzdz:\sqrt{z^4-a^4}$, $aadz:\sqrt{z^4-a^4}$, $aadz:\sqrt{a^4-z^4}$, $zzdz:\sqrt{a^4-z^4}$, & ſimiles; quarum prima mediante Lineæ Hyperbolicæ, ſecunda & tertia Curvæ noſtræ lemniſcatæ, quarta ejusdem & Ellipticæ rectificatione integratur. Etenim ſi indeterminata z applicetur ad Hyperbolam æquilateram (cujus axis transverſus eſt $2a$) ex ipſius centro, ſatisfaciet arcus vertici & applicatæ interceptus pro prima formula. Et ſi eadem z (aut tertia proportionalis ad z & a, ubi z major quam a) ex nodo ſubtendatur Curvæ lemniſcatæ, inſerviet ſubtenſus arcus pro duabus mediis. Et ſi denique ex centro Ellipſis (cujus axis minor eſt $2a$, major $2a\sqrt{2}$) ipſa z abſcindatur in minore, & per ſectionis terminum recta agatur majori parallela, deſignabitur intercepta parallelis portio Ellipticæ, truncata reſpondente portione Curvæ lemniſcatæ, integrale quartæ formulæ $zzdz:\sqrt{a^4-z^4}$. Unde cum eadem in *cit. fig.* exiſtente $AE = z$, Elementum denotet applicatæ AP vel EQ in Elaſtica, patet hanc applicatam æquari differentiæ duarum portionum Curvæ Ellipticæ & Lemniſcatæ, ideoque manifeſtum, quomodo Elaſtica per rectificationem utriusque conſtrui poſſit. Et quoniam Lemniſcatæ portio, ut ſupra monui, Elaſticæ portioni AQ adæquatur, liquet etiam, Ellipticam ipſam adæquari aggregato AQ + AP; quæ non inelegans harum Curvarum proprietas exiſtit.

C. H. Z. CONSTRUCTIO UNIVERSALIS Problematis a Clariſſimo Viro, Joh. Bernoullio, ſuperiori anno menſe Majo propoſiti.

Cum

TAB. X.
Fig. 1.

Digitized by Google

H
b:
d
n
c
C
α
re
a.
H
n
z.
p
δ
a
a.
p
&
in
E
in
d
d
z.
E
p
L
n
ſi
p
h
(

Δ

b



Digitized by Google

CUm in *Actis Lipſienſibus* Conſtructionem hanc me reperiſſe ſignificarem, menſe Octobri anno 1693, edenda tamen ea ſuperſedi, quod futurum putabam, ut vel ab Auctore ipſo, vel Clariſſimo Viro fratre ejus, vel alio quopiam, non multum abſimilis brevi in lucem mitteretur; ac ſubverebar etiam, ne actum agerem. Quoniam vero nusquam adhuc comparuit, & eſt inter eas quæ dari poſſint quodammodo ſimpliciſſima, non videtur absque ea diutius relinquendum tam eximium problema. Eſt autem hujusmodi. In recta AB (fig. 1) ſit datum punctum A, & oporteat invenire curvam AFC talem, ut tangens ejus quævis CD abſcindat a recta AB partem AD, quæ ad ipſam CD habeat rationem datam lineæ C ad L. TAB. X. Fig. 1.

Conſtructio: ſicut C ad L, ita quælibet AD, in recta AB aſſumta ad EF ipſi perpendicularem: & per F punctum ponatur ducta Logarithmica quæcunque cujus aſymptotos ſit AB, ad quam illa accedat verſus A. Deinde ab A verſus E accepta diſtantia qualibet AD, ſit ut C ad L, ſive ut AE ad EB, ita AB ad aliam DH; qua tanquam radio, centroque D, deſcribatur Circuli circumferentia HC; ac præterea applicetur ad Logarithmicam recta JG aſymptoto perpendicularis, ipſique DH æqualis. Jam ſicut L ad duplum C, ita fiat IE ad EK, ſumendam in aſymptoto in partem alterutram, nihil enim refert, & applicetur rurſus ad Logarithmicam recta KL. Utque duæ ſimul KL, EF ad earum differentiam, ita ſit DH ad DB; quæ ſumenda verſus A punctum, ſi AD major ſit quam AE; at in contrariam, ſi minor. Denique erigatur ad aſymptoton perpendicularis BC; ea ſecabit circumferentiam HC in puncto C, quod erit in curva quæſita AFC. Tangit autem hanc recta EF in F.

Porro animadverſione dignum eſt, non ſimplicem eſſe curvaturam lineæ hujus cum C major eſt quam L, ſed ex duabus eam tunc componi, ex uno quodam puncto exeuntibus, ut CFA, CM; quarum hæc in infinitum progreditur. In puncto autem extremo C, recta ex A educta occurrit curvæ utrique ad angulos rectos, ac proportionales ſunt DA, DC, DB.

EXCERPTA EX EPISTOLA C. H. Z. ad G. G. L.

PRincipium quo uſus eſt *Clariſſimus Matheſeos Profeſſor Bernoullius* verum puto, & bene adhibitum, quod radii qui curvedinem metiuntur, ſint in ratione contraria virium rem elaſticam flectentium. Puto tamen, non tantum ſuperficiem externam extendi, ſed & internam contrahi. Magnum admodum poſtulatum eſt, figurarum curvilinearum quadraturas tanquam datas aſſumere. Ego me nihil admodum egiſſe putarem, ſi problema aliquod huc tantum reduxiſſem, excepta tamen Circuli & Hyperbolæ Quadratura. Præſtat Linearum Curvarum Rectificationes tanquam ſemper in poteſtate exiſtentes aſſumere, quod etiam Tibi probari video.

TAB. X. Fig. 2. De reliquo *Clariſſimus Bernoullius* videtur mihi tantum (*fig. 2*) determinaſſe figuram, ubi tangentes extremitatum ſint parallelæ, cum arcus Elaſtici A termini per chordam EF junguntur. Sed ſi arcus ſit ut in B vel C vel D, aut extremitates non chorda ſed recta rigida HI jungantur, figuræ determinandæ ſuperſunt. Subtile etiam fatebor inventum conſenſus inter figuram elaſticam & lintei vel veli a liquoris pondere preſſi, ſi modo demonſtratum videam. Alioqui cogor ſuſtinere aſſenſum, quia & ipſum Autorem circa figuram veli ſententiam mutaſſe video, & demonſtrare poſſum, velum ex numero

Fig. 3. finito rectarum æqualium compoſitum (ut *in fig. 3*) aliam a vento quam a pondere figuram accepturum, cum tamen *Bernoulliana* ſententia ſit, eandem eſſe velariam cum catenaria: Oporteret ergo diſcrimen evaneſcere in caſu infiniti. Præſtat haud dubie Iſochronam tuam Paracentricam conſtrui, ut a Te fieri ſcribis, rectificatione lineæ ordinariæ, vel ſaltem talis cujus puncta poſſint conſtrui, quam per lineæ Elaſticæ extenſionem, quæ ipſamet nondum eſt conſtructa.

Fig. 4. Quod ait *Clariſſimus Bernoullius* unicam tantum eſſe paracentricam ut $Ax\omega\eta$ (*fig. 4*) reſpectu ejusdem puncti vel centri A, poſt deſcenſum ex TA, ejus contrarium manifeſte video, Tibique aſſentior dari infinitas, ut $A\beta\zeta$, $A\delta\gamma$, &c. easque ſumo usque ad rectam $A\eta$ incluſive. Quin imo ſuperſunt adhuc aliæ Curvæ determinandæ, ſi ſcilicet æqualiter accedendum ſit ad punctum C, linea autem incipiat vel ab A, directe ſupra C, vel ad latus a D. Quo caſu lineæ ut ABC, AEC infinitos facient gyros circa C.

G. *G. L. Additio:* Puto in *fig. 2*, ex *Bernoulliana* determinatione arcus A (*fig. 1*) etiam duci poſſe determinationem arcuum B, C, D, G, aſſu-

aſſumendo lineæ partem aut eam producendo,ſed hoc tamen diſtincte admoneri operæ pretium fuit. Rationi conſentaneum eſt principium determinandæ figuræ Elaſticæ,quod vires flectentes ſint curvedinibus proportionales; poteſtque ad Hypotheſeos aptæ modum aſſumi, tametſi non prorſus ſit exploratum,quouſque natura eo utatur,cum fingi poſſint conſtitutiones corporum, ubi res aliter procedat. Præclara ſunt monita de diverſis Iſochronarum paracentricarum ſpeciebus & conſtitutionibus; omnes tamen mea conſtructione comprehenduntur. Et licet ipſam lineam rectam AD viſus ſim excludere, quia in ea nullus revera ſit deſcenſus vel aſcenſus; quia tamen concipi poteſt in ea deſcenſus vel aſcenſus, ut infinite parvus ſeu evaneſcens,haberi poteſt pro limite ſeu ultima harum linearum. Problemata curvarum tranſcendentium ad quadraturas reducere magna quidem ad ſolutionem præparatio eſt; fateor tamen (ſepoſita mea generali conſtructione tractoria) præſtare rem reduci ad linearum jam conſtructarum reductiones; quod & ego quoties opus, feci faciamque.

EXCERPTA EX COMMENTARIIS Mathematico-phyſicis Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis. A. 1693, d. 31 Jan. usque ad 15 Maji.

DOminus *Caſſinus* præter obſervationem Pareliorum a nobis nuper menſe Julio p.316.ſqq.commemoratam, *Eclipſin Lunæ* d. 22 Jan. 1694 Maſſiliæ a Dn. Chazelles obſervatam, ſed quam ipſi ob tempus obſcurum ſpectare Pariſiis non licuit,examinat,oſtenditque phaſes omnes ad meridianum Pariſienſem reductas probe congruere cum calculo a Dn. le Fevre ante Eclipſin ſubducto. Dominus *Charas* cum *vipera* digitum ejus medium inter primam & ſecundam articulationem momordiſſet, nullum equidem ſingularem ſenſit dolorem, ſed ſtatim venenum exſugens, & denſiori filo digitum prope articulationem primam arcte circumligans,domum abiit, factaque alia ligatura infra pugni brachiique commiſſuram,in lectum ſe contulit, ubi ſumtis duabus vicibus 24 granis ſalis volatilis viperarum, ut ſudorem proliceret, & ſolutis poſt ſudorem ligaturis,poſtero die perfecte convaluit,

ita ut nullum malignitatis adeſſet in vulnere veſtigium. Quod ultimum phænomenon clariſſimi Redi hypotheſin haud parum labefactare exiſtimat. Dominus de la *Hire* tabulam dedit, in qua conſignata eſt *pluviæ* quantitas quatuor annis ex nubibus Pariſiis delapſæ. Ea vero Anno 1689 fuit 18 dig. $11\frac{1}{2}$ lin., A. 1690, 23 dig. $3\frac{3}{4}$ lin. A. 1691, 14 dig. $5\frac{1}{4}$ lin. A. 1692, 22 dig. $7\frac{1}{2}$ lin. Idem quoque experimento indagavit, an eadem *glaciei & aquæ ſit refractio*, cognovitque glaciei refractionem paulo eſſe minorem refractione aquæ, ex qua concrevit. Dominus *Homberg aquam* exactiſſime ab aere purgatam *in vaſe vacuo frigori* expoſuit, comperitque, cum tota eſſet congelata, glaciem hinc ortam non majus ſed minus potius occupare ſpatium, quippe cum in medio cylindri glacialis ejusdem altitudinis cum aqua, & cætera perfecte diaphani, circulus adpareret obliquus, craſſus 2 lin. albus, nivique ſimilis, hinc fortaſſis ortus, quod, cum congelatio in ſumma & ima parte fieret eodem tempore, nec, cum ad medium deveniret, poſſent ſuperior inferiorque cylindrus glacialis ad ſe accedere, propter vaſis inæqualitatem, id quod reſtabat aquæ in plures lamellas materiæ nivis ſimiles concreverit. Hinc quoque colligit, expanſionem, quæ alias in glacie obſervatur, aeri incluſo eſſe tribuendam. Hunc enim, quando materia ſubtilis aquæ partes minimas agitare deſinit, extrudi verſus ſuperficiem ab illis moleculis ad quietem ſeſe immediato contactu componentibus & aere ſpecie gravioribus; ſed ſi cruſta obductam eam offendat, particulas ejus minimas ſibi invicem adhæreſcere, & in bullas majores coire, quæ cum minus obnoxiæ ſint preſſioni quam minores, ex quibus coaluerunt, elatere ſuo disjungant glaciei partes, & vaſa expanſioni glaciei obſtantia diffringant. Idem animadvertit in vacuo citius ſolvi glaciem, quam aeri expoſitam, quia major ibi copia materiæ ſubtilis præſto eſt; nivemque cito colliqueſcere, quia materia ſubtilis efficacius agit in corpus multa ſuperficie præditum. *Oppoſitio Jovis & Solis* obſervata fuit a Dn. *Sedileau* Pariſiis contigiſſe in longitudine d. 7 Decembr. mane hora 8, min. 26, cum Sol eſſet in $16^{\circ}.\,16'.\,26''$. ♐, Jupiter vero in $16^{\circ}.\,16'.\,26''$ ♊. Aberrat ergo a vero tempore calculus ſecundum Rudolphinas tabulas inſtitutus $20'$, ſed ephemerides Argoli hora

Digitized by Google

hora integra. Dominus *Marchand* in *fraxinella extraordinariam* obſervavit *productionem*, cujus cauſam partim frigidiori tempeſtati ſuperioris anni, partim irregulari ſtyli conformationi tribuit. Flores enim rubri partim, partim erant virides, ſtylus in quinque dividebatur partes, quot ſcilicet erant ſiliquæ, quæ ipſæ tandem in folia mutabantur. Dominus *Merry*, quoniam obſervarat in puerperiis, cum funiculus umbilicalis ita comprimitur, ut ſanguis a matre ad fœtum commeare non poſſit, fœtum confeſtim ſuffocari, ſi in utero aut ejus vagina hæreat ut reſpirare non poſſit, non vero mori, ſi caput exſeruerit libereque reſpiret: hinc concludit, *fœtum* in utero matris concluſum non ideo *reſpiratione non egere*, quia foramen ovale cum canali communicationis ſit apertum, ſed quia cum matre idem quaſi corpus conſtituit, & particeps ſit reſpirationis ſuæ matris, qua carere nequit, quia cor ejus nondum illa vi inſtructum eſt, ut circulationem poſſit promovere ſine aeris ſubſidio. *Teſtudinem* autem, licet omnis reſpirandi facultas ipſi demta, ſcutumque quod ſterni vicem gerit, ſeparatum fuerit, 7 dies vixiſſe teſtatur, ideo forſan, quod cor ejus ſat virium habuit ſine aeris ope circulationem ſanguinis efficiendi. Dominus de la *Hire* & Dominus *Sedileau* in obſervatorio Regio d. 12 Martii *tranſitum Lunæ per Plejades* obſervarunt, monetque prior ex illis ſitum ſtellarum iſtarum, prout a P. Ricciolo determinatur, non convenire cum obſervationibus, & diſtantias illarum eſſe majores: fortaſſis etiam fixas motu quodam ſingulari cieri, ut non eandem ſemper obſervent inter ſe poſitionem. Dominus *Homberg* experimenta nonnulla cepit *de aeris elatere in vacuo*, quæ ad preſſionem aeris in aqua incluſi declarandam ſpectant. Dominus *Varignon* omnes *Cycloides*, quæ ex translatione curvæ per lineam rectam motuque puncti in illa curva ortæ concipi poſſunt, quæcunque ſit ratio velocitatis motus curvæ ad velocitatem motus puncti in curva, æquatione generali comprehendit, & ex Regula Barroviana tangentes earum & quadraturas determinavit. Dominus *Charas* ſuſpicatur *frigus* nonnullorum *fontium* Solis radiis expoſitorum a nitro admiſto, vel hinc etiam oriri, quod rapido admodum curſu aquæ ex illis profluunt, ut calefieri a Sole nequeant. *Ingreſſus Mercurii in diſcum Solarem*, quem in urbe Chinenſi Canton obſervavit P. Fontanay cum obſervatione Noribergenſi comparatur a Domino *Caſſino*, qui nonnulla in tabu-

tabulis Hallejanis deſiderat, confirmatque latitudinem Mercurii ex Terra viſi, poſtquam tranſiit nodum borealem in conjunctione cum Sole, non creſcere, ut hypotheſis fert tabularum Rudolphinarum, in ratione 20 minutorum quotidie, ſed tantum 16 min. Conjicit quoque, quamvis retrogradatio nodorum Mercurii bene ſatis ſtabilita videatur, poſſibile tamen eſſe, ut non ſecus ac in Lunæ hypotheſi Tychonica, aliquando fiant retrogradi. Imo incertum plane eſſe dicit, utrum hic nodorum motus ad certas regulas revocari poſſit, quamvis Aſtronomi vulgo ſupponant, motus cœleſtes omnes reduci poſſe ad regulas ab humano intellectu comprehenſibiles, neque tamen hanc hypotheſin eripiendam ipſis, ſed relinquendam, ut eo diligentius obſervent ſidera, & hinc magis magisque accedant ad veritatem motuum, quam aſſequi forſan ſit impoſſibile. Illud quoque notatu dignum judicat, quod cum eadem differentia inter Canton & Noribergam inventa ſit per egreſſum Mercurii & per Eclipſes Satellitum & Lunæ, parallaxis Mercurii per has obſervationes non ſit evidenter ſenſibilis. Dominus de la *Hire*, cum in ea ſit ſententia, *ſuccum nutritium in plantis* ſolo elevari poſſe mechaniſmo, qui in fibris cavis plantarum & arborum reperitur, contra vero plurimi ſtatuant, carnoſæ & ſpongioſæ parti fibras involventi hoc munus eſſe tribuendum, experimentis factis demonſtravit, poſterius non procedere niſi in plantis mediocris altitudinis, cum aqua in charta bibula tubulis immiſſa ultra 171 lineas non adſcenderit. Dominus *Homberg* in vacuo etiam *evaporationem* fieri comperit, quam veroſimile eſt oriri a motu, quem materia ſubtilis imprimit parvis aquæ guttis, quas projicit verſus latera recipientis: exinde autem arguit, non ſufficere ad evaporationem alicujus liquoris, ut admiſtione materiæ æthereæ reddatur aere circumfuſo levior, atque ab eo extrudatur, ſed neceſſe quoque eſſe, ut motus materiæ æthereæ ſeparet minimas liquoris partes, ut ab aere eos involvente in altum impelli poſſint. Dominus *Merry gemellos* abortu ejectos, qui *eidem* erant *tunicæ involuti*, affixique duplici funiculo eidem placentæ uterinæ, Academiæ Regiæ oſtendit, providamque naturæ curam laudavit, quæ ſingulos fœtus ſingulis membranis ordinarie ſolet includere, ne dum ſe commovent, funiculos implicent ſuos & ſe invicem ſuffocent, id quod contigerat gemellis, quorum funiculi umbilicales nodo quodam ſe impediverant, qui circulationem ſanguinis per ipſorum vaſa & placentam prohibeat.

Digitized by Google

CHRISTOPHORI FRANCKII, S. THEOL. D. ejuſdemque in Acad. Kilonienſi Prof. Ordin. Exercitationes Anti-Limborchianæ.

Kilonii, ſumtibus Jo. Sebaſt. Riechelii, A. 1694. in 4.

Conſtant Alphab. 4. plag. 3.

T*Heologiam Chriſtianam*, quam Philippus a Limborch, celebris hodie inter Remonſtrantes Profeſſor Theologus, A. 1686. evulgavit, non incongrue ſynopſin & complementum Inſtitutionum Theologicarum ab Epiſcopio & Curcellæo ſcriptarum appellari poſſe, in Actis illius anni, cum eandem p. 515. & ſeq. recenſeremus, a nobis dictum fuit. Idem quoque ſecum reputavit Maxime Reverendus D. Franckius, indeque commodiſſimum ratus eſt, ſi in tractandis noſtræ Eccleſiæ cum Remonſtrantibus controverſiis, horum ſententiam ex iſto Limborchii libro peteret, ita tamen, ut ubivis loca ſimul ea adjungeret, quibus de eodem argumento Epiſcopius & Curcellæus in ſuis Inſtitutionibus aliisque ſcriptis egerint. Inſuper Socinianorum ſententias diligenter contulit, quid illi ab his traxerint, quouſque vel ad eos acceſſerint propius, vel ubi viciſſim ab iis diſcrepent, oſtendens, & eam de cætero methodi rationem ſecutus, ut noſtram primo ſententiam ſolidis nonnullis argumentis, iisque adverſus Limborchii exceptiones vindicatis, roboret, ac deinceps rationes, quas pro ſua ſententia urget adverſarius, infringat, ingenuam per omnia moderationem ſummo cum judicio inter diſputandum conjungens.

Decem vero Liber hic Exercitationibus abſolvitur, e quarum *prima* ſpeciminis loco primum ſaltim caput paulo preſſius excutiemus, reliqua ſummatim indicabimus. Diſceptat ibi de fundamento credendi divinam Scripturæ autoritatem, & num ad eam vera fide tenendam Spiritus Sancti requiratur teſtimonium? Ubi negativam Limborchii ſententiam diſertis verbis proponit, & quibus modis, omiſſo hoc teſtimonio, veritatem librorum N. T. atque ex ea divinitatem eorundem is ſtatuminet, obſervat, ſimilibusque argumentis ad Scripturæ N. T. autoritatem comprobandam Socinianos uti innuit. Doctrinam vero orthodoxam diſtincte probat, evincendo, nullo pacto ſive teſtimonia humana, ſive petita ex ratione fundamenta heic ſufficere, cum certitudo infallibilis & abſoluta requiratur; ſed eam e modo di-

ctis hauriri poſſe pernegat, quandoquidem ipſa ſacrorum librorum contenta per adjunctam ſibi gratiam divinam unice id præſtent, ſive, quod perinde ſit, Spiritus S. per doctrinam illam ſupernaturali concurſu elevatam de ipſius divinitate nos abſolute certos faciat. Ad Limborchianas vero objectiones quod attinet, primo loco eam examinat, quæ Spiritum illum non dari, niſi jam credentibus, obtendit. Sed Noſter id, ſi de omnimoda gratiæ Spiritus Sancti elargitione intelligatur, clariſſimis Scripturæ locis (e quorum numero duo ſaltem, unum 2. Cor. IV, 13. & alterum 1. Pet. I, 22. allegat,) adverſari; dicta autem a Limborchio allata, utpote Joh. VII, 38. XIV, 17. Act. V, 32. XV, 7. 8. Gal. III, 2. de donis Spiritus S. miraculoſis, aut paſſim compertis aliis, capi debere regerit. Ad ſecundam, quod ſancti Spiritus ſuggeſtio commemorata ad Scripturam ipſam, veluti ad Lydium lapidem exploranda veniat; negative iterum reſpondet cum illa actio, qua Deus teſtificatur in noſtris animis, doctrinam Scripturæ divinam eſſe, per ſe ſatis cognoſci queat, dum eam experiundo intra nosmetipſos quaſi ſentiamus. Quo tamen aſſerto jactatis Enthuſiaſtarum revelationibus ullum haud gignatur patrocinium, quia Deum cum doctrina Scripturæ ſpecialiter concurrere, & per eam ipſique adjunctam ſupernaturalem gratiam intellectum noſtrum illuminare, ac de ſacrarum literarum divinitate certum reddere aſſeveremus. Ad tertiam, quod teſtimonium illud iis ſolummodo confirmandis inſerviat, quibus contingat, nec enim e privato alicujus ſpiritu alios convinci poſſe; reſpondet, ſufficere, quod iis omnibus contingat, qui ad legendam & meditandam Scripturam docili animo acceſſerint. Ad lectionem autem illam & meditationem ut quis inducatur, effici poſſe ſupra memoratis Limborchii argumentis, quorum ea ſit vis, ut Scripturæ divinitatem cuivis non obſtinato nec indocili magna certitudine morali perſuadere valeant.

Et ad modum hactenus delineatum in ſubſequentibus percurrit alias, quæ cum Remonſtrantibus agitari ſolent, controverſias, minime tamen omnes, ſed potiores tantum ac difficiliores; cum ita Auditoribus conſulendum eſſe exiſtimaverit, qui in uno controverſiarum genere diutius detineri nolint, ac ſolum in enodatione præcipuarum difficultatum facem ſibi præferri exoptent, ſperantes, inde ſimul lucem ſibi affulſuram, cujus ope ipſimet ſe facilius feliciusque evolvant

vant e cæteris. Indeque in hoc eodem de Scriptura S. articulo inquirit amplius: utrum in illius interpretatione nullus ſenſus admittendus ſit, niſi quem recta ratio optime ſecum convenire judicet? ac Limborchium, qui myſteria a Deo revelata non amplius myſteria nuncupari poſſe, ſed a ratione tunc omnino percipi affirmet, redarguit. Ultimo tandem loco adſtruit, quod in exprimendis dogmatibus homini ſalvando cognitu præciſe neceſſariis, verbis & phraſibus Scripturæ contenti eſſe debeamus, nemoque, ut velit Limborchius, ad alia verba & phraſes, quæ ibi non inveniantur, adſtringendus ſit. In Exercitatione *ſecunda*, quæ locum de Deo vindicat, ab initio ſtatim in æternitate Dei non dari probat ſucceſſionem intrinſecam; poſt loca omnia Scripturæ immenſitatem Dei deſcribentia directe tantum de potentiæ & providentiæ, non de ipſius eſſentiæ divinæ immenſitate, quæ nempe nonniſi per conſequentiam exin colligatur, loqui pernegat. Deum eſſentia ſua totum eſſe in re qualibet, etiam minima, negavit Limborchius, modumque omnipræſentiæ divinæ definire ob ſummas difficultates noluit. At Noſter ſententiam modo dictam defendit, & ab intentatis ei abſurdis conſequentiis immunem præſtat. Actus liberos voluntatis divinæ, ut ſunt in Deo, ab eſſentia divina realiter differre, & in cenſum accidentium venire negat. Deum τὸ eſſe creaturarum, quod produxit, conſervare actione reali immediate in illud influendo affirmat, ejusque immediatum cum cauſis ſecundis ad producendas earum actiones concurſum defendit. Prærogativam Patris reſpectu Filii & utriusque reſpectu Spiritus S. non tantum ratione ordinis, verum etiam ratione dignitatis & poteſtatis, explodit, ac deniq; neceſſitatem credendi generationem Filii Dei æternam adſtruit. In Exercitatione *tertia* id agit unice, ut veritatem reſurrectionis eorundem numero corporum prolixe ſtatuminet, ac non ſuo ſolum Limborchio, ſed & Volkelio, ex 1. Cor. XV, 42. ſequ. itemq; v. 35. ſequ. eam impugnanti, ſatisfaciat. *Quarta* præter aſſertionem, quod peccatum Adami primum omnibus illius poſteris naturali & carnali modo progenitis a Deo imputetur, ita, ut propter illud, tanquam ejusdem culpæ participes, pœnæ rei habeantur; peccati etiam originalis in omnibus hominibus naturaliter ab Adamo deſcendentibus demonſtratam exiſtentiam complectitur. *Quinta*, quæ ad locum de Christo excurrit, injuriam optimo Salvatori a Limborchio illatam, duo-

Digitized by Google

bus exemplis declarat. Unum hoc eſt, quod, licet expreſſis verbis profiteatur, mortem Chriſti habuiſſe rationem ſacrificii proprie dicti, per quod Deus ex irato ſit placatus redditus, peccataque iræ ſuæ cauſam remittere voluerit, quo pacto Socinianis ac Curcellæo ſuo ſtrenue contradicat; in eo tamen viciſſim iis aſſentiatur, dum paſſionibus & morte Chriſti juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris pœnas exigenti plene ſatisfactum eſſe neget. Alterum a duplici cultu, quem Chriſto tribuat Limborchius, petitum eſt, & quam incongrue ei qua Deo cultum abſolute ſummum, ſed qua homini aliquam inferioris gradus reverentiam largiatur, oſtendit. In *ſexta* antagoniſtam ſuum taxat, quod exiſtimaverit, hominem, modo verbum Dei, & in eo clare expreſſa vitæ æternæ promiſſio ipſi proponatur, viribus adeo ſufficientibus inſtructum eſſe, ut reſipiſcere, in Chriſtum credere, Deoque obedire poſſit, ubi principium aliquod actuum iſtorum ſupernaturaliter effectivum amplius haud requiratur. In *ſeptima* propter juſtitiam Chriſti nobis imputatam, ſed ſola fide, non noſtris ſimul operibus ex fide profluentibus, nos juſtificari oſtendit. Mox iis, qui ſub vitæ finem ſerio reſipiſcunt, deficiente tempore & occaſione propoſitum emendandæ vitæ ipſo facto operibusque externis exequendi, in extraordinaria ſolum Dei gratia, promiſſum non habente, effugia relinqui, ut juſtificationem & ſalutem ſperare iis liceat; eos item adultos ſub novo fœdere, qui de Evangelio nihil audiverunt, absque fide ex ſuperabundanti & extraordinaria Dei gratia juſtificari & ſalvari poſſe inficiatur. Exercitationem *octavam* ab examine aſſerti Limborchiani, prædeſtinationem certorum hominum in genere ab æterno factam eſſe, electionem vero certorum hominum in individuo ad ſalutem in tempore fieri, quod & Sociniani docent, inchoat, & poſtmodũ ad labefactatam ab eo electionis immutabilitatem progreditur. Exercitatione *nona* triplicem Limborchii errorem circa baptiſmi Sacramentum refellit. Primus concernit illius efficaciam in ordine ad regenerationem, quam is temere impugnet; ſecundus in pædobaptiſmo admitti docetur, dum ipſe hunc neceſſarium haud eſſe cenſeat, liberumque illius uſum concedi velit, utpote rei cum genio religionis Chriſtianæ optime convenientis, & in Eccleſiis diu uſitatæ; tertius ad formulam baptiſmi reſpicit, ubi nullam a Chriſto præſcriptam fuiſſe Limborchius arbitretur. In doctrina de Sacramento Euchariſtiæ unicum

unicum tantummodo excuſſit, veram nempe ac realem corporis & ſanguinis Chriſti in cœna præſentiam fruſtra ab eo in dubium vocatam. Tandem in Exercitatione *decima* ad quæſtionem : an fas ſit, hæreticos, dogmata creditu præciſe neceſſaria, ſeu talia, quæ citra ſalutis jacturam nec ignorari nec negari a quoquam poſſint, impugnantes, & ſeducentes alios, pœnis corporalibus ac civilibus, non ultimo quidem ſupplicio, ſed mulcta, relegatione, carcere, pro re nata a Magiſtratu affici & coerceri ? reſponſioni negativæ, quam tueatur Limborchius, affirmativam ſuam opponit, atque in hac controverſia omnem cum eo concertationem obſignat.

Poſt Indices tamen non quæſtionum modo in ſingulis Exercitationibus pertractatarum, ſed locorum etiam Scripturæ & præcipuarum rerum ſat prolixos, appendicis in vicem annectit *Controverſiarum*, quæ Eccleſiæ Lutheranæ cum Remonſtrantibus intercedunt, *Specimen* jam A. 1673. primo abs ſe editum. Et in eo quidem de iis, quæ ad locum de *Scriptura Sacra* pertinent, cum contra Remonſtrantes in genere, tum ſpeciatim contra Simonem Epiſcopium, Hugonem Grotium, Stephanum Curcellæum, & alios, fuſe non minus atque accurate diſputat.

GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELii Exercitationum Medico-Philologicarum ſacrarum & profanarum Decas VI. & VII.

Jenæ apud Joh. Bielckium 1692. 1694. in 4.
Conſtant plag. 16.

NOnus jam annus agitur, ex quo Illuſtris Auctor bigam Decadum harum, a nobis in *Actu Eruditorum A. 1686. pag. 361. & ſequ.* recenſitam, prodire primum juſſit, ea quidem ſpe, fore ut quæ ſingula perennare non poſſunt, juncta ſervarentur. In quo tantum abeſt, ut expectationem ſucceſſus fefellerit, ut potius applauſus Eruditorum plures adhuc Decades a celeberrimo Viro elicuerit, quarum tertiam, quartam atque quintam nuperrime *Tomi II. Supplementorum Sectione V. pag. 249. & ſequ.* exhibuimus, ſextæ ſeptimæque argumenta paucis nunc indicaturi.

Digitized by Google

In Decade *ſexta* agmen ducit Diſſertatio de Polymathia Medica, qua, ſi quisquam alius, Auctor certe ipſe dudum claret. Exercitatione *ſecunda* diſſeritur de contractura Dæmoniaca, cujus exemplum Lucæ XIII. v. 12. extat. Exercitatione *tertia* de morbo agitur ſolſtitiali, cujus apud Plautum in Trinummo, Act. 2. Sc. 4. v. 141. mentio fit, quemque Auctor non alium quam phthiſin eſſe exiſtimat, nec non de ſolſtitiali herba, Plauto in Speudolo Act. 1. Sc. 1. v. 36. memorata, quam gramen eſſe putat, quod circa ſolſtitium cæditur. Exercitatione *quarta*, quæ Phyſiologiam excidii Sodomorum & ſtatuæ ſalis exhibet, in eam ſententiam Auctor inclinat, fulmen fuiſſe, quo excidium urbi obtigerit, atque hoc etiam tactam Lothi uxorem riguiſſe; non quidem mutatam in ſaxum, ſed velut arboris exuſtæ ſimulacrum. Exercitatione *quinta*, ubi de nummis caduceatis agit, inter alia monet, virgam illam Mercurii duobus anguibus circumdatam; ex baculo Moſis ortum traxiſſe, qui projectus in anguem mutabatur. De radice amara Homeri Iliad. I. 11. dum Exercitatione *ſexta* agit, multis argumentis adſtruit, eam Gentianam eſſe. Exercitatione *ſeptima* ſuſpendium virginum Mileſiarum; *octava* vini dulcis plenos Act. 2. v. 13; *nona* nummos capite velato expendit. *Decima* denique exercitatione Nepenthes Homeri l. 4. Odyſſ. v. 220. & ſeq. de opio accipiendum contendit.

Decadis *ſeptimæ Exercitatio prima* controverſias, quæ circa Hyſſopum veterum exercent Botanicorum ingenia, diſcutit, oſtenditque Hyſſopum noſtratem cum Arabum Hyſſopo eandem eſſe plantam, & hanc quoque a Græcorum Hyſſopo diverſam non exiſtere: neque etiam Hyſſopum Ebræorum ſolennibus adhibitam, & ori Salvatoris noſtri cruci affixi admotam, hinc ſacram dictam, aliam ab hac noſtra habendam eſſe *Exercitatione ſecunda* evincit. *Tertia* quæ habetur *Exercitatio* tam Myſticum, quam Medicum Hyſſopi uſum monſtrat. *Quartam* e Pathologia ſacra repetit, morbumq; Hiskiæ, utpote maxime acutum, periculoſum, dolorificum, reſpiratorium negotium lædentem, & remedio e Ficubus curatum, non alium, quam qui Angina in Medicorum ſcholis dicitur, fuiſſe ſuſpicatur. *Exercitatione quinta* explicat, quid ſit σκόλοψ τῇ σαρκὶ 2. Cor. 12. v. 17. *Sexta* autem Feculam Coam mixturam ex Eruca & Sinapi cum muſto, vel aceto, minori vel majori apparatu, ut condimentum ciborum ſit, com-

compoſitum, appellat. *Exercitatione ſeptima* in Nummis ſerratis dictis, & ſequentibus duabus in Nummis Jani Ratitis ingenium, quod ipſi eſt ſummum, exercet. Denique vero *decima exercitatione* Mazæ Hippocratis ingredientia, differentias & uſum ex ipſo Coo deducit.

LIBRI NOVI.

M. Fabii Quintiliani de Inſtitutione Oratoria libri XII. Accedit Tribunus Marianus, *Declamatio nunc primum edita. Oxoniæ 1693. 4.*

A Collection of curious Travels & Voyages: by John Ray. London. 1693.

M. Velleji Paterculi Quæ ſuperſunt. Cum variis Lectionibus & Caſtigationibus, nec non Dodvvelli Annalibus Vellejanis. Oxoniæ 1693. 8.

Martini Liſter Exercitatio Anatomica, in qua de cochleis, maxime terreſtribus & limacibus agitur. Lond. 1694. 8.

Mart. Liſter Exercitationes Medicinales de quibusdam morbis chronicis. Lond. 1694. 8.

The Anatomy of Humane Bodies epitomized: by Tho. Gibſon. London 1694. 8.

The Great Lavv of Conſideration: by Anthony Horneck. The ſixth Edition. Lond. 1694. 8.

A Diſcourſe concerning the Divine Providence: by William Sherlock D.D. Dean of St. Paul's. London, 1694. 4.

Stirpium Europæarum extra Britannias naſcentium Sylloge, auctore Joanne Rajo. Lond. 1694. in 8.

Caroli Leigh Phthiſiologia Lancaſtrienſis, & Tentamen de Mineralibus Aquis in eo Comitatu. Lond. 1694. 8.

Pharmacopœa Bateana: or, Bate's Diſpenſatory. Compleated with above 500 Chymical Proceſſes: by William Salmon. Lond. 1694. 8.

Aur. Theodoſii Macrobii Opera, cum integris Iſ. Pontani, Jo. Meurſii, Jac. Gronovii notis. Lond. 1694. 8.

Articulorum 39 Eccleſiæ Anglicanæ Defenſio, una cum nova eorundem verſione. Cantabrigiæ, 1694. 8.

Friderici Spanhemii Brevis Introductio ad Hiſtoriam Sacram utriusque Teſtamenti. Lugd. Bat. 1694. 4.

Frid.

Frid. Spanhemii Introductio ad Chronologiam & Hiſtoriam Sacram ac præcipue Chriſtianam. Amſtel. 1694. 4.

Franciſci Junii De Pictura Veterum Libri tres. Accedit Catalogus Architectorum, Mechanicorum &c. Roterod. 1694. fol.

Hiſtoire Generale des Drogues, par le Sr. Pierre Pomet. A Paris 1694. fol.

Bibliotheca Telleriana, ſive Catalogus Librorum Bibliothecæ Dn. C. M. Le Tellier, Archiepiſcopi Ducis Remenſis. Pariſiis 1693. fol.

La Methode d' Etudier les Hiſtoriens Profanes par Rapport a la Religion Chrétienne, par le R. P. Louis Thomasſin. A Paris 1693. 8.

Libri Salomonis, cum notis Jac. Benigni Boſſuet, Epiſcopi Meldenſis. Pariſiis 1693. 8.

La Vie d' Olivier Cromvvel, par Mr. Leti. A Amſterd. 1694. 12.

Memoires de Jaques Melvil, contenant une relation de quelques evenemens ſous la Regne de la Reine Elizabeth &c. A la Haye 94. 12.

Methode pour apprendre facilement l' Hiſtoire Romaine. A Bruſſelle 1694. 12.

Les Apophtegmes, ou Bons Mots des Anciens. A Paris 1694. 12.

La Vie du Cardinal Duc de Richelieu. A Cologne 1694. 12.

Le Secretaire des Amans. A Paris 1694. 12.

La Morale Chrétienne abregée, par J. La Placette. A Amſterdam 1695. 12.

Traité de la Conſcience, par J. La Placette. A Amſterd. 1695. 12.

La Vie d' Elizabeth, Reine d' Angleterre. Traduit de l' Italien de Mr. Gregoire Leti. A Amſt. 1694. 12.

Hiſtoire de l'Empire, par le Sr. Heiſſ. Troiſieme Edition augmentée. A la Haye 1694. 12.

Nouveau Voyage d' Italie. Seconde Edition augmentée. A la Haye 1694. 12.

Hiſtoire de Florence par Nicolas Machiavel. Traduction nouvelle. A Amſterd. 1694. 12.

Le Dictionaire Geographique. A Bruſſelle 1694. 12.

Traduction nouvelle des Satyres, des Epiſtres, & de l' Art Poëtique d' Horace. A Paris 1694. 12.

Pratique de la Perfection Chretienne, du R. P. Alphonſe Rodriguez. Traduction nouvelle par M. L' Abbé Regnier Des-Marais. A Anvers 1693. 12.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno M DC XCIV.

BIBLIOTHECA TELLERIANA.

Pariſiis, e typographia regia, A. 1693. in fol. Alphab. 6. plag. 2.

POſt Bibliothecam Sluſianam, ſive librorum, quos Jo. Gualterus S. R. E. Cardinalis Sluſius Romæ ſibi congeſſerat, Catalogum a FranciſcoDeſeine adornatum, cujus A. 1691. p. 23. mentionem fecimus, in medium producere nunc viſum eſt Tellerianam, præcellentiorum in quavis diſciplina librorum exquiſito numero, accurato delectu, optimoque ordine haud parum illuſtrem: quam magno labore ſtudioque ſibi comparavit Illuſtris & Reverendiſſimus Carolus Mauritius Le Tellier, Archi-EpiſcopusDux Remenſis, primus Franciæ Par, Belgicæ Secundæ Primas, Capellæ item Regiæ Præfectus, Regiorum Ordinum Commendator, &c. qui in Præfatione ad Lectorem ipſe edocet, quibus gradibus ad iſtam amplitudinem hic apparatus adſcenderit. Ut nempe A. 1662. a viro in optimis ſcriptis inveſtigandis deligendisque ſupra fidem ſolerte & curioſo præclaram librorum ſupellectilem, ſanctorum imprimis Eccleſiæ Patrum operibus elegantiſſime editis inſtructam, impetraverit, prima adeo Bibliothecæ velut fundamenta erigens; ut poſtmodum, dum in Italia, Belgio, Anglia peregrinaretur, aut Galliam luſtraret, optimos ubique libros diligenter inveſtigaverit; ut nullis pepercerit impenſis curisque, ut e diſſitis quoque ac exteris regionibus libri undiquaque numero haud exiguo asportarentur; ut denique e teſtamento viri eruditisſimi, Antonii Faure, Pariſiis A. 1689. denati, acceſſio perquam copioſa facta fuerit. Quemadmodum autem ii, quibus conficiendi hujus catalogi provinciam illuſtriſſimus poſſeſſor demandavit, ſingu-

lorum librorum argumenta dilucide expoſuerunt, & auctores, editionum annos, locos, editores, ac typographos (manuſcripta enim nulla uſpiam inveneris,) diligenter indicarunt: ita iſtam ſibi diſpoſitionem obſervandam arbitrati ſunt, ut Diſciplinas omnes ad quinque claſſes generaliores, Theologiam, Juriſprudentiam, Hiſtoriam, Philoſophiam, & Humaniores Literas revocaverint. A Theologia proin ordientes, Biblia primum Sacra, Bibliorum dehinc Interpretes, mox ſanctos Patres alioſque Scriptores Eccleſiaſticos antiquos, Græcos pariter & Latinos, ac denique Theologos ſecundum religionum diverſitatem collocatos exhibent. In claſſe ſecunda Juris utriusque rationem habent, libroſque eo pertinentes referunt, Concilia quoque cum generalia, tum provincialia & diœceſana, & Tractatus, qui ad eorundem Canones ſpectant. Liturgias autem & Officia Eccleſiarum tum Orientalium tum Occidentalium propria huic claſſi ſimul inſerunt. In tertia ad Hiſtoriam progrediuntur, ubi præmiſſis, quæ ad Geographiam & Chronologiam pertinent, voluminibus, ipſius Hiſtoriæ partes ita digerunt, ut prima omnium occurrat eccleſiaſtica, poſt profana vetus Græca ac Romana, adjectis heic Numiſmatum, Inſcriptionum, aliarumque Antiquitatum libris. Suum deinde ſingularum Nationum hiſtoriis locum aſſignant, ducto ab Europæis initio, & cæterarum orbis partium Scriptoribus ſubjunctis. Quinimo & Vitas hominum illuſtrium ibidem recenſent, & quicquid de Academiis, aut Univerſitatibus, deque Bibliothecis & re libraria ſcriptum eſt, illuc reponunt. In quarta claſſe ſiſtunt Philoſophos, Logicos, Phyſicos, Ethicos & Oeconomicos, Politicos, Hiſtoriæ Naturalis Scriptores, Medicoſque & Mathematicos. Ultima Literis Humanioribus deſtinata exhibet Grammaticos, Lexicographos, Oratores, Poëtas, Philologos; quo poſtremo nomine ii omnes deſignantur, qui variæ ac multijugæ eruditionis libros cum ediderint, in nullam e quatuor ſuperioribus claſſibus apte referri potuerunt. Agmen tandem claudunt Miſcellanea, ſive diverſorum tractatuum, libellorum, aliorumque opuſculorum collectiones. Harum claſſium conſpectus luculentior poſt præfationem additur; catalogo autem ipſi Index prolixiſſimus annexus eſt, in quo Auctorum omnium nomina ſub alphabeti ordinem redacta inveniuntur, non excluſis etiam anonymorum Scriptis, quæ ſecundum extantiora titulorum vocabula inibi commemorari videas.

LE

Digitized by Google

LE CARACTERE DE LA REINE Elizabet &c.

i. e.

Character Reginæ Eliſabethæ ejusque primariorum ſtatus Miniſtrorum: auctore Dn. Bohun e Societate Regia.

Hagæ Com. 1694. in 12. Plag. 18.

Quod maximum fortiſſimumque Regem, Alexandrum Macedonem, unice in votis habuiſſe accepimus, ſcriptorem ut ferret ſubſequens ætas, cujus ingenium & facundia, rerum a ſe geſtarum æquaret magnitudinem: illud Eliſabethæ Reginæ incomparabili, & fortuna, & egregiis facinoribus cum Alexandro comparandæ, propitiis fatis obtigit. Quem enim Cambdenus fugit, illuſtre illud Britanniæ ſidus, cujus calamus quicquid attigit, id eripuit letho, & ad ultima transmiſit ſecula. Jam vero & Bohunius prodit, qui in nullo alio argumento ingenii vires rectius periclitari poterat. Non tamen hiſtoriam texit, ſed mores ſolum Eliſabethæ & miniſtrorum depingit. Nos inſtituti noſtri memores, ex Gallica verſione ea referemus, quæ præcipue memoratu digna videbuntur, cetera ſicco prætereuntes pede. Ecquis enim tam hoſpitem ex literarum monumentis retulit animum, ut Eliſabethæ res geſtas ignoret?

Inter fœminas eruditas non ultimum locum deberi Eliſabethæ, omnibus conſtat. Græcæ Latinæque linguæ peritia doctiſſimos etiam viros vicit. Scriptores vero Græcos Romanosque ita legit, non ut in iis aucuparetur, quæ ſermonem elegantiorem redderent, aut vanæ oſtentationi inſervirent, ſed quæ animum ad magnam fortunam formarent, ſolidaque adeo imbuerent eruditione. Philippi Melanchthonis Locis Communibus delectata, eisdemque ſedulo uſa eſt, ad animum recto de vero Numine ſenſu imbuendum. Carceris tædia quanta animi conſtantia tulerit, multis Auctor ediſſerit, & quam prope a morte abfuerit: aſt ſervavit eam Philippus Hiſpaniæ Rex, ſororisque ne in eam ſæviret impotens furor, effecit. Intelligebat enim Rex callidiſſimus, ſi interfecta Eliſabetha, moreretur ſine prole Maria, Angliæ regnum Mariæ Stuartæ, quæ Franciſco II. Galli-

p. 4. 5.
p. 13.
p. 16.
p. 21.

Gallicani regni hæredi nupſerat,delatum iri; id quod ne contingeret,
neve hac acceſſione Gallorum nimium augeretur potentia, ipſius ma-
p. 28. ximopere referebat. Poſtquam commutato cum regio diademate
ſqualore carceris, rerum potiri cœpit Eliſabetha, ſtudium religio-
p. 30. 31. nem, cui innutrita erat, propagandi diſſimulabat. Primum præci-
puumque prudentiæ ſingularis ſpecimen in delectu eorum, qui illi
p. 35. 36. a conſiliis miniſteriisque eſſe debebant, dedit. Alterum, quod cum
Hiſpanos æque ac Gallos ſibi infenſos eſſe ſciret, cum hiſce tamen
potius quam illis iniverit pacem. Quod Caletum conceſſerit Gal-
lis,perfidia fraudibusque circumventa, id reprehenſum a multis eſt:
ſaltem imprudentiæ eam arguere non dubitabant. Sed perperam.
Non enim ſine inſigni Anglicanæ Gentis emolumento hoc eam fe-
p. 47. 48. ciſſe, Auctor contendit probatque. In illos qui Romanæ Eccle-
ſiæ ſacris erant addicti,nihil durius unquam ſtatuit, priusquam Pius
V. R. P. anathematis fulmen in eam vibravit: ſed ne tum quidem
morte quis, niſi ſcelere eandem promeruiſſet, eſt punitus. Cetero-
p. 62. 63. quin religionis curam geſſit haudquaquam perfunctorie: æque ac
reipublicæ,quam bonis temperare legibus & augere, ampliorem que
p. 73. 74. reddere omni ope allaboravit. Rogata ut iniret matrimonium, il-
lud quidem abnuit, rationesque gravi ac ſapienti oratione expoſuit,
p. 78. 79. quam Auctor pariter ac Camdenus, literis conſignavit. Uterque
ſeriem procorum refert,qui ambiere Eliſabetham,inter quos ſummos
Reges Principesque conſpicere licet. De Maria Stuarta, quæ car-
nificis ictu periit, ita diſſerit noſter, ut inde virtutibus *Eliſabethæ*
p. 128. adſperſam fuiſſe labem, contendat. Henricum Darlæum, volente
& ſuadente Eliſabetha,junctum fuiſſe Mariæ connubiali fœdere,eun-
p. 132. demque ipſius Mariæ ſcelere periiſſe non negat. Rationes vero,
quæ Eliſabetham, ut violato hoſpitalitatis jure, ſanctiſſimo amicitiæ
fœdere,inſuper habitis tot precibus,Reginam Scotiæ manciparet cu-
ſtodiæ, adduxere, num tanti ſint, ut excuſari ob eas Eliſabetha queat,
p. 136. dubitat: ſaltem iſtud aſſerit, non odio aut vindictæ cupiditati hic E-
p. 137. 140. liſabetham indulſiſſe. Aſt cædem Mariæ laudare plane nequit,atque
non inepte Eliſabethæ accommodari poſſe putat, quod de Davide
dicit ſacer Spiritus, *eundem feciſſe quæ recta erant coram Domino, &*
nunquam præcepta ejus migraſſe, excepto negotio Uriæ Hethæi, 1.Reg.
XV. 5. ſic & Eliſabetham,modo cædem Mariæ demas, ita ſe geſſiſſe,
nihil

nihil ut ei exprobrari poſſit. Si ergo Nathan ad Eliſabetham miſſus fuiſſet, non alio quam quo Davidem allocutus eſt, eandem excipere potuiſſe ſermone. Pro Maria illud militare ait, quod, licet vel maxime criminibus, quæ illi objiciebantur, fuiſſet polluta, nefas tamen ſit Reginam nullius imperio obnoxiam rapere ad tribunal, & ferali Judicis ſententiæ ſubjicere. Pro Eliſabetha contra iſtud quodammodo facere, quod Mariam ſemper ſumpſerint obtentui ejus hoſtes, ad res novas in Anglia moliendas. Hæc occaſionem ſpeciemque præbebat perditiſſimis mortalium, ad quævis perpetranda: id quod uſu & experientia fuit comprobatum. Primum inter hosce locum tenent Northumbriæ & Weſtmorlandiæ Comites. Horum fœdiſſimos, ſed irritos conatus, prolixe hic legere licet. Norfolciæ Dux totam inſtruxerat ſcenam, ſed tam callide, ut initio ne in ſuſpicionem quidem criminis veniret. Aſt tandem conſiliorum ſerie prodita, capite plectitur. Sed & Romani Præſulis decreta tum hoſce, tum alios, ad mordendum frenum impulere. Implacabili nimirum odio in Eliſabetham exarſerant Romanenſes. Hinc Duaci novam doctrinæ excitarunt officinam, in qua Societatis Jeſu Sacerdotes Anglicam pubem, extorrem, ſacriſque Eccleſiæ Romanæ addictam, erudiebant, Regumque & Principum cædibus Eccleſiæ pomœria dilatare amplioraq; reddere, ut Auctor ait, docebant. Hinc ceu ex equo Trojano percuſſores Principum & parricidæ prodierunt, quorum ut irriti eſſent conatus, divini Numinis provida cura fecit. Guilielmus Parrus omnes, ſi non atrocitate conſilii, certe aſtutia ſuperavit, de quo quæ Auctor tradit, legiſſe neminem pœnitebit. Cui & & illud obſervatum eſt, inter tot machinationes & inſidias, quas Proteſtantium Principibus ſtruxerint Romanenſes, unicum ſolum, Guilielmum videlicet Arauſionenſem Principem, illorum ſcelere periiſſe. Eliſabethæ multum quoque negotii faceſſebant Hiberni. Ormondii & Deſmonii Comitum initio quidem privatæ fuere lites: hinc tamen occaſio enata eſt Deſmonio jugum quatiendi. Sed hi quidem motus in prima, quod ajunt, ſuppreſſi ſunt herba. Periculoſiores ſed & diuturniores fuere, quos O-Neal Tir-œniæ Comes, perfidus & ingratus homo, excitavit: cujus fraudulentia omnes prope Hibernos in Eliſabetham, quæ tamen nullius fortunæ hominem ad ſummos honorum titulos evexerat, armavit. Proregum Hiberniæ,

p.141. p.141. p. 142. p. 146. p. 157. p. 160. p. 174. p. 180. p. 237. p. 241. p. 257.

Digitized by Google

quibus injunctum erat ad officium revocare defectores, varia for-
p. 260. tuna & in Reginam fides fuit. Eſſexium Comitem perturbatus
p. 274. Hiberniæ ſtatus itidem præcipitem dedit. Tandem Montioii indu-
p. 275. ſtria dexteritasque id obtinuit, quod fortuna pluribus degenaverat.
Etenim callide inter Hibernos litium ſemina ſparſit, diviſosque adeo
p. 278. 279. & ſejunctos facilius vicit. Indulſerat Eliſabetha Hibernis libertatem
ſacra Romana aut retinendi, aut amplectendi Reformatæ Eccle-
ſiæ doctrinam: & nihilo ſecius religionem obtentui ſumebant perfidi
perditique homines. Unde concludit Noſter, decipi illos, qui ſatis
tranquillitati reipublicæ conſultum putant, ſi omnibus doctrinam,
quæ ipſis pulchra aut commoda videtur, ſequi liceat.

Cum vero præcipue Auctori conſtitutum ſit, mores Reginæ, &
miniſtrorum ejus quaſi in ſpeculo ſiſtere, muneri ſuo ſane neutiquam
p. 331. defuit. Et Eliſabethæ quidem genium totus liber paſſim exhibet;
p. 334. præſertim circa finem, prudentiam ejus in ferendis legibus, in augen-
p. 336. dis ſubditorum opibus; ſeveritatem in coercendis judicibus & mini-
p. 361. ſtris, ad ſuas cupiditates leges detorquentibus; juſtitiam in modo li-
p. 350. 352. tigiis & contentionibus ſtatuendo, in puniendis improbis, in uſuris ad
p. 355. certam legem revocandis; pietatem & reverentiam erga miniſtros
p. 358. verbi divini, amorem erga populum, ſtudium ſubveniendi pauperi-
p. 360. bus, curam in muneribus publicis viris dignis & idoneis committen-
p. 368. dis, magnificentiam & liberalitatem parſimonia temperatam, cete-
raſque virtutes, non tantum deprædicat, ſed & exemplis firmat. Nec
p. 385. prætermittit eam vivendi rationem, quam domi tenuit, cultumq; ait
in veſtimentis ſplendidum vereque regium fuiſſe, cum prodiret in
p. 392. publicum, domi modicum aut nullum; in ceteris ita ſe geſſiſſe, ut
temperantiæ, caſtitatis, ſobrietatis & vigilantiæ exemplar reliquerit
p. 343. 344. poſteritati. Nec corpori pulchritudo ac majeſtas defuit. Hanc
vero cum ſenectute imminutam ſentiret, adeo ægre id tulit, ut in
p. 345. ſpeculo formam contemplari ſine ingenti indignatione non ſuſti-
p. 369. nuerit. Nec vitia ejus diſſimulat Auctor, præſertim quod adulatoribus
præbuerit aurem, & militum labores meritaque non ita, ut par erat,
penſaverit: ut ut laudare viros fortes, eorumque celebrare memo-
p. 403. riam, illi ſolenne fuerit. Ad iram quoque propenſiorem fuiſſe tra-
dit, adeo ut in puellas, quæ a ſervitiis illi erant, non raro verberibus
ſævierit.

In

Digitized by Google

In procerum, & miniſtrorum, quibus uſa eſt Eliſabetha, moribus delineandis, non minus ſuam omnibus probavit diligentiam. Hic Leiceſtriæ Comitis, Eſſexii, Guilielmi Cecilii, Suſſexii, Thomæ Hovvardi Norfolciæ Ducis, Willoughbeii, Walſinghami, Burghleii, Throgmortoni, aliorumque clariſſimorum virorum virtutes, vitia, ingenium, fata, ceu in tabula depicta, conſpicere licet, ut inde ſibi quisque quod imitetur, quod fugiat, capere poſſit. p. 81. 82. p. 92. p. 97. p. 98. p. 154.

Subinde quoque ad alia argumenta, ubi locus ſeſe offert, digreditur. Nec injucunda ſunt aut inutilia lectu, quæ de bellis civilibus Franciæ, de bello Belgico, de bello Anglorum contra Hiſpanos auſpiciis Eliſabethæ geſto, de invincibili, ut vocabatur, Hiſpanorum claſſe victa, & tantum non deleta, de itineribus Draci, Johannis Oxenhami, & Thomæ Cavendish, de lite inter Eliſabetham & Urbes Germaniæ Hanſeaticas, de ædibus *Stiliard* Hanſeaticis ademptis, ſimilibusque prolixe diſſerit. p. 102. p. 103. p. 104. p. 106. p. 188. p. 202. p. 232. p. 310.

Sed de calumniatoribus obtrectatoribusque Eliſabethæ quædam addit. Primum inter hoſce locum meretur Nicolaus Sanderus, quem eo usque impudentia provexit, ut incontinentiam, libidinem, & ejusmodi crimina, optimæ Reginæ objiceret. Quem tamen præter inauditam mentiendi libidinem nihil ad ſcribendum ſecum attuliſſe, tota vitæ ſeries evincit: omnesque, quibus contigit quotidiano vitæ commercio cum Eliſabetha uti, faſſi ſunt uno ore, pudicitiæ & caſtitati adeo litaſſe eam, ut, ſi Eccleſiæ Romanæ ſacris fuiſſet addicta, vel ob eam virtutem tantum, ſanctorum numero jam pridem fuiſſet adſcripta. Sed & ceteri, qui gloriam ejus objecta quaſi caligine obfuſcare anniſi ſunt, Didymus ille Veridicus, Florimundus Raymundus, Georgius Care Scotus, aliique hoc demum obtinuere, ut poſteritati conſtaret, fuiſſe homines male feriatos, qui maximæ Reginæ commentis quibusdam plane ineptis, & ſuam falſitatem prodentibus, labem adſpergere conati ſunt. p. 283. 287. p. 325. p. 412.

PRAXEOS MEDICÆ IDEA NOVISſima, in qua ſecundum ſolidiora veræ Phyſicæ & ſanioris Medicinæ fundamenta, omnium morborum origo ex quatuor morbis cardinalibus concatenata ſerie deducitur, eorumque ſuccincta ac perſpicua medendi methodus explicatur a Joh. Bernhardo Gladbach Med. Doct. Crucenacenſi.

Her-

Herbornæ apud Joh.Nic.Andr. 1694.8.
plag. 34½

CUm in eo eſſet experientiſſimus hujus libri Auctor,ut ea quæ ex clariſſimorum ſuorum præceptorum, Harmeſii cumprimis & Overcampii, fideliſſima informatione hauſerat, attenta mentis conſideratione reputaret & in certum ſyſtema digereret, conceptibus ſuis ordinem,qui anima rerum eſt, deeſſe ſenſit. Alios ergo conſulendos ſibi Auctores cenſuit, qui morbos ad certas claſſes retulerunt; ſed cum nullus ex ipſis deſiderio ejus omni ex parte ſatisfaceret, ſuo quoque ingenio aliquid vindicandum putavit, tantumque ſeria meditatione in conceptibus ſuis ordine diſponendis profecit, ut morbos in praxi occurrentes ad quatuor fontes aut morbos cardinales referendos eſſe non dubitaret,ex quibus innumeri manant rivuli,qui eandem agnoſcunt cauſam & generalem ſui curam indicant.

Primus Morbus Cardinalis ipſi eſt *febris*, cujus naturam ut exponat,explicat primum ſtatum œconomiæ animalis naturalem, oſtenditque ſanitatem noſtram conſiſtere in libero ſanguinis omniumque ab eo dependentium ſuccorum circuitu,nec non æquali juſtaque omnium particularum commixtione & blanda commotione, illi efferveſcentiæ analoga,quæ contingit, quando ſali volatili oleoſo paucæ guttulæ ſpiritus vitrioli affunduntur. Febris ergo cauſam conſtituit in turbata ſanguinis mixtione, h.e. perverſa ac irregulari particularum ejus commotione, qua ſingulæ non agitantur eo loco, ſitu, ac numero, quibus in regulari efferveſcentia commoveri debebant, nec mutuis vinculis & amplexibus amplius continentur, ſed acidæ deſtituuntur ſpirituoſis, oleoſis & terreſtribus; ſpirituoſæ & volatiles privantur acidis,oleoſis; ſalinæ orbantur aquoſis, oleoſis: quo fiat ut divortium a ſe invicem faciant, & amicum illum conſenſum, quo antea inter ſe conſpirabant, deſerant,& hic acidæ, illic ſalinæ,ibi oleoſæ, alibi ſpirituoſæ ſeorſim exiſtant. Hujus autem turbatæ mixtionis tres ponit cauſas, nempe inordinatam particularum compreſſionem, ſpirituum defectum, & ſpirituum ſuppreſſionem, cum aliarum particularum quaſi compedibus ligantur. Signum febrium pathognomonicum eſſe pulſum præter naturam frequentiorem cenſet,illos refellens qui ipſum pro infallibili auctæ efferveſcentiæ & circulationis ſigno habent, cum tamen ideo cor repetitis ictibus opus habeat,

habeat, quia ſanguis viſcidus & craſſus una conſtrictione expelli nequit, & in febrium quoque horrore, ubi circulatio aucta fingi nequit, pulſus ſit frequentior. Explicat deinde ſymptomata febris, & horrorem ac frigus ex tranſitu materiæ ſubtili intercluſo, calorem vero ex materiæ ſubtilis viam ſibi liberiorem parantis motu derivat. Intermiſſionem vero & reditum hinc oriri exiſtimat, quod ſanguis quidem ceſſante calore febrili priſtinam fere adipiſcitur mixtionem, nihilominus tamen ſucceſſu temporis tenacior evadit, obſtruitque poros, præſertim glandularum, ut ſucci in motu ſuo impediti evadant acriores, & tandem in ſanguinem effundantur, novumque pariant paroxyſmum. Quoniam vero ſucci illi non poſſent in ſanguinem irruere, niſi a tergo ſucci premant, atque certa horum requiritur quantitas, quæ tempore certo quoque à reliquis humoribus ſecerni poteſt, hinc manifeſtum eſſe aſſerit, cur ſtatis temporibus redeant paroxyſmi.

Secundus morbus Cardinalis eſt *Scorbutus*, originem trahens ex ſanguine ſuffocato & rancido, viſcido acido, viſcido ſalſo aut acido ſalſo, in quo ſcilicet genus aliquod particularum ad fermentationem felicius peragendam neceſſarium, præcipue volatilium, deficit aut ſupprimitur; unde minus agitatur, nec ad debitum volatilitatis aut exaltationis gradum evehitur, & hinc rancidus fit, ſeu leviorem & incipientem putredinem contrahit. Originem hujus imprimis ex aere vitiato & diæta corrupta, reliquarumque rerum non naturalium abuſu arceſſit.

Tertius morbus eſt *Cachexia*, quæ ortum habet ex ſanguine craſſo, viſcido, tenace, acido, auſtero & immaturis particulis fœto; unde duplex eſt viſcida & acida. In illa prædominium obtinent particulæ viſcidæ & glutinoſæ, in hac particulæ acidæ; ſuntque duo hæc genera ita copulata inter ſe, ut unum abſque altero vix conſpiciatur. Differt Cachexia a Scorbuto, quod in illa ſanguis omnesque ab eo dependentes humores ſint viſcoſiores, in hoc autem ſint ſuffocati pejusque mixti. Hanc autem ſanguini labem ſex res non naturales male adminiſtratas affricare, pluribus demonſtrat Auctor experientiſſimus.

Ultimus tandem Cardinalis morbus eſt *Catharrus*, quo nomine intelliguntur obſtructiones in variis corporis partibus ortæ ab injuriis externis, quæ humores incraſſant, ac interdum plus minusve

perturbate commiſcent, quales ſunt imprimis aer potusque frigidus. Ex hiſce quatuor radicibus innumera propullulant, Auctore judice, ſymptomata ſeu morbi particulares. Nimirum ad *Febrem* referuntur dolor capitis, vigiliæ, lethargus, phrenetis, delirium, convulſiones, ſitis, aphtæ, appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, diarrhœa, dyſenteria, alvus adſtricta, proſtratio virium, anxietates, inquietudines, variolæ, morbilli &c. Ad *Scorbutum* pertinent dolor capitis, vertigo, apoplexia, paralyſis, convulſiones, ſpaſmi, halitus oris fœtidus, ptyalismus, cruentatio gingivarum, dentium vacillatio & caries, palpitatio cordis, appetitus proſtratus, fames canina, cardialgia, dolores inteſtinorum, alvus adſtricta, diarrhœa, dyſenteria, dolores artuum fixi & vagi, maculæ diverſi coloris & magnitudinis, puſtulæ, ulcera, pruritus, phthiſis ſeu tabes, ſudores nocturni, laſſitudo ſpontanea &c. Ad *Cachexiam* ſpectant, præter nonnullos cum ſcorbuto communes, melancholia, delirium melancholicum, mania, vigiliæ, epilepſia, catalepſis, hæmorrhagia narium, aſthma, palpitatio cordis, ſyncope, appetitus proſtratus, fames canina, pica, malacia, ructus, inflatio ventriculi, murmura abdominis, borborygmi, flatus, tympanites, incubus, paſſio hyſterica, hydrops, menſium ſuppreſſio eorumque nimius fluxus, fluor albus, calculus renum & veſicæ, iſchuria, diabetes, icterus, arthritis, varii generis tumores, puſtulæ, ulcera, tumores tonſillarum, œdema, ſcabies, ſtrumæ, tumores cancroſi & ſcirrhoſi &c. Ex *catharro* fluunt gravedo, coryza, dolor capitis, convulſiones, apoplexia, hydrocephalus, ophthalmia, inflammatio, aurium tinnitus, ſonitus, obauditio & ſurditas, dolor dentium, angina, pleuritis, tuſſis, hæmoptyſis, phthiſis, palpitatio cordis, ſyncope, appetitus proſtratus, nauſea, vomitus, cholera, alvi fluxus, colica, inflammatio ventriculi & inteſtinorum, paſſio iliaca, ſtranguria, febres inflammatoriæ, lymphaticæ aut catharrales dictæ, paralyſes nunc univerſales nunc particulares, tumores & inflammationes glandularum parotidum, tonſillarum, uvulæ, aliarumque partium, arthritis fixa & vaga.

Curationis autem omne momentum in eo ſitum exiſtimat Auctor, ut maxima ratio habeatur morborum cardinalium, in iisque funditus eradicandis omnis collocetur opera, niſi interdum ſympto-

mati-

matibus urgentibus ſit ſuccurrendum, quo in caſu cavendum, ne ſymptoma mitigaturi cauſam cardinalem exaſperemus.

Hæc ergo ipſi lex eſt generaliſſima, languentem humorum circulationem intendere, imminutam particularum fermentationem reſtituere, ſufflaminatam inſenſibilem tranſpirationem augere, viſcidum incidere & attenuare, acidumque non tam præcipitantibus terreis, quæ malum nunquam penitus eradicant, concentrare, quam volatilibus & ſpirituoſis exaltare, comminuere, infringere, cum aliis particulis digerere, aut illud per inſenſibilem tranſpirationem aut diureſin eliminare & excludere. Sedulo quoque, præſertim in ſcorbuto & cachexia, ad primas vias reſpicere jubet, atque a vomitoriis plurimorum morborum curam exordiri, quia cruditates in primis viis hoſpitantes non raro eludunt omnem digeſtivorum & attenuantium remediorum præſtantiam. Medicamenta hunc in finem commendat, non multa quidem ſed ſelecta & ipſo uſu comprobata. In primis laudat inter antiſcorbutica elixir vitæ Overcampii, cujus deſcriptionem genuinam candide alias ſe communicaturum pollicetur; inter confortantia oleum camphoræ ex radice cinnamomi, quod in locum confectionum alkermes & hyacinthorum optimo jure poſſit ſubſtitui, & quo ſolo diligenter in uſum externe vocato conſummatum paralyticum curaverit Dn. Overcamp; inter diaphoretica bezoar orientale, quod vulgarium præcipitantium efficaciam longe antecellat, & utiliſſime volatilibus commiſceatur; inter anticachectica pilulas ex gummatibus, quorum continuo uſu multos cachecticos, ab aliis medicis relictos, ab experientiſſimo ſuo Patre curatos teſtatur. Earum ſequens eſt formula:

Rec. Gumm. Ammon.
Aſſ. fœtid.
Galban. an. ℥j.
Tartar. Vitriol.
Vitriol. Mart. an. ℈j.
Ol. Succin. vel cinnam. gutt. V.
M. F. pil. Doſ. a ℈ß. ad ʒß.

JUSTINI HISTORIÆ PHILIPPICÆ, ex recenſione Joannis Georgii Grævii, cum ejusdem Caſtigationibus.

Amſterodami apud Henr. Wetſtenium, & Trajecti ad Rhenum apud Guil. van de Water, 1694. in 12. 1. alphab.

AN plus utilitatis JUSTINUS hac epitome, qua Trogi Pompeji libros, omnium fere antiquiorum regnorum & rerumpublicarum origines, incrementa & interitus complexos, eleganter recenſuit, eum in dicendo cultum adhibens qui hiſtoriam adeo vaſtam mirifice illuſtrat, an damni attulerit, dum ipſi Pompejani libri hac ratione interciderunt, incertum eſt. Sane dum Trogi in compendium redacti memoriam ab interitu vindicavit, præclare de eo meritus eſt, nec minus ipſe Pompejus quam eruditi omnes plurimum ei debent; quod ſi hac Epitome, ut nonnulli exiſtimant, factum eſt, ut hiſtoriæ Trogi ſive ob nimiam molem neglectæ, ſive Juſtini ipſius iniquitate ſuppreſſæ perierint, non dubium, male conſultum aut Trogi famæ aut eruditorum commodis fuiſſe. Quomodocunque autem ſe res habeat, gaudemus tam inſigni Scriptore ſuperſtite, maximasque gratias iis deberi intelligimus, qui ſalvum nobis eundem præſtiterunt, non aſſidua modo lectione, verum etiam imitatione, vel Scioppio judice, digniſſimum. Primæ ejus ſalutis & integritatis partes debentur *Jacobo Bongarſio*, qui Pariſiis anno 1581 e novem manuſcriptis codicibus & tribus impreſſis, emendatiorem eum caſtigatioremque cum Notis edidit: poſt quem *Elias Vinetus* 1590, *Franc. Modius* 1605, *Matthias Bernеggerus* 1631, *Iſaacus Voſſius* 1640, *Tanaquillus Faber* 1671, *Joh. Vorſtius* 1673, *Oxonienſis* editor 1674, *Petr. Joſ. Cantelius* 1677, *Jo. Schefferus* 1678. cum notis & inſignibus animadverſionibus eum in publicum emiſerunt, & juventuti, ut ab hoc Scriptore hiſtoriarum diſcendarum tanto felicius initium facere poſſent, commendarunt. Cujus commodis, & litterarum elegantiæ aſſidue operam navans doctiſſimus vir *Jo. Georg. Grævius*, nec hac in parte defuit, ſed eundem utiliſſimum Auctorem anno 1668 curis ſuis illuſtratum in lucem protulit; poſtea etiam, quum Batavus bibliopola Lugdunenſis *Jac. Hakius* anno 1683 cum notis Variorum, iſtum

iſtum in modum, quo anno 1650 a Thyſio concinnatus prodierat, eundem procudere vellet, integras doctiorum virorum notas adſperſit, propriis peculiarem in locum conjectis; quas nunc ſolas minori forma prodeunti Juſtino ſubnexuit. Quæ editio tanto magis ſe commendat, quod uſui juventutis non ſolum aptior eſt, commodiorem in modum arctata (in quem redactos etiam Ciceronis de Officiis & Epiſtolarum libros, notis ejusdem celeberrimi Grævii inſtructos, & nitidiſſime excuſos, Wetſteinii bibliopolæ induſtrii curæ debemus) verum etiam emendatior cæteris, certe Lugdunenſi illa nullis partibus inferior eſt, præterquam quod aliorum doctorum virorum in hac omiſſæ ſunt notæ; Index autem Freinshemianus a Scheffero auctus non minus quam in iſta comparet.

HISTOIRE UNIVERSELLE DE TROgue Pompée, reduite en abregé par Juſtin. Traduction nouvelle avec des remarques, par Monſieur D. L. M.

Juxta Editionem Pariſienſem 1694. in 12.
Alph. 1. plag. 16.

QUi Latinæ linguæ minus gnari ſunt, hiſtoriæ tamen antiquorum imperiorum cognitione imbui cupiunt, iis hæc verſio Gallica Juſtini exacta & elegans uſui eſſe poterit; qui autem Juſtinum Latinum legunt, invenient & ipſi in hac Interpretatione, quod gratum ſit. Nam & temporum rationem a Juſtino confuſam ubique ferme Interpres annotavit, ſecutus Salianum, e quo ſua depromſit Cantelius; & in notis libro cuivis ſubjectis lucem hiſtoriæ haud ingratam affudit, ſuæque interpretationis rationem reddidit. Ut adeo gnaris æque ac ignaris Latinæ linguæ, Juſtinum hunc Gallicum exiſtimemus futurum utilem.

R. P. D. A. H. C. M. P. T. D. VER THEOLOgicum, dicta quædam D. Apoſtoli Pauli in Epiſt. ad Rom. a v. 17. Cap. IIX. ad Cap. XI. explicans.

Ratisbonæ, literis Hofmannianis A. 1693. in 4.
Conſtat plagulis 12.

COmmunicat hic Autor, quicunque ſit, publico meditationes ſuas, quibus, cum adoleſcens divinis operam daret literis, ex anguſtiis animi, in quas ob difficultatem Paulinæ dictionis inciderat, privato ſtudio eluctatus eſt. Neque tamen tanti ſuum hunc laborem facit, ut credat eum aut magnis Theologis æquari, aut ita nodos omnes eſſe explicatos, ut forte perſpicacioribus aut ſaltim curioſioribus oculis tricæ nullæ relictæ ſint; ſed id tantum ſperat, mediocribus ingeniis ſolatia non defutura eſſe, ſi ſimilibus implexi certaminibus dignentur filum ſuæ interpretationis ſequi. Uti autem antiquæ fidei ſinceram lucem, tanquam unicam cynoſuram, ad quam omnia dicta converteret; ſibi præfixit: ita confidit neminem fore, qui vel minimum novitatis inſimulare poſſit. Tantum abeſt, ut contentionibus ſtudere velit, quas vel inutiles cenſet, vel iis dignas, quibus officium illud demandatum eſt. Interim ad propagandam fidei Apoſtolicæ doctrinam non tam rixoſas altercationes aut aſſerentium multitudinem facere, quam ſi evidentia divinarum Scripturarum animi convincantur, exiſtimat.

In fine Cap. XI. v. 26. ventilat quæſtionem: *an Judæorum aliqua adhuc inſignis & numeroſa Converſio ſit expectanda?* Hanc, ſi de ſolo facto inſtituatur (præciſis Chiliaſtarum & Judæorum fabulis de regno Meſſiæ temporali plane beato, aut ad legem *Moſis reſtabiliendo*, abjecta etiam promiſſione Catharorum de Eccleſiæ perfecta mundicie) nec ad omnes & ſingulos iſthæc extendatur converſio, etſi valde copioſa futura, affirmare nullus dubitat, ſequentibus innixus e textu depromtis fundamentis. Primo enim Paulum eam rem, de qua agit, vocare dicit μυστήριον, i. e. exponente Chryſoſtomo, τὸ ἀγνοούμενον καὶ ἀπόῤῥητον, καὶ πολὺ μὲν θαῦμα, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον ἔχον; ut adeo non videatur id nunc in mente fuiſſe Apoſtolo, ut ſucceſſivam & lentam illam Judæorum converſionem, de qua jam antea c. IX. 27. 29. XI. 6. Romanos docuerat, proponeret: ſiquidem & ipſe verbis, οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, teſtetur ſe de re prius non tradita aut patefacta loqui. Deinde ex ἀλληλουχίᾳ textus evincit, Paulum de converſione ſingulari & copioſa loqui, utpote qui occaſione

verbo-

verborum ἐκκόπ]εσθαι & ἐγκεντρίζεσθαι, cum quibus ſenſum conjungi oſtendat conjunctio γὰρ v. 25, hanc prædictionem effatus ſit. Jam vero vocabula illa ſibi mutuo oppoſita non reſpicere ait unius privati fidem, ſed totius & inſignis cœtus. Igitur & hoc loco Paulum non aliquorum, ſed numeroſæ multitudinis reditum ad Eccleſiam deſignare. Si enim quorundam ſingulatim ſpectatorum fidem hic ſibi Paulus præfixiſſet, & per vocem ἐγκεντρίζειν expreſſiſſet, nunquam eum potuiſſe dicere, Gentem Judaicam fuiſſe exciſam. Denique ad ſcopum Apoſtoli provocat, quem verba v. 30. & 31. ſuggerant, ubi Paulus Judæos cum Gentibus conferens demonſtrat, ut Gentes e cœtu peccatorum facti ſunt cœtus fidelis, ita etiam cum Judæis actum iri, ut qui nunc maxime ſunt cœtus infidelis, tandem etiam in gregem fidelium evadant. Jam, ſi de miſericordia, quæ ſingulis obtingat & paucis, accipias, alterutrum ait ſequi veritati minus conſonum: aut Gentes nunquam factas fuiſſe fideles (cum & in V. T. fideles ſparſim inter Gentes extiterint) aut ex iis paucos ſaltim miſericordiam eſſe conſecutos. Qualem igitur Converſionem tempore Chriſti adeptæ ſunt Gentes, talem etiam Judæos tempore a Deo præviſo conſecuturos eſſe contendit, nempe non una aut altera ove, ſed toto agmine in viam reducto. Poſthæc argumenta, quæ in contrarium adducuntur, examinat. Præprimis ad locum Luc. XIIX. 8. reſpondet, vera eſſe poſſe verba Chriſti & Apoſtolorum, etiamſi Judæi fuerint converſi: utpote qui non reſarcituri ſint jacturam, quam hæreſes, impietas, voluptates, ſecuritas, ignavia, imo quævis vitia, unde tot populorum ab Eccleſia defectus, aut jam intulere aut adhuc inferent; ut adeo ſupremorum temporum Eccleſia futura ſit μικρὸν ποιμνίον, qualis ſub primo Chriſti adventu fuit Luc. XII. 32. Quod ſi igitur Chriſtus comparaverit tum numerum vere credentium cum immenſa turba infidelium, admodum exiguum futurum eſſe ait, ita ut fides prædictionis fide Judæorum non obliteretur. Addit præterea, verba Luc. XIIX. 8. ad Rempublicam & Gentem Judaicam, non vero ad Eccleſiam N. T. pertinere. Atque hæc ſpeciminis loco adducta ſuffecerint ex libello, quem perluſtraſſe integrum, neminem pœnitebit.

PHI-

Digitized by Google

PHILIPPI JOHANNIS TILEMANNI dicti SCHENCK, THEOLOGI Marburgenſis, Commentarius in JUDÆ Catholicam Epiſtolam: cum Appendice de AGAPIS veterum Chriſtianorum. Acceſſerunt COMMUNIO PEREGRINA & OBLATIO SINE COMMUNIONE.

Marburgi ſumptibus Chriſtoph. Olſſen/ 1693. in 8. Alph. 1. p. 18.

CONjunguntur hic uno volumine quatuor Tractatus, quos ſigillatim recenſere non ſubterfugiemus. In Commentario ad Epiſtolam Catholicam B. Apoſtoli JUDÆ, Clariſſimus Autor, præmiſſis Prolegomenis ſive præliminaribus ad titulum, ſubjungit diſpoſitionem analyticam, nec non paraphraſin ſeu explicationem verbalem totius Epiſtolæ, deinde cujuslibet commatis exegeſi ac declaratione inſtituta, theoremata inde ac praxin pietatis conſtanti tenore deducit. Quod attinet duo illa vexatiſſima hujus Epiſtolæ loca de *pugna Michaelis Archangeli cum Satana ſuper corpore Moſis* v. 9. deque *Prophetia Henochi* v. 14. tradita, circa priorem difficultatem tutiſſimum eſſe putat, ſi ex Zach. III. 1. 2. 3. hanc depromtam dicamus hiſtoriam. Eaſdem ibi commemorari perſonas, Angelum Domini (increatum, Meſſiam) & Satanam: eaſdem res, diſceptationem inter hoſce: eundem exitum, & eadem verba: *increpet te Dominus. Corpus Moſis* Autori noſtro eſt Lex Moſis, complementum vel impletio legis Moſis: perinde ut בעצם היום *in corpore diei* Exod. XII. 51. diem ipſam ſonat, lucem diei, diei complementum. Legem ſcilicet maledictionem pronunciaſſe contra peccatores. Talem fuiſſe Joſuam, talem populum maximis oneratos peccatis: ob quæ accuſarit eos Satanas: Michaelem vero cauſam populi ſui ac Joſuæ egiſſe apud Deum, ejusque miſericordiam urſiſſe. Per eum, qui non auſus eſt maledicere, intelligit Satanam, qui ad dextram Joſuæ ſtetit, ipſi adverſatus Zach. III. 1. & hoc ex parallelo 2. Pet. II. 11. probat, qui non de Michaele Archangelo, ſed de Angelis malis dicit, quod *non ferunt blaſphemiæ judicium contra eas dignitates coram Domino.* Circa poſteriorem nodum, Prophetiam Henochi concernentem, Prophetas etiam ante diluvium extitiſſe obſervat, idque ulterius

rius

rius patere docet ex Gen. VI. 3: *non contendet Spiritus meus* (i. e. prophetarum, qui temporibus Noachi ante diluvium prædicarunt) *cum homine in æternum*. Ita primum Adamum prophetam fuiſſe ex his verbis colligit: *vocabitur vira, eo quod ex viro deſumta eſt. Ideo derelicturus eſt vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, eruntque in carnem unam*, Gen. II. 23. 24. Ipſam Henochi Prophetiam, quam citat Judas, poſtquam nec ex libro ſcripto, nec ex traditione ſanctorum, neque per *σύνεσιν πνευματικὴν* ex illis Scripturæ verbis, in quibus latebat, collectam fuiſſe prolixe oſtendit, cum iis ſentire ſe dicit Interpretibus, qui & rem & verba hujus Prophetiæ ex dictamine ſpeciali ac immediato Spiritus Sancti profluxiſſe arbitrantur.

Diſſertatio de AGAPIS duodecim capitibus abſolvitur. Cap. I. de nomine ac definitione: C. II. de origine Agaparum: c. III. de procœniis Corinthiorum: C. IV. de vero Agaparum initio: C. V. de natura ac ratione illarum: Cap. VI. de intentione veterum ac ſcopo in Agapis: c. VII. de earundem cibis, ordine, ac ritibus: C. IIX. de tempore & loco: c. IX. de varietate: c. X. de corruptione ac vitiis: c. XI. de abrogatione: c. XII. de reliquiis Agaparum, erudite agitur. Sententia Autoris, per ſingula hæc capita uberius deducta & demonſtrata, ut uno conſpectu exhibeatur curioſo Lectori, huc redit. Putat ſcilicet (a) in Novi Teſtamenti principio Cœnam Dominicam, ſicut in prima inſtitutione, cum cibis ordinariis, prout occaſio ſe offerret, ſumtam: neque prandia vel cœnas haſce, poſt quas corpus Domini ſumebatur, Agaparum nomen vel rationem habuiſſe. (b) Hæc Chriſti ipſius & primæ Eccleſiæ ſimplicitas cum apud Corinthios, luxui præ aliis deditos, in abuſum, Sacramenti contemtum ac opprobrium degeneraſſet, Apoſtolica autoritate Cœnam Domini a cibis ordinariis ſeparatam eſſe. (c) Poſt hæc tempora & procul dubio hac occaſione enatas demum Agapas in Eccleſia: ex pia videlicet imitatione fidelium, & ad teſtandam gratitudinem erga Deum, & charitatem erga proximum, maxime ad evitandam cenſuram Apoſtolicam, quaſi pauperes, qui in Eccleſia Dei, contemnerent, ac nihil habentes pudefacerent, 1. Cor. XI. 21. (d) Illas Agapas non conjunctas unquam fuiſſe cum participatione corporis & ſanguinis Dominici; id quod rationibus quatuordecim contra communem ſen-

tentiam evincere ſatagit, §. 71. ad 85; ſolutis omnibus, quæ in contrarium afferuntur & afferri poſſunt, argumentis §. 86. ad 90. (e) Sed tamen horrendum in modum has ipſas a Gentibus blasphematas, & a Chriſtianis variis modis depravatas, tandem ſeculo IV. proſcribi meruiſſe,& in eleemoſynas commutatas. (f) Hinc in privatis quoque ædibus dilectionis illa convivia refrixiſſe, & tandem cum nomine ipſo penitus periiſſe. (g) Nonnullas tamen reliquias agaparum noſtro adhuc ſeculo ſuperſtites manſiſſe in Eccleſiis purioribus,tum quoad eleemoſynas poſt cœnam largius erogatas, tum quoad prandia frugalia & ſobria a fidelium familiis inſtituta.

Diſſertationis de COMMUNIONE PEREGRINA Synopſis hæc eſto. Cap.I.nomen peregrinæ communionis & res ipſa plurimis ignota traditur: & quod Communio apud Veteres non ſemper Euchariſtiam,ſed Communionem Sanctorum Eccleſiaſticam,i.e. jus,ſtatum, ordinem,conditionem, vel ſocietatem Eccleſiæ membrorum inter ſe deſignet,innuitur. Poſt adductos quatuor Canones, Concilii Rhegienſis XXXI, Agathenſis I. & IV, nec non IlerdenſisXVI, expreſſe ejus mentionem facientes, novem notæ ſeu proprietates communionis peregrinæ proponuntur,ex quibus de ejusdem natura ſanum judicium ferri poſſit; quod nempe fuerit cenſura ſeu pœna eccleſiaſtica, a Concilio vel Epiſcopis congregatis impoſita,qua Clerici cujusvis ordinis ob ſchiſma, vel contumaciam,vel contemtum Communionis & Eccleſiaſtici cœtus,vel neglectum officii,vel furtum levius de domo Dei, vel ſuppreſſionem facultatum Eccleſiaſticarum, moverentur gradu vel dignitate ad tempus, ita ut nomen deleretur ex matricula Sacerdotum ſuo ordine ſacra eccleſiaſtica obeuntium, reditus etiam officii amitterentur. Cap. II. contra Bellarminum atque Binium quinque rationibus aſſeritur, quod alia peregrina fuerit communio, alia laica: cum ad Laicam damnati Communionem, ob ſumma ſc.mortis vel capitalia crimina,gradu ac dignitate miniſterii prorſus exciderent, neque unquam ad ſacra officia reciperentur; ſed peregrina damnati communione non omni plane miniſterio exuerentur,& teſtata pœnitentia priſtinum gradum ac dignitatem reciperent. Deinde contra Vasqueſium oſtenditur, eam non fuiſſe ſitam in peculiari veſtitu, cum quo peregini communicarent; nec in eo,quod aliena eſſet & diverſa a Sacerdotum communicandi ratione;

nec

Digitized by Google

nec dictam peregrinam ratione loci, in quo cum advenis & peregrinis cœnam percipere cogerentur; nec fuiſſe in peregrinationibus Clericorum ſitam; neque probabilem videri Albaſpinæi ſententiam, duplicem facientis peregrinam Communionem, quarum altera a Cœna excluderet, altera ab Epiſcopo ſucceſſore ſepararet. Refutatur denique Cellotius, nil ſacri reſpexiſſe communionem peregrinam, ſed mere civilem cenſuram, victum & amictum Clericorum concernentem, fuiſſe dictitans. Cap. III. ſex argumentis probatur, Communionem peregrinam non aliquem privaſſe participatione Cœnæ. Adhæc negatur in communione precum, aut in participatione cœnæ cum Clericis ſine literis formatis ſive commendatitiis peregrinantibus: aut denique in ſimplici ſuſpenſione ab officio ſeu privatione functionum eccleſiaſticarum ad tempus, quod Calixtus, Bosquetus, Hildebrandus, & Rixnerus ſentiunt, ſitam fuiſſe. Quæ poſterior ſententia duodecim refutatur argumentis, rejectis ſimul contrariis exceptionibus. Cap. IV. communio peregrina fuiſſe perhibetur, *Relegatio Eccleſiaſtica ſeu Exilium Eccleſiaſticum, quo ab altiori miniſterii gradu & Eccleſia, in qua præſidebant, remoti, ad aliam Eccleſiam, ubi dignitate minuti res ſacras curabant, ad tempus migrare tenebantur.* Quod ſex probatur argumentis, & ex canone Concilii Regienſis illuſtratur. Cujus occaſione inveſtigatur, quid Chorepiſcopi fuerint in Eccleſia priſca; nempe qui βιωτικὰ Eccleſiæ in regionibus, villis, agris Epiſcopatui annexis, loco Epiſcopi curarent. De cætero hujus Cenſuræ Eccleſiaſticæ fontes ex jure Romano Merillum & Albaſpinæum derivare obſervat: vix autem habere illam fundamentum in Sacris aſſerit. Patres Græcos nullam, ſolos Latinos expreſſam ejus facere mentionem oſtendit. Denique ipſius uſum adhuc hodie apud nos, ſed alio ſub nomine obtineri ſcribit, dum Clericos inordinate viventes in pœnam delicti ab una Eccleſia ad aliam minoris momenti, dignitatis, ac redituum relegari, quam vulgo eine Pœnitenz-Pfarre dicimus, conſtet.

In Diſſertatione de OBLATIONE SINE COMMUNIONE Caſus Conſcientiæ ad incudem vocatur: *Utrum Paſtor S. Cœnam adminiſtrans ac porrigens aliis, poſſit, juxta Chriſti exemplum, Apoſtolorum ac veteris Eccleſiæ praxin, ab ejusdem participatione abſtinere?* Caſum hunc negative deciſurus, adminiſtrantem ſemper

 cum

Digitized by Google

cum fideli cœtu communicare, edere ac bibere corpus & ſanguinem Domini debere adſtruit. Probationem orditur Cap. II. ab inſtitutione Sacramenti, cujus tum exemplum urget, tum mandatum. Et primo quidem Chriſtum una cum Apoſtolis ſumſiſſe ſacra ſymbola, ex verbis *accepit* & *fregit*, probare ſatagit. Accepit, inquiens, panem non ſolum in manus, ſed eo modo, quo aliis comedendum tradidit. *Fregit*, fractione ſcilicet perfectiore, quæ guſtationem & perceptionem involvit. Quin etiam frangendo Chriſtum comediſſe panem, ſatis clare colligi poſſe autumat ex ratione Sacramenti, quod non inſtituere ſolum, ſed ſimul uſu ac perceptione propria ſanctificare debuerit Mediator noſter, ſicut omnia reliqua tam veteris quam novi Teſtamenti Sacramenta in perſona ſua conſervaſſe legitur. Id quod ex verbis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*; nec non ex ritu Paſchali, quo primus omnium paterfamilias ſuam deguſtabat partem, poſtea ſingulis comedentibus bucellam porrigebat, prolixius deducit. Speciatim quoque Chriſtum bibiſſe poculum Euchariſticum, probat ex Matth. XXVI. 29. Tum integram percepiſſe Euchariſtiam, ex Apoc. III. 20. infert: quin & Patrum, Calvini, Lutheri ac Pontificiorum quorundam hanc eſſe de Chriſto cœnato ſententiam oſtendit. Tandem ad mandata & rationes, quæ in verbis inſtitutionis continentur, progreditur, imo ex ipſis nominibus ſacræ Cœnæ rem iſtam conficere tentat. Ab inſtitutione Sacramenti Cap. II. ad autoritatem SS. Patrum pergit, qua evincere vult, omnes in Eccleſia præſentes debuiſſe communicare, ita ut Paſtores ſe non potuerint eximere, & eam in rem Juſtini Martyris, Tertulliani, Micrologi, Chryſoſtomi, ac Liturgiarum loca producit. Neque licuiſſe cuiquam præſentium durante communione templo exire, ne forte communionem ſubterfugeret: miſſam vero Euchariſtiam ad ægros abſentes; imo cenſuram gravem non communicantes ex plebe incurriſſe oſtendit. In ſpecie probat, Paſtores conſecrantes ſemper percepiſſe Euchariſtiam: & hunc ordinem olim obtinuiſſe, ut primi communicarint Sacerdotes: graves etiam cenſuras expertos fuiſſe Miniſtros a communione ſacra abſtinentes. Cap. III. ex Hiſtoria Eccleſiaſtica rationem ac tempus declarat, quo inſtitutioni huic piæ ac uſui recepto ſucceſſerit abuſus, quem vocat, contrarius. Cap. IV. & ultimo objectiones ſequentes ab Autore ſolvuntur

Digitized by Google

vuntur atque refutantur, cum nempe dicitur: *(1)* eſſe rem indifferentem, quæ fieri & non fieri poſſit: *(2)* hodie omnes ex plebe præſentes non communicare: (3) propter reverentiam Sacramenti Paſtores abſtinere a perceptione crebra: (4) Paſtores non ſemper ſatis digne præparatos eſſe ad percipiendum Sacramentum; (5) nec ſemper cum ægris ac moribundis edere ac bibere poſſe panem ac calicem Domini: *(6)* rem eſſe exigui momenti, quæ tanto non ſit urgenda molimine: (7) recepti moris mutationem futuram difficillimam. Concluſio tandem exhortatione peragitur, adhibitis viginti & quatuor rationibus ad conſcientiam directis. De cætero novam hanc plane *Tilemanni* ſententiam, quod *Paſtor ſacram Cœnam adminiſtrans ac porrigens aliis, non poſſit, juxta Chriſti exemplum, Apoſtolorum ac veteris Eccleſiæ praxin, ab ejusdem participatione abſtinere*, penitius examinavit *Johannes Faes* Stadenſium Paſtor primarius in Tractatu de CHRISTO INCOENATO. Cujus recenſionem anno ſuperiori Calendis Decembris inſtituimus p. 529. ad 537.

JOHANNIS FAES OBELUS PEREgrinitati Communionis Peregrinæ PHILIPPI JOH. TILEMANNI dicti SCHENCK, in gratiam veræ ac ſinceræ Antiquitatis, fixus.

Bremæ, ſumtibus Hermanni Braueri, 1694. in 8.
Conſtat plagulis viginti.

DE Communione peregrina eruditis receptam opinioné defenſurus doctiſſimus Autor, adverſus clariſſimum Dn. *Tilemannum*, in præfatione ſtatim ipſi exprobrat, quod peregrinam communionem de *Parochia jejuniori ac tenuiori* (quam vulgo eine Pönitentz-Pfarr dicunt) interpretetur, ac ita rem iſtam non uti fuit, ſed qualis hodie ipſi videtur & ob oculos verſatur, concipiat, eidemque aliam plane perſonam aliudque munus imponat. Uti autem Communionem peregrinam vi vocis (quæ eſt a *peregre*, quod dicitur, quaſi *per agrum*, unde & *peragrare*) talem (f. 22.) vult eſſe communionem, quæ non ſit domi & eo in loco, ubi quis degit, ſed foris in alio agro vel terra; ita formalem ejus rationem (f. 269.) conſtituit in mutatio-

ne loci cum reſpectu termini a quo, puta Eccleſiæ,in qua hactenus ſacris cujuscunque ordinis Clerici vacarant,& S S. Euchariſtiam ſive adminiſtrarant ſive ſumſerant: tum reſpectu termini ad quem, puta Eccleſiæ,in qua poſthac a ſua emigratione ad tempus ſacris operaturi, ſanctamque cœnam celebraturi vel ſumturi eſſent. A priori Communione ordinaria exibant, adeoque ab ea peregrini fiebant: ad aliam migrantes ut peregrini recipiebantur, & in ea id agebant,quod in priori Communione agere ipſis non amplius integrum erat, ſpe tamen ad priorem Eccleſiam aliquando revertundi alebantur. Etenim, ſcandali remotionem, non tamen ſine prudentia, priſcam illam & primitivam Eccleſiam omni ſtudio ſibi quam commendatiſſimam habuiſſe ſcribit, cum Eccleſiæ ædificationi magis nihil adverſari videatur quam illud. Et hanc formalem rationem etiam Lucam Oſiandrum ediſſerere judicat, quando *in Epit. Hiſtor. Eccl. Cent. V.* L.I. c. XXX.p. 140. ſcribit: *non poſſum ſatis intelligere,quid ſibi* peregrina Communio velit; *niſi forte ſignificet,tali Clerico, non eo loco, ubi habitat, communionem dandam, ne Eccleſia,conſcia illius peccati,offendatur. Alio autem & peregrino loco ei licere pœnitenti communicare,ubi ipſius peccatum ignoratur.* Negat proinde *Faeſius*,Communionem peregrinam recte a Tilemanno definiri per *relegationem*,cum loci ejusdem territorii mutatio non ſit continuo relegatio, quæ ejectionem e territorio, ſub quo aliquis hactenus vixit,includat. Negat eam proprie ac ſtrictim eſſe *remotionem ab officio.* Siquidem Communione peregrina digni officio ſuo fungebantur, licet *non in* eo,ubi hactenus, loco, ſed in alio,p.264. 266.Negat peregrinam Communionem S.S. Cœnæ uſum excluſiſſe,f.193. 220. Negat, quæ de altioris gradus & dignitatis imminutione a Tilemanno dicta ſunt, eſſe ſimpliciter vera. Etenim, ſi Clericus infimum gradum tenens, hac Communione peregrina notandus eſſet,quo modo ille de altiori gradu miniſterii rejici,& ejus dignitas imminui poterat? Sane ſi id futurum,non ipſi amplius in Clero locus relinquendus, ſed e Clero ad ſtatum Laicum omnino deprimendus erat. Quod ſi hoc, Communio ejus non peregrina ſed Laica, nec communio Clerici ſed Laici habita fuiſſet; cum infimi Clericatus ſocio, non alia amplius pateat via quam ad Laicismum. Tacemus nunc reliqua in Tilemanni ſententia ab Autore hic obelo notata παροράματα, quæ ſi preſſiori pede inſequi

Digitized by Google

inſequi ſuſciperemus, nimium hæc ipſa excreſceret relatio. Nunc ſaltim conſpectum totius Libri per duo & viginti Capita ſe diffundentis exhibebimus. Agitur nempe Cap. I. de voce *Communio*, ejusdemque diverſis in antiquitate ſpeciebus: c. II. de appellatione communionis peregrinæ & canone Concilii Regienſis: c. III. de peregrina communione, quod non ſit ſub una, uti volunt Papiſtæ: c. IV. de communione peregrina, quod non ſit laica: c. V. de communione laica, quod non ſit communio ſub una: c. VI. de veſtitu Clericorum communioni peregrinæ expoſitorum: C. VII. de veſtitus Clericalis in delictis amiſſione: C. IIX. de Vaſqueſii ſententia: c. IX. de nominum e matricula eraſione in peregrina communione: c. X. de Scholaſticorum & Canoniſtarum opinione & ejus diſcuſſione: c. XI. de quorundam hujus communionis adjunctorum examine: c. XII. de communionis peregrinæ in rigidiorem & leviorem diſtinctione: c. XIII. de Cellotii ſententia: c. XIV. de communione peregrina S.S. Cœnæ uſum non excludente: c. XIV. de ejus indole reſpectu mortis: c. XVI. de illius ſenſu in Concilio Agathenſi: c. XVII. de teſſeris ejusdem: c. XIIX. de opinionis in hoc argumento receptæ defenſione: c. XIX. de communione peregrina utentium qualitate: c. XX. de poriſmatum quorundam examine: c. XXI. de communione peregrina Chorepiſcopis ſolenni: c. XXII. de communionis peregrinæ cataſtrophe.

LA GENEALOGIA DE DOMINII, &c.

hoc eſt:

Genealogia Dominiorum, auctore Camillo Contareno, Nobili Veneto.

Amſtelodami A. 1693. in fol. Alph. 6. pl. 19.

Proſtat Venetiis apud Hieronymum Albritium.

PRiusquam Auctor illuſtris ipſum rei cardinem aggrediatur, in generali quadam tabula univerſum dominiorum conſpectum exhibet, unaque ſic pagina omnem materiæ hujus ordinem inſinuat; methodo poſthac tali uſus, ut ſingula ipſius operis argumenta multorum celebrium Scriptorum teſtimoniis adſtruat, atque exemplis graviori-

bus

bus ubivis illuſtret. Opus univerſum duobus conſtat tomis, quorum prior, qui ſuperiore annò prodiit, Dominia Oeconomica, Maritale,Paternum & Herile exhibet; alter, qui lucem nondum adſpexit,Dominia Politica, tum naturalia, Monarchicum, Ariſtocraticum, Democraticum, tum violenta,Tyrannicum, Oligarchicum & Ochlocraticum complectetur.

Tomus I. quatuor libris abſolvitur, quorum *primo* id agit Auctor,ut originemDominii latius ita dicti non ex artificiali quodam humani intellectus invento,ſed ex natura ipſa in primo capite derivet; poſtea Dominium Monaſticum,quo ſuis quisque dominatur affectibus,ad felicem hominis vitam neceſſarium eſſe, in capite ſecundo demonſtret; ac tandem Oeconomici Dominii neceſſitatem, definitionem, ſubjectum,finem,atque diviſionem in tertio capite ſuperaddat.

Libro *ſecundo* Conjugale Auctor perſequitur Dominium, & ante omnia matrimonii neceſſitatem ad procreandam ſobolem in capite primo & ſecundo demonſtrat; ubi Imp. Juſtiniani verba, in Novellæ 22. præfatione aſſerentis, *matrimonium ſic eſſe honeſtum, ut humano generi videatur immortalitatem ingenioſe introducere*, variis auctoritatibus aliis ex antiquitate depromptis illuſtrat. In capite tertio adverſus Socratem contendit, communionem uxorum & polygamiam eſſe illicitam. A capite quarto ad vigeſimum usque ſextum varia requiſitorum genera ad id, ut conſortium hoc maritale bene conſtitutum cenſeatur, neceſſaria accumulat, qualia ſunt, ut uxor v.g. æquali cum marito gaudeat conditione, ut parentes probitate ſua conſpicuos agnoſcat,ut juſtam conſecuta fuerit ætatem, ut quis virginum lubentius quam viduarum complexibus ſe dedat, ut ducenda dotem propriæ conditioni æqualem afferat, ut ipſa eandem cum marito veneretur patriam, ut e fœcundiori ſtirpe oriunda ſit, &c. Ad ipſum poſtea Dominium mariti in uxorem delatus, civile potius illud quam deſpoticum aut tyrannicum eſſe jubet, atque ita temperatum,ut honeſtati conjugis per omnia probe conſulatur; multumque huc exiſtimat conducere, ſi poſt libertatis prudentem refrænationem, in rebus honeſtis ipſius deſideriis ac votis maritus ſatisfaciat, a prava eam converſatione arceat,ingenuis miniſtris commendet,rariuſcule extra domum vagari patiatur, proprioque ubivis exemplo ipſi commode prælucęat. A capite deinceps vigeſimo ſexto usque

uſque ad quadrageſimum, quod ultimum eſt, de his primum, quæ ſoli uxori, ac poſtmodum de iis, quæ utrique conjugum cordi & curæ in re familiari eſſe debeant, agere inſtituit. Ibi cavendum maximopere exiſtimat, ut ne aliqua rixoſam aut zelotypia laborantem ſeſe prodat; hic autem neceſſarium eſſe ſtatuit, ut mutuas utrique operas in familiæ ſalutem jungant, ita tamen eas moderentur, ut ipſa rerum acquiſitio marito ſoli relinquatur. Qua occaſione de variis acquirendi modis Auctor Ariſtotelem ſecutus diſſerit. Tandem nonnulla monet circa acquiſitarum rerum conſervationem, officia ad uxorem ſpectantia enumerat, & tractatione de repudio, ſeu divortio, deque variis illius cauſis libro huic colophonem imponit.

In *tertio* Dominii Paterni aggreditur conſiderationem, cui unum & quinquaginta deſtinavit capita, quorum ſumma eo tendit, ut, poſtquam heic regalem quaſi, ſed limitatam poteſtatem reperiri indicaverat, plurima de liberorum educatione commentetur, quæ modo parentem utrumque, modo præceptores iis præficiendos, modo artes, quibus imbuendi ſint, modo alia iſtius generis concernunt, a nobis heic prolixius haud memoranda, cum in his præceptionibus ſimilem penitus in modum ac in antecedenti libro Auctor ſeſe geſſerit.

Nec plura addimus e libro *quarto*, ubi tredecim capitibus Dominium Herile delineat, & primo loco diſtinctionem inter ſervos naturales & legales excutiens, iſtos nuncupat homines iſtiusmodi, qui corpore quidem robuſti, ingenio autem imbecilles atque a natura ipſa ad ſervitutem deſtinati ſint; hos vero a lege quondam conſtitutos, ſed hodie nuſpiam apparentes, cum ſervi noſtrates mercede ſua conducti a liberis parum diſcrepent. Mox ad ſervorum manumiſſionem olim uſitatam dilabitur, ac operam de cætero præcipuam in eo collocat, ut, quibus modis ſervi ab hero tractandi ſint, pro more ſuo ſpeciatim & prolixe doceat.

MEDICINAL EXPERIMENTS:

i. e.

Experimenta Medica, ſive, Collectio ſelectorum tutorumque Remediorum, maximam partem ſimplicium,

parátuque facilium &c. Auctore honoratiſſimo ROBERTO BOYLÆO, Armigero & Societatis Regiæ Socio.

Volumen Secundum.

 Lon-

Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1693. in 12. plagul. 9.

P*Rimum* remediorum a *Generoſiſſimo*, dum viveret, *Autore* amicis
communicatorum, inque *Actis A. 1692. p. 492.* recenſitorum *Vo-*
lumen, alterum hoc inſequitur, longe majorem eorum numerum, ter
centum videlicet, triginta ſi demas, continens, e quibus tamen paucio-
ra nunc ſufficiat indigitaſſe. Apoplecticis namque excitandis, ole-
p. 1. um lentiſci deſtillatum naribus eorundem inſufflatum perhibetur
p. 5. potentiſſimum. Ruta recens cum oleo juglandum expreſſo in ca-
taplaſma redacta, & umbilico adaptata laudatur in anaſarca. In
p. 10. febri intermittente, cumprimis tertiana, pulvis radicis Serpentariæ
p. 16. Virginianæ celebratur. Mammis flaccidis Cicuta recens præſcribi-
p. 18. tur, cataplaſmatis ſpecie imponenda. Polygonum & Polygona-
tum in manibus retenta, usq; dum incaleſcant, hæmorrhagiam nariũ
p. 28. dicuntur compeſcere. Semen Clematis peregrinæ parti cuicun-
que ſtricte alligatum, veſicas in hac non minus concitare innuitur, ac
p. 35. Cantharides. Pro tuſſi phthiſica levanda paſſularum majorum a-
cinis liberatarum rutæque ſummitatibus infarctarum uſus matuti-
p. 39. nus commendatur. Spumæ cereviſiæ clavos pedum abigendi tri-
p. 44. buitur virtus. Colicæ ac paſſionis hyſtericæ ſedandarum ergo fu-
mus zingiberis fiſtula, inſtar tabaci, ter vel quater de die præcipitur
hauriendus. Succinum flavum mercatorem quendam ab hydrope
p. 48. liberaſſe memoratur. Veſica vervecina, reſciſſa cervice, probe in
clibano exſiccata & pulveriſata, in urinæ incontinentia atque diabe-
p. 51. tis principio pronuntiatur efficax. Terebinthina cum ſaccharo o-
ptimo in pilulas redacta, non minus ac Mercurius dulcis cum eodem
p. 81. commixtus, egregium antidyſentericum traditur remedium. Veſicu-
la vervecis fellea, bile etiamnum plena, poſt duarum triumve gutta-
p. 83. rum urinæ ægrotantis calidæ additionem, in aëre libero exſiccata, I-
cteri curam magneticam abſolvere creditur. In odontalgia ſuccus
p. 112. rutæ recenter expreſſus auri regionis affectæ ſuadetur inſtillandus.
p. 151. Succus Chelidonii pro inſigni vulnerum recentium balſamo vendita-
p. 179. tur. Cæterum uti *Index* eorum morborum, adverſus quos reme-
dia proponuntur, ſubjicitur, ita & *Præfatio* propria quondam Auto-
ris manu exarata præmittitur.

PHAR-

Digitized by Google

PHARMACOPOEA BATEANA;
or, Bates Diſpenſatory.

i. e.

Diſpenſatorium Batei, Anglice redditum ſtudio GUILIELMI SALMONIS, Profeſſoris Medicinæ.

Londini, apud S. Smith & B. Walford, 1694. in 8.
Conſtat plagulis 63.

QUam Pharmacopœam Bateanam induſtrius *Shipton* Latine bis edidit, in *Actis A. 1688. p. 617. & 1692. p. 93.* commemoratam, eam denique nativo, i. e. Anglico hic veſtitam habitu, alio ſimul ordine diſpoſitam, notisque ac medicamentis, partim ineditis, partim aliunde, imprimis e Collectaneis Chymicis Leidenſibus depromtis, auctam exornatamque ſiſtit *Clariſſ. Salmon*, varia poſt ſcripta Anglica, quibus Medicinam hactenus interpretatus eſt, integram brevi *Officinam Chymicam* expectare jubens. Nempe ordinem quod attinet, medicamina non tam juxta ſeriem Alphabeti, in Indice adjecto ſingulisque Capitibus quæ obſervatur, quam pro uſus eorundem atque formæ diverſitate, in certis Capitibus, duobus ſub Libris comprehenſis, edocentur; Tabula Poſologica & Orthonia verborum Appendicis vice Capita 10. & 11. Libri ſecundi, compoſita externa pertractantis, conſtituentibus. In Notis autem adpoſitis non ſolum, quæ *Noſtro* circa remedium corrigendum vel adhibendum ſententia ſit, exponitur, ſed & proceſſus nunc integri, Arcanorum v. g. nonnullorum Goddardianorum omiſſi ſupplentur, nunc poſiti Autoribus ſuis vindicantur, nunc novi etiam ex Autoribus proponuntur. Sic Aquæ aluminoſæ, ubi Sextario hujus unciæ duæ ſpiritus p. 1.
vini combinatæ fuerint, majores aſſignantur vires, veluti quas in herpete ac impetigine inſignes eſſe, exemplo duarum fœminarum, quarum impetiginem ſuſtulit inveteratam, comprobatur. Cortex p. 2.
Peruvianus quemadmodum non ante pulveriſandus, quam in uſum p. 312.
quando trahendus, ob particularum volatilium adeoque virium jacturam mox inſequentem, præcipitur: ita vinum quoque rubrum ſive claretum Spiritui vini commixtum Tincturæ ejusdem extrahen-

p.313.314. dæ convenientiſſimum oſtenditur menſtruum; ſaltem ut hæc vel
ipſe etiam cortex pulveriſatus rite adminiſtretur, nunquam medi-
camenta iſta fœminis menſium obſtructione icterove laborantibus,
nec aliis, quibus alvus eſt conſtipata, aut febris continens vel conti-
nua, nec niſi corpore prius evacuato, ſuadentur propinanda; aliquot
in medium adductis obſervationibus, quæ vim corticis dicti conti-
p.401. nuis in febribus quibuscunque deleteriam plerumque evincant. Æ-
thiopem mineralem non fuſione modo, ſed & ſola ſulphuris atque
mercurii commixtione exacta parari poſſe, mercuriumque cum æqua-
li ſulphuris pondere in mortario ferreo vel vitreo ſubactum, ultra
viginti jam annorum decurſum feliciſſime ab Autore adhibitum fu-
iſſe, anſam primam Chirurgia ſubminiſtrante Barbettiana, innuitur;
ita quidem ut ſalivationem non niſi rarius, vix autem ubi teneri-
orum corporum in gratiam duplum ſulphuris aſſociatum mercurio
p.667. fuerit, viderit pediſſequam. Sal polychreſtum cum triplo ſalis ar-
moniaci ſolutum ac cryſtalliſatum longe nobilius adſtruitur ſimplici.
Ratio Spiritus, Tincturas, Syrupos, aliaque Goddardi medicamenta
p.109. conficiendi hinc inde proſtat, dum Spiritus aſæ fœtidæ, Corticum
Aurantiorum, Cinamomi, Fæniculi, Guajaci, Lavendulæ, Limo-
p.271. num, Menthæ, Nucis Moſchatæ, Opii &c. Tinctura Semin. An-
gelicæ, Antiemetica ſeu Menthæ, Antepileptica ſeu florum Lavendulæ,
Anticolica ſeu Baccarum Juniperi &c. Febrifuga ſeu Schænanthi,
p.751. Nutritiva ſ. Chinæ, Sudorifica ſ. Serpentariæ Virginianæ &c. Syru-
pus Hyſtericus ſ. Galbani, Jovis ſ. Ammoniaci, odoratus minor ſ.
Benzoini & Styracis, Sapientum ſ. Myrrhæ, ad tuſſim ſ. Olibani, U-
p.178. terinus ſ. Carannæ &c. deſcribuntur. Eſſentia propoſita Mar-
p.373. tis Grulingio, Magiſterium Turpethi Minſichto, Antimonium re-
p.414. ſuſcitatum Gideoni Harvey, Sulphur auri ſive Aurum potabile
p.574. Antonio adjudicantur. Bezoardico ſolari, quod e Crollio petitum
p.433. videtur, aliæ præparationes e Schrödero, Hoffmanno, Rolfincio, Be-
& ſeqq. guino, Zvvelffero, annectuntur; quemadmodum ſali volatili oleoſo
p.637. Bateano diverſæ ejusdem compoſitiones e Collectaneis Chymicis
Leidenſibus ſubjiciuntur. Quoad medicamenta demum inter ſecre-
ta hucusque magis repoſita, quam divulgata, deprehenduntur talia
p.604. Guttæ Goddardi, Pulvis Ryſſelii, ac Emplaſtrum Febrifugum, in ipſo
& ſeqq. etiam titulo indigitata. Autorem ſcilicet guttæ agnoſcunt diver-
ſum

Digitized by Google

ſum ab iſto Goddardo, cujus formulæ in Pharmacopœa habentur Bateana, tanti quondam æſtimatæ, ut Carolo II. mille & quingentis libris Sterlingenſibus dicantur ſtetiſſe; nil aliud vero eſſe ſignificantur, quam oſſium humanorum oleum deſtillatum, poſt diuturniorem digeſtionem a ſpiritu ſeparatum, facilius & efficacius juxta Autorem præparandum, ſi mox a ſpiritu & ſale volatili ſejunctum cum ſale aliquamdiu volatili digeratur, odore gravi per ſpiritum nitri & ſpiritum vini ſpoliandum promtiſſime; cunctis nihilominus præparationibus ſolutio oſſium ſpiritu nitri rectificato facta, & duplo ſpiritus vini tartariſati maritata præfertur. Ryſſelii autem pulvis ſive ſulphur ex antimonio acquiritur, hoc in crucibulo ſupra ignem fuſum ſufficientem in aquam effundendo; ſic enim portio major coloris lutoſo-rubicundi ſub nomine ſpecierum majorum ad fundum mergitur mitiores vires exſerens, minor vero ſive ſulphur coloris aurantii ac violentioris efficaciæ, ſub minorum ſpecierum titulo ſuprema petit. p. 830. Tandem Emplaſtrum febrifugum, quo ſolo Ventriculi regioni applicito febres intermittentes quævis abiguntur, e thuris unciis quatuordecim, olei olivarum unciis duabus vel q. ſ. & minii drachmis tribus invicem liquatis coaleſcit. p. 911.

AL-CORANUS, SEU LEX ISLAMITIca Muhamedis, Filii Abdallæ, Pſeudoprophetæ, ad optimorum codicum fidem edita ex Muſeo ABRAHAMI HINCKELMANNI D.

Hamburgi, ex officina Schultzio-Schieleriana, 1694. in 4.
Conſtat 162. ſemiplagulis.

QUam aliis ſtudiis accidiſſe videmus felicitatem, ut a primo ſtatim, quo renaſci cœperunt tempore, viri extiterint omni laude majores, qui ad ea vel promovenda, vel exornanda obſtetrices præbuerunt manus; eandem Orientalia experta fuiſſe, nemo inficias ibit. Quippe tot undique ad ſublevanda ea & faciliora reddenda ſemper concurrere, ut eorum vel aliquem inire numerum difficile foret. Imprimis poſt Hebræam Arabica lingua, cum omnigena rerum ſcientia præ aliis ſuperbire, & ad accuratiorem Hebraiſmi notitiam

Digitized by Google

multum conferre merito viſa ſit, ſui æſtumatores invenit, qui certatim ſocias junxere operas, ut ejus amœnitates ubivis locorum innoteſcerent. Inter tot vero doctiſſimos viros, qui ſcripta publicando orientalia inclaruerunt, nondum fuit, qui Alçoranum Muhamediſmi fulcrum, aſt labile ſatis, luci exponeret publicæ, licet permulti id in animo habuere, plures vero longe, ut id fieret, anxie optarunt: ut ita hæc gloria reſervata ſit plurimum Reverendo DN. HINCKELMANNO, qui eo, qua proſtat facie, orbem eruditum donavit. Nos compagem hujus doctrinæ Muhamedicæ corporis exhibere merito ſuperſedemus, quod ubi mera confuſio, ibi fruſtra ordo quæratur; ex præfatione potius Editoris Clariſſimi quædam delibaturi.

Agit autem in præfamine hoc imprimis, ut removeat obſtacula, quæ ipſi impedimento eſſe potuerint, quo minus animum ad Al-Coranum edendum applicaret; inter quæ primum & præcipuum eſt, exiguum valde & Corani & Arabiſmi uſum eſſe, meliusque quam in hoc ſtudio locari poſſe bonas horas. Sed alia Editori mens eſt, Chriſtiano infidelium quoque ædificationem curæ debere eſſe cordique. Jam vero Muhamediſmum felicius everti non poſſe, quam ſi ipſius aſſeclis putida commenta, contradictiones manifeſtæ, & plagia turpia, quibus ſcatet Al-Coranus, quem recitaſſe eſt refutaſſe, ante oculos ponantur: ut ita laudem potius quam vituperium mereatur, qui ejus editionem promoverit. Hoc prolixius oſtenſo, occaſio arripitur de auctoribus & fatis Corani diſſerendi. Integrum nimirum opus Muhammedi non eſſe tribuendum, ſed maximam ejus partem Judæo cuidã & Sergio Neſtoriano Arabibus Bahira dicto vindicandam; inſuper ex N. T. plura translata, & multa ex Judaicis aliisque petita eſſe ſcriptis. Hæc inter placuit præſertim nominare libellum, qui tunc temporis ſub titulo Evangelii a Petro conſcripti circumferebatur. Titulus alias libri integer hic erat: كتاب عجايب وامور ربنا ومخلصنا يسوع المسيح ابن الله الحي المدعو انجيل الطفولية

Miracula & res geſtæ Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti, Filii Dei vivi, vulgo Evangelium infantiæ dicta; cujus falſa deteguntur: quod provocat ad teſtimonium Joſephi Gorionidis, quem Chriſti tempore vixiſſe dicit; Mariam Deiparam contra ſtylum Scriptu-

ræ

ſæ vocitet مرت مريم vel سيدتنا *Dominam noſtram Mariam;* Chriſtum recenter natum ita matri ſuæ ſe declaraſſe velit; انا هو يسوع ابن الله الذي ولد كما بشرك جبرايل الملك وابي رسلني لخلاص العالم. *Ego ſum Jeſus, ille Filius Dei, qui natus eſt, prout tibi annunciavit Angelus Gabriel, & Pater meus miſit me in ſalutem mundi &c.* Poſt mortem Muhamedis Abu Becr & Othman unice id ſibi commendatum habuerunt, ut undique diſperſa hujus cadaveris membra, quæ impoſtor, dum adhuc in vivis erat, palmarum foliis illeverat, colligerent; quod variis ſuffragiis orientalium Hiſtoricorum probatur. Cumque utilitas ſtudii Arabici maxime in dubium vocetur, commendat illud Vir celeberrimus, non tantum ob inſignem uſum, quem ad meliorem Scripturæ ſacræ intellectum præſtat; ſed & ob varia ſcripta, quæ hac lingua compoſita fuere. Arabibus enim non defuiſſe Poëtas inſignes, Oratores claros, Hiſtoricos prudentes, Geographos peritos, Medicos felices, nec Mathematicos celebres. Si vero hæc adducta non ſufficiant ad conciliandum favorem omnium Arabicæ linguæ, in Etymologicis eam inſignem præſtare uſum monſtrat, percurrendo plurimas linguas occidentales, quæ Arabicæ multa accepta referant; Gloſſarium ſimul commendans magnum Arabico-Perſicum, quod poſſideat, Authore Muhamed Ibn-Abdil-Chalek Ibn Apphalla, e quo incredibilis numerus vocum incognitarum vulgo erui poſſit.

Verſionem quod attinet, eam ſponte ſe omiſiſſe dicit, tam ob difficiliora & interpretum diſſenſu involuta loca, quam ut pretium ſervaretur Linguæ Arabicæ; ne eidem accideret, quod Græcæ, quæ a tempore, quo Græcis Authoribus verſiones addi cœperunt, eviluit. Nec reticet, quibus ad hanc editionem uſus fuerit exemplaribus manuſcriptis, laudans præ aliis illud, quod prægrandibus exaratum literis, Maſorethicis inſuper notis abunde inſtructum ſit, ſtudiisque Muphti alicujus inſerviiſſe acceperit. Nos uti indignum non cenſemus hoc Princeps ſic dictum Exemplar, quo minus lucem videat publicam; ſic optamus, ut Deus celeberrimo Authori vitam & vires concedere velit perennes, quo non tantum alia Manuſcripta Arabica, quorum poſſeſſor eſt, ſed præcipue Gloſſarium magnum Arabico-

bico-Perſicum in uſum Philologiæ conſecraneorum, publica luce beare poſſit.

FRANCISCI JUNII, F.F. DE PICTURA veterum libri tres. Accedit Catalogus Artificum adhuc ineditus.

Roterodami, typis Regneri Leers, A. 1694. in fol. chart. aug. Conſtat alphab. 6. plag. 18.

FRanciſcum Junium, Franciſci Biturigis filium, virum celebratiſſimum, Heidelberga tulit anno ſeculi ſuperioris nono & octogeſimo, eundemque Windſoria, cum ibi anno noſtri ſeculi ſeptuageſimo octavo propemodum nonagenarius obiiſſet, condidit; ceu ex inciſo marmori elogio, quod ad tumulum honorarium Oxonienſis ei Academia ſuſpendit, colligitur. Is animum primo cœpit applicare ad diſciplinas mathematicas, bellicisque artibus ſe dedere, hoc conſilio, ut cum ſe corroboraſſet, ſtipendia faceret ſub ductu Arauſionenſis Principis. Sed cum bellum pactis induciis duodecennibus componeretur A. 1609, aliam vitæ rationem iniit, totum ſe mancipans cum cæterarum optimarum artium, tum præcipue ſacrarum literarum ſtudiis. Poſtquam vero in Britanniam A. 1620. trajeciſſet, ac multos reperiſſet libros veteres Anglo-Saxonicos, linguam illam inſtituit excolere, eique poſtea cognitionem omnium veterum ſeptentrionalium, Gothicæ, Francicæ, Cimbricæ, Friſicæque addidit, & cum poſt triginta annos ad ſuos inde rediiſſet, nihil quicquam remiſit in acerrima contentione rimandi priſca Septentrionis monumenta. In Anglo-Saxonicis enim, Francicisque & Cimbricis Lexicis ac Gloſſariis, inque antiquiſſimis harum gentium Scriptoribus explanandis multum collocavit induſtriæ, ac in ſpecimen illius primum Amſtelodami A. 1655. edidit Obſervationes in Willerami Abbatis Francicam paraphraſin Cantici Canticorum, quam olim Lugduni Batavorum Paulus Merula in lucem protraxerat. Nactus dein antiquiſſimum illum codicem Gothicum, qui argenteus dicitur, & quatuor Evangelia literis argenteis Gothicis deſcripta continet, huic dilucidando diligenter incubuit, ac non multo poſt Gothicam Evangeliorum inter-

Digitized by Google

terpretationem cum Gloſſario Gothico publici juris fecit: quemadmodum plurimas quoque lucubrationes ad obſoletas haſce linguas ſpectantes Bibliothecæ Oxonienſi legavit, quas inter eminet Gloſſarium quinque linguarum Septentrionalium, quod undecim voluminibus deſcribi nitidiſſime curavit Oxonienſis Epiſcopus, Jo. Fell, iſtudque ſumtibus illuſtris hujus Univerſitatis, ſubauſpiciis Gilberti Ironſide, S. T. P. Coll. Wadham. Præfecti & Academiæ Pro-Cancellarii excudendum eſt. Plura, quæ ad illius vitam atque eruditionem pertinent, Vir Clariſſimus Jo. Georgius Grævius, cui & ea, quæ hactenus dicta ſunt, debentur, ſub frontiſpicium præſentis operis ſuppeditat, ubi vitam ejus univerſam fuſius delineavit. Quam enim inſuper verſatus ille fuerit in Græcis Latiniſque omnis generis Scriptoribus, ipſi hi tres de veterum pictura libri ſatis edocent. Hos, cum prima vice commoraretur in Britannia, eruditiſſimus Junius componere occœpit, eam inſtituti tenens rationem, ut picturæ initium, progreſſum, atque conſummationem in iis traderet, parteſque has ita etiam explevit, ut nihil heic deſiderare liceat eorum, quæ ex interioribus Græciæ ac Latii penetralibus ad argumenti hujus notitiam derivari potuerunt. Equidem jam A. 1637. typis Amſtelodami mandati ſunt per Guil. Blaeu, ſed cum Auctor eos ab omnibus, qui & eruditionis interioris laude & artis ſcienter pingendi intelligentia eminebant, tantopere probari intelligeret, ut eorum auctoritate verterentur ex Latino in Britannicum & Belgicum ſermonem, manum illi denuo admovit, & tanta copia rerum egregiarum amplificavit, pulcherrimiſque tot locupletavit acceſſionibus, ut non interpolatum, ſed recens plane ac novum opus referant, cujus videndi deſiderio mirum hactenus in modum flagrarunt plurimi, quorum ſitim tandem explere laudatus Grævius anniſus eſt. Secum enim habuit has commentationes Vir Nobiliſſimus, Dionyſius Junius, cujus parenti, Senatori Gröningano, denuo in Britanniam migrans Franciſcus easdem commiſerat. Is igitur cum a Grævio rogaretur, non difficilem in iis ad eum curandis ſeſe præbuit, dataque ab iſto fuit opera, ut in elegantem hanc, quam nunc videmus, formam redacta fuerint. Quinimo adjectus etiam eſt alteram hujus operis partem conficiens & adhuc ἀνέκδοτος Catalogus pictorum, ſtatuariorum, cælatorum, tornatorum, aliorumque artificum, & eorum, quæ in priſcis monumentis ce-

lebrantur, operum, quem magno itidem ſtudio adornavit Junius, cum olim in his Commentariis elaboraret, gratiſſimumque illum fore Eruditis tanto minus ambigendum eſt, quanto eum magis jam olim expetiit Vir ſummus, Hugo Grotius, in quadam epiſtola promiſſi vix dum facti Auctorem admonens. Sicuti autem nomina artificum juxta literarum ſeriem diſpoſita conſpiciuntur, ita fabricatorum ab iis operum Index Catalogo præmiſſus, & alius rerum ac verborum eidem ſubjunctus eſt. Sed nec prius iſtud opus accurato indice, cæteriſque, quæ ad libri cultum & nitorem merito requiras, deſtituitur.

OLIG. JACOBÆI COMPENDIUM Inſtitutionum Medicarum, in gratiam Tyronum Medicinæ.

Haffniæ apud J. M. Liebe, Univerſit. Bibliop. 1694.

Conſtat plag. 8.

PRopoſuit ſibi nobiliſſimus Autor, Inſtitutiones medicas recentiorum induſtriæ & rationi ſanæ magis congruas, ſed reſectis pluribus ad phyſicam ſpectantibus, & ex anatome ſaltim delibatis neceſſariis, exarare. Hinc ὑγιεινῇ & θεραπευτικῇ partibus reliquas ſubordinat; illi quidem Phyſiologicam & Diæteticam, huic Pathologicam, Semioticam, Curatoriam, eoque ordine ſingulas pertractat. In Phyſiologia ergo L. I. de chylo & ſanguine, de cribratione humorum a maſſa ſanguinea, & de temperamentis ſolum agit. L. II. Sex res non naturales, medicis vocatas, partem Diæteticam abſolventes, perluſtrat. L. III. Pathologiam abſolvit, de morborum differentiis, temporibus, & cauſa diſquirens, ubivis antiqua novis illuſtrans. L. IV. partem Semioticam, adeoque ſigna ex urina & pulſu, diagnoſin cauſarum morbificarum, prognoſtica & dies criticos complectitur, in quorum numero, quæ verba illius ſunt, nil fere certi ſtatuit. L. V. partem Therapeuticam tradit, Methodo medendi ſubjungens præſidia ipſa, venæ ſectionem, emetica, purgantia, (in quorum ſpeciali diſquiſitione latius & curioſe occupatur,) ſudorifera, diuretica, ſalivantia & maſticatoria, errhina & ptarmica, pneumonica, veſicantia, aperientia, adſtringentia, emollientia, ſomnifera & narcotica, totidem capitibus recenſita.

MAR-

Digitized by Google

MARCHIONIS HOSPITALII ENOdatio difficultatis propoſitæ in Actis Eruditorum hujus anni pag. 196, ſuper ſolutione Problematis Bernoulliani, quæ habetur in Commentariis Mathematico-phyſicis Pariſienſibus.

SCire Lectorem volo, eandem hanc difficultatem jam contineri in 13 *Diario Pariſienſi*, & ad eam reſponſionem exhiberi in ſubſequenti 16, quæ procul dubio Auctori difficultatis nondum ſatisfecit: quod vel exinde conjicere licet, quoniam eadem, aucta tamen inſigni additamento, in Actis Lipſienſibus de novo apparet, quod in eum duntaxat finem videtur factum, ut ſit loco inſtantiæ ad reſponſionem. Credendum itaque, additamentum hoc eundem Auctorem agnoſcere; quod indicio eſt, veritatem ſolutionis meæ nondum recte eū percepiſſe. Quo autem melius Lector decidere queat noſtram controverſiam, haud gravatim legat difficultatem ſine additamento, uti reperitur pag. 198 *Diarii Pariſ. a linea* 13 *usque ad* 30. Hic enim Latinis verbis præliminabo enodationem, quæ jam Gallice impreſſa fuit. Lector dein examinabit additamentum meamque reſponſionem, quam reperiet ad calcem hujus enodationis, quæ hæc eſt:

Excerpt. ex XVI Diario Erud. Pariſ. anni 1694.

Optandum fuiſſet, ut Auctor difficultatis novam dediſſet ſolutionem Problematis Bernoulliani; *aut ſaltem ut detexiſſet meam methodum. Ex quo forte anſam arripuiſſem, accuratius inquirendi in materiam, quam in tota Matheſi ſummi momenti judico; ſed quia in ſpeciali exemplo examen per calculum inſtituiſſe acquievit, num ſcilicet tangens conditionem requiſitam haberet; ipſiusmet calculi, quem imperfectum reliquit, veſtigia ſequar, quippe quem falſis indiciis inductus ſolutionem meam ſubvertere credidit: præſertim cum ſubtiliſſimi Geometræ obnoxii ſint erroribus, qui ſecundum apparentes ſpecies, & antequam evidentia cogit, judicium ferunt,*

Author aſſumit æquationem, quam dedi $y^4 + xxyy + 18bxyy + 16bx^3 = 27bbyy$, *quæ exprimit naturam certæ cujusdam curvæ CMm, cujus tangentes MT duplas eſſe dixi portionum CT axis amu-*

eus occurſu T factarum: & pervenit ad hanc alteram æquationem $24bxx + 9byy + xyy \vee 4xx + 3yy = 81bbyy - 6y^4 - 7xxyy - 90bxyy - 96bx^3$, *quam fateor reduci debere ad eam quam dedi* y^4 *&c. poſito jus a mea ſtare parte. Poſtea quadrata ſumit membrorum utriusque æquationis: Ex eo autem quod advertit differentiam ſenſibilem non evaneſcere, concludit reductionem non eſſe poſſibilem. Interim quadrando membra ſecundæ æquationis & transponendo reperitur* $4y^8 + 9xxy^6 + 114bxy^6 - 135bby^6 + 5x^4y^4 + 244bx^3y^4 + 594bbxxy^4 - 1620b^3xy^4 + 729b^4y^4 + 128bx^5yy + 1536bbx^4yy - 1728b^3x^3yy + 768bbx^6 = 0$, *quæ diviſa per primam* $y^4 + xxyy + 18bxyy + 16bx^3 - 27bbyy = 0$ *dat pro quotiente* $4y^4 + 5xxyy + 42bxyy - 27bbyy + 48bx^3$: *Diviſio vero absque reſiduo peragitur. Unde inferendum, æquationem* $4y^4$ *&c. ope diviſionis reduci ad propoſitam* y^4 *&c. Siquidem nullas alias adhibeo regulas reductionis niſi ordinarias & ab omnibus Algebriſtis hucusque receptas. Ex ipſo igitur calculo Auctoris continuato quantum opus, manifeſtum eſt, curvam CMm, cujus natura exprimitur per æquationem datam* y^4 *&c. tangentes ſuas habere duplas portionum CT axis inter verticem & occurſum interceptarum; id quod aſſerueram in Commentariis.*

Hoc addere inſuper liceat, quod D. Bernoulli *Profeſſor exhibuit in* Actis Lipſienſibus *ſolutionem longe differentem a mea, quæ tamen debite applicata in caſu propoſito eandem æquationem profert.*

Non magis mihi arduum erit deſtruere additamentum, utpote quod etiam nititur duobus principiis æqualiter falſis. Prius conſiſtit in hoc, quod Auctor ſine ulla adducta ratione ſupponit quantitatem $4y^8 + 9xxy^6$ &c. quæ eſt æqualis nihilo diviſam per aliam quantitatem $y^4 + xxyy$ &c. quæ etiam nihilo æquatur, neceſſario pro quotiente dare tertiam quantitatem $y^4 + \frac{5}{4}xxyy$ &c. quæ etiam debeat æquari nihilo. In hoc enim præcipue conſiſtit vis ejus concluſionis, nempe loco lineæ curvæ me nihil aliud dare quam aliqua tantum puncta loci quæſiti. Sed qui venit, ut non attenderit, quod omnis quantitas finita multiplicans nihilum producat nihilum? Alterum principium non ſolidius eſt, quod ita ſe habet: *Æqualitas duarum diverſarum expreſſionum ejusdem ſubtangentialis ſemper reſtituit æquationem loci geometrici*: ut hoc principium verum fiat, ad- datur

Digitized by Google

Digitized by Google

Fig: 1.





Fig: 3.



4.



Digitized by Google

datur oportet, *vel æquationem magis compoſitam, quæ ſit diviſibilis per æquationem loci Geometrici.* Uti modo oſtendi accidere in æquatione curvæ Geometricæ quam dedi. Hoc adeo verum eſt, ut ad convincendum Auctorem aliud nihil requiratur, quam ut clarius explicetur exemplum poſterius quod proponit modo ſatis obſcuro: Eſto TAB. XI. Fig. 1. curva quæcunque AMB, habens pro axe lineam AB, & pro tangente in vertice A perpendicularem AD ad axem; ſit etiam alia curva ANO talis, ut libere ducta tangente MT & parallela MPN ad AD, applicata PN ſit ubique æqualis interceptæ AT inter verticem A & occurſum T tangentis. Quo facto clarum eſt ſpatium APN ubique duplum eſſe ſegmenti correſpondentis AM: ducta enim AF perpendiculari ad MT, & MK parallela ipſi AB, & intellecta parallela m p n ipſi AD, ſecante MK in R, quæ elementaliter diſtet a MPN, habebitur ob ſimil. △la AFT, MRm, AF. AT :: MR. Mm, ideoque rectangulum ſub AT & MR i.e. ſpatium indefinite exiguum NPpn æquale rectangulo ſub AF & Mm i. e. duplo △lo AMm. Verum Auctor prætendit, quod dato loco quadratricis ANO cum expreſſione ſubtangentis KT loci quæſiti reperiatur ſemper idem hic locus & non multiplum loci, ut ego ſæpiſſime accidere contendo. Ad cujus demonſtrationem ſupponit locum quæſitum AMB eſſe ſemicirculum, erit poſitis AP, *x*; PM *u*; PN vel AT, *y*; TK, *t*; AB, *2d*; ejus æquatio $uu = 2dx - xx$, unde per vulgares methodos habetur ſubtangens $t = \frac{dx - xx}{u} = u - y$, & conſequenter $y = \frac{uu - dx + xx}{u} = \sqrt{\frac{ddx}{2d - x}}$ ſubſtituendo loco *u* & *uu* eorum valores $\sqrt{2dx - xx}$ & $2dx - xx$; & hæc æquatio exprimit naturam quadratricis circularis *Leibnitianæ* ANO. Sunt itaque duæ diverſæ expreſſiones ſubtangentis KT, nimirum $u - \sqrt{\frac{ddx}{2d - x}}$ & $\frac{dx - xx}{u}$, atque ſi in poſteriori loco *xx* ſubrogatur ejus valor $2dx - uu$, tertia reſultabit expreſſio $u - \frac{dx}{u}$ ejusdem ſubtangentis. Auctor ſupponit tertiam

 hanc

hanc expreſſionem datam eſſe cum prima, quæ elicitur ex æquatione ad quadratricem datam, illasque comparando format æqualitatem $u - \sqrt{\frac{ddx}{2d-x}} = u - \frac{dx}{u}$ *quæ reſtituit* locum ad circulum $uu = 2dx - xx$. Quod erat inveniendum. hactenus hæc Auctori bene cedunt. Verum ſi loco tertiæ expreſſionis $u - \frac{dx}{u}$ ſumatur ſecunda $\frac{dx-xx}{u}$ quæ immediate ex loco ad circulum producitur, formabitur æqualitas $u - \sqrt{\frac{ddx}{2d-x}} = \frac{dx-xx}{u}$ quæ diverſiſſima eſt a loco ad circulum, quæq; eum neutiquam reſtituit: *ſublatis enim* fractionibus & irrationalitate, reperietur $x^5 + 4dx^4 + 5ddx^3 + 2uux^3 - 6duuxx - 2d^3xx + 5dduux + u^4x - 2du^4 = 0$, non autem locus ad circulum $xx - 2dx - uu = 0$, id quod evenire deberet ſecundum Auctorem. Sed ſi dividatur ultima æquatio per locum ad circulum, nihil remanebit, & pro quotiente habebitur $x^4 - 2dxx + ddx + uux - 2duu$. Et hoc prorſus idem eſt quod accidit in mea curva. Ecce interim, ut Auctor ratiocinetur, *æquatio localis* $u - \sqrt{\frac{ddx}{2d-x}} = \frac{dx-xx}{u}$ *diverſa eſt a propoſita* $xx - dx = uu$. *inutile autem foret illas elevare ad altiorem gradum quadrate multiplicando membra ſingularum, neque enim id faceret evaneſcere illarum differentias: Evidens quoque differentia reperiretur, ſi aſymmetria unius ſublata per multiplicationem quadratam factis ambobus membris æqualibus nihilo per tranſpoſitionem (unde reſultat* $x^5 - 4dx^4 + 5ddx^3$ *&c.* $= 0$*) & quadrato alterius poſitæ æqualis nihilo multiplicato per* x, *(unde fit* $x^5 - 4dx^4 + 4ddx^3 + 2uux^3 - 4duuxx - u^4x = 0$*) ſi, inquam æquationum ortarum ſinguli termini inter ſe comparentur. Denique ſi quis ſubire vellet laborem dividendi utramque æquationem per quantitatem* $xx - 2dx + uu = 0$ *datam*

in

in loco Geometrico propoſito, prior deprimeretur ad $x^3 - 2dxx + ddx + uux - 2duu = o$ (NB. facit hanc quantitatem æqualem nihilo ſine ulla probatione) *altera vero ad* $x^3 - 2dxx + uux = o$, *qui ſunt duo loci Geometrici differenter, eum tamen ſecundum problematis naturam &c.*

Difficultatem nunc eousque explicatam ſpero, ut obſtinationi non minus quam impetuoſo contradicendi prurituí imputandum esſet, ſi Auctor eidem diutius inhæreret.

JAC. B. DE METHODO TANGENTIum Inverſa, quousq; tum in communis tum reconditioris Geometriæ poteſtate ſit & non ſit, conferenda cum Schediaſmate Leibnitiano Menſis Julii hujus Anni.

ELegantia ſunt, quæ hic dedit Vir eximius de Applicatione Calculi differentialis ad partem Methodi Tangentium inverſæ, quæ conſtitit in conſtructionibus Curvarum ex data relatione duarum *Functionum*, quas appellat, ad ſe invicem. Et cum ad profectum ſcientiæ conducat noſſe, quotisque hæc etiam per vulgarem Geometriam poſſint effici, obſervandum eſt, quod quotiescunque Functiones illæ, quas inter ratio data h. e. Algebraica, ſupponitur, tales ſunt, ut Curvam neceſſario poſcant Algebraicam (quod fit, ubi rectæ curvæve quæſitam tangentes ordinatim poſitione dantur, ut cum ex data relatione inter reſegmenta axium AT & Aθ, aut inter perpendicularem CP & reſegmentum AP, quæritur curva,) Problema quoque ſemper in poteſtate communis Geometriæ ſit futurum, ut non opus ſit differentialium calculo uti, niſi pro illis curvis, quas data relatio non ſemper Algebraicas arguit; quod ſpeciatim in ipſo exemplo *Cel. Auctoris* ita manifeſtum fit: Sit invenienda Curva CC, cujus perpendicularis PC ad reſegmentum ab axe AP habeat relationem datam, velut eam quam habent coordinatæ Parabolæ AE, h. e. (ob communem rationis terminum AP,) ut PC ſit æqualis PE. Intelligantur centris P & (P) radiis perpendicularium PC, (PC) duo circuli deſcribi interſecantes ſeſe citra curvam in F, erunt per hyp. PC, (PC,) h. e. PF, (P) F, ſingulæ reſpondentibus PE æquales; unde & TAB. XI. Fig. 2.

reci-

Digitized by Google

reciproce, dato quovis citra curvam puncto F, (h. e. datis A (B,) (B) F, rectis,) duæ ex illo ſatisfacientes rectæ PF, (P) F, ad axem inflecti poſſunt, eo propiores futuræ ſibi & perpendicularibus PC, quo punctum F curvæ propius aſſumptum fuerit, adeo ut hoc in ipſamet curva accepto (rectis AB, BF, coordinatis ejus exiſtentibus) omnes PC, PF, in unam perpendicularem PC, ut & puncta P & (P) in unum P coalitura ſint, ipſaque æquatio ab AP denominata duos æquales valores acquiſitura: unde quæſitum vulgari arte conſequendi ratio conſtat; nempe poſitis A (B) $= x$, (B) F $= y$, AP $= b$, P (F) $= c = \sqrt{ab}$ $=$ PE, ut emergat æquatio $bb - 2bx + xx + yy = ab$, operatio ſic habebit:

$$\begin{array}{ccccc} bb & -2xb & +xx & +yy & = ab \\ 2 & 1 & 0 & 0 & 1 \\ \hline \end{array} \qquad \begin{array}{ccccc} bb & -2xb & +xx & +yy & = ab \\ 1 & 0 & -1 & -1 & 0 \\ \hline \end{array}$$

$2bb - 2xb = ab$, ſeu $b = x + \frac{1}{2}a$ $\quad$ $bb - xx - yy = 0$, ſive $b = \sqrt{yx + yy}$,

quare $x + \frac{1}{2}a = \sqrt{xx + yy}$, h. e. $ax + \frac{1}{4}aa = yy$, æquatio pro curva quæſita, eadem cum *Leibnitiana*. Et memini, cum *Frater* olim e Galliis redux ipſum hoc Problema, ut difficile quippiam ibi habitum, mihi propoſuiſſet, me conſtructionem ejus generalem e veſtigio hanc dediſſe: Super curva AE (cujus ordinatæ AP, PE, relationem datam exhibent) ſubtangentiali PD, ceu diametro, deſcribatur ſemicirculus PCD, in qua adaptetur PC $=$ PE, erit C punctum in optata curva CC, eique perpendicularis adaptata PC. Similiter etiam data relatione inter reſegmenta axium per tangentem AT, Aθ, (*h. e. data* curva AQ, cujus in T applicata TQ ſit æqualis Aθ) Curva CC generali conſtructione reperitur, ut ne calculo quidem opus ſit: Ducta enim tangente datæ curvæ QR, reperiatur ad AR & AT tertia proportionalis AB, abſcindenda in axe ad partes R, occurretque erecta ſuper ipſo perpendicularis BC poſitione datæ tangenti Tθ in puncto quæſitæ curvæ C: ubi commodum recordor *fraterni Problematis in Jan.* 1692, p. 33 inſerti, quod noſtri tantum ſpecialis caſus eſt, in quo curva, cujus coordinatæ datam relationem exhibent, circulus exiſtit ſuper axium conjugatorum concurſu deſcriptus; unde facillima conſtructio emergit, quæ fit, abſcindendo tantum (vid. Tab. I fig. 4, ibid.) in ſubtenſa anguli recti ED partem EB vel DB, quæ ſit tertia proportionalis ad ED & crus illi oppoſitum FD vel FE. Non ſecus vero

vero etiam, datis poſitione curvis Lineam quæſitam tangentibus, ipſa communis Geometriæ ope reperitur. Sic aliquando ſolvi vulgari methodo *Problema Balliſticum* de definienda Curva, quam tangant omnes Parabolæ, a globo in ſingulis mortarii elevationibus conſtante vi exploſo, deſcriptæ. Sic etiam reperio lineam, quæ tangat ſeriem Paraboloidum ejusdem gradus, circa eundem axem conſtitutorum, at vertices diverſos, parametrumque intervallo verticis & extremitati axis æqualem habentium, perpetuo rectam eſſe. Porro, quo pacto communis Geometriæ beneficio ex data duarum Functionum relatione tertia ſit elicienda, & ſpeciatim ex data relatione coordinatarum, i.e. ex ipſa data curva, radius oſculi, (ſupponendo in æquatione duas vel tres radices æquales, prout oſculum ſpectatur ut concurſus vel duorum radiorum circulorum tangentium inæqualium, vel trium radiorum unius ſecantis circuli,) id jam in *Additamento cit. Probl. m. Jan.* 1692, p. 34. & in *Lucubrat. m. Mart.* 1692. & *Jun.* 1693, de *Natura Oſculorum* abunde oſtendimus: idemque etiam per præcedentem conſtructionem poteſt effici: cum enim detur Curva, punctumque in ea per hyp. adeoque ſubperpendicularis, adeoque poſitione radius oſculi, isque extremitate ſua tangat Curvam Evolutam, dabuntur quoque reſegmenta axium conjugatorum per hunc radium. Ergo per præcedentem dabitur Evoluta. Ergo & radius oſculi dabitur longitudine. Quomodo vero ex data coordinatarum una & radio oſculi ipſa viciſſim Curva indaganda ſit, hoc quidem communis Geometriæ vires tranſcendit; nec enim poſitione dantur oſculantes circuli. Dependet autem Problema a *conſtructionibus Elaſticarum*; deſcripta namque curva, cujus applicata reciproce proportionetur radio oſculi, ſi ad ipſam, ceu ad Lineam Tenſionum, conſtruatur Elaſtica, erit hæc quæſita, ut ex *nuperis m. Junio hujus Anni publicatis* colligere eſt. Sed tandem illud in genere tenendum (quod initio innui) omnia Problemata, quibus promiſcue Algebraicæ & Tranſcendentes Curvæ ſatisfaciunt, Geometriæ reconditiori propria eſſe, fruſtraque tentari per communem: eorum vero alia conſtrui per ſimplices *quadraturas* aut *rectificationes*; alia per *inflexiones Elaterum*, ut præcedens; alia ſaltem per *tractiones*, ut cum quærenda proponitur curva ex data relatione rectæ tangentis ad proprium ex axe reſegmentum; cujus conſtructionem in caſu relatio-

Ooo nis

nis conſtantis (qualem *Frater* propoſuerat) *ſup. anno m. Junio* dedimus, facile tamen accommodandam ad caſum cujusvis relationis datæ variabilis, modo loco rectæ, ſuper qua fili deſcribentis extremitas protruditur, ſubſtituatur Curva, cujus ordinata æquetur exceſſui fili ſupra tangentem datam. Nemo vero hic exiſtimet, omnem Methodum tangentium inverſam his exhauſtam eſſe, utpote quæ non debet acquieſcere in qualicunque curvarum conſtructione, ſed primario rimari, quot quibusque in caſibus ſint futuræ Algebraicæ, aut ſecus; ac tum ad cujus gradus quadraturas referantur: quod in modo laudato Problemate *D. Marchio Hoſpitalius* & ego præſtitimus. Ad hoc vero præſtandū requiritur, ut in æquatione literæ indeterminatæ cum ſuis differentialibus a ſe mutuo ſeparentur, quod nec ſemper fieri poteſt, nec ſi poſſit, univerſali methodo conſequi licet: & quemadmodum datis Æquationibus Algebraicis quibusvis multiplicatione ex ipſis compoſita facile habetur, data vero compoſita invenire componentes difficillimum & ſæpe impoſſibile, ut nulla huic negotio univerſalis regula præſcribi poſſit, particulares vero infinitæ, quarum bonam partem collegit *Huddenius* : ita quoque Methodus directa tangentium ubique facilis, inverſa generalis nulla, ejusque loco tantum particulares dari poſſunt regulæ, quarum qui plures collegerit, is optime de hac Methodo meruiſſe cenſebitur. Ad directam Methodum pertinet hoc Problema, quod tentari poteſt: Datis tribus Curvis Algebraicis G,H,I, & quarta K, quam formant interſectiones rectarum HK,IK, tangentium curvas H & I in iisdem punctis, in quibus tangens curvæ G ipſas ſecat, quærere tangentem quartæ K.

TAB. XI. Fig. 3.

JOHANNIS BERNOULLI CONſtructio facilis Curvæ acceſſus æquabilis a puncto dato per Rectificationem curvæ Algebraicæ.

JAm olim mihi tentatum præſens problema lubens confiteor, levem autem ob ſcrupulum, qui feſtinanti & aliis tum temporis occupatiſſimo occurrebat, quemque adeo diluere non ſtatim vacabat, ab eo prorſus abſtinui. Cum vero *nuperum menſem Junium* pervolverem, inſcio mihi & inexpectanti ſeſe offerebat problematis hujus ſolutio

lutio *fraterna,* aliaque huic affinia. Ex quorum occaſione filum meæ ſolutionis imperfectæ & obiter olim tentatæ denuo aggreſſus & feliciter ſum proſecutus. Non multus in illo fui, ſed leve poſt conamen perveni ad conſtructionem quæ *fraterna* tanto præſtantior eſt, quod curvæ algebraicæ rectificatione idem præſto & faciliori modo, quam quod *Frater* præſtitit per rectificationem curvæ mechanicæ: Nec opus habeo radiis circulorum oſculantium in ſpiralibus, qui tamen & ipſi nullo labore inveniuntur.

Conſtructioni meæ præfigam calculum, qui me eo perduxit, partim ut eam ex *fraterna* deductam nemo exiſtimet, partim etiam, & quidem præcipue, ut publicum exinde emolumentum capiat, & non meris conſtructionibus (quibus intellectis non doctius evadit) paſcatur. Optandum ſane eſſet, ut idem Eruditi ſemper obſervarent, & hac in re *ſummum Geometram Leibnitium* imitarentur, qui egregia ſua inventa Orbi literato oſtendiſſe non contentus, viam inſuper analyticam ſingulari opere *ſcientiam infiniti* complectente propediem editurus eſt, de quo, ut de cæteris ejus conatibus, multum nobis pollicemur.

Anal. Ut ad inſtitutum redeam. Sit ABC curva quam quærimus, per quam nempe grave deſcendens (ex altitudine data PA prius delapſum) æqualibus temporibus æqualiter recedat a puncto dato A. Radio AP deſcripta peripheria PFH, ductæ intelligantur AB ſecans peripheriam in E, & BL, EG perpendiculares ad PA productam, itemque centro A arculus bb abſcindens ex AB particulam Bb æqualem receſſui momentaneo, & proinde æqualem ei particulæ curvæ quam grave primo momento percurrit. Eſto nunc $EP = a$, $AB = x$, $AG = y$, arc. $HE = z$, $Ee = dz$, $Bb = dx$, erit $bb =$ (quia Ae. Ab :: Ee bb) $\frac{xdz}{a}$, ideoque $Bb = \frac{\sqrt{aadx^2 + xxdz^2}}{a}$ quoniam autem Bb ſupponitur æqualis ei particulæ curvæ quam grave in A percurrit æquali momento quo percurrit bB, erit bB ad Bb ut celeritas in B ad celeritatem in A, ut (ex natura gravium deſcenſus) $\sqrt{PL}$ ad $\sqrt{PA}$; ideoque $\frac{\sqrt{aadx^2+xxdz^2}}{a}, dx :: \sqrt{\frac{xy}{a} + a}.\ a$, id eſt, ſumendo qua-

TAB. XI. Fig. 4.

 drata,

drata, $aadx^2 + xxdz^2 . aadx^2 :: xy + aa . aa$, & dividendo $xxdz^2 . aadx^2 :: xy . aa$; reducta proportione ad æqualitatem habetur $\frac{dx}{\sqrt{x}} = \frac{dz}{\sqrt{y}}$, ſed ex natura circuli invenitur $dz = \frac{ady}{\sqrt{aa-yy}}$, ergo $\frac{dx}{\sqrt{x}} = \frac{ady}{\sqrt{aay-y^3}}$ quæ eſt æquatio differentialis pro curva quæſita, ubi indeterminatæ x & y cum ſuis differentialibus dx & dy ſine ulteriori diſquiſitione ſponte ſeparantur, ſecus ac fit cum pro indeterminatis aliæ aſſumuntur lineæ; & hoc eſt in quo totum myſterium conſiſtit, quod ſi *Leibnitium* in hoc ſupputandi genere verſatiſſimum hucusque latuit, mirum non eſt, ſiquidem caſu potius quam induſtria eo pervenitur, utpote quod optioni fortuitæ & arbitrariæ indeterminatarum unice eſt tribuendum. Præcipuum autem quod agendum reſtat eſt, ut ex jam inventa æquatione differentiali problema quam commodiſſime conſtruatur: Per quadraturam ſpatii curvilinei (cujus abſciſſa exiſtente y, applicata ſit $\frac{aa\sqrt{a}}{\sqrt{aay-y^3}}$) conſtrui poſſe nemo non videt, ſed quia in praxi non facile quadrantur ſpatia, tentandum illud eſt per rectificationem curvæ alicujus; quæ ſi poteſt eſſe algebraica, in leges Geometriæ cenſendus eſt peccare qui recurrit ad Mechanicam, præſertim ſi hæc ipſa mechanica non minus operoſe per quadraturas ſpatiorum deſcribatur. Heic igitur meum, de quo nec *Fratri* adhuc conſtat, oſtendam modum, quo ad curvam algebraicam pervenitur, per cujus rectificationem problema conſtruitur: Æquationis differentialis inventæ $\frac{dx}{\sqrt{x}} = \frac{ady}{\sqrt{aay-y^3}}$, membri non *integrabilis* $\frac{ady}{\sqrt{aay-y^3}}$ (quod ita appello, quia ejus integrale vel ſummatorium in quantitatibus algebraicis non habetur) ſumo quadratum $\frac{aady^2}{aay-y^3}$, illudque vel ejus multiplum ſubmulti-

multiplumve per methodum *Diophanteam* divido in duo alia quadrata, quorum latera, ſi fieri poteſt, ſint integrabilia, ſecus enim orietur tantum curva mechanica: hic itaque multiplum quadratum $\frac{a^3 dy^2}{2aay - y^3}$ dividitur in hæc duo alia $\frac{\overline{aa + 4ay + 4yy}\, dy^2}{4ay + 4yy}$ & $\frac{\overline{aa - 4ay + 4yy}\, dy^2}{4ay - 4yy}$, quorum latera ſunt $\frac{ady + 2ydy}{2\sqrt{ay + yy}}$ & $\frac{ady - 2ydy}{2\sqrt{ay - yy}}$, horumque integralia $\sqrt{ay + yy}$ & $\sqrt{ay - yy}$. Ideoque conſtructa Curva AMONA, cujus abſciſſa AR $= \sqrt{ay + yy}$, & applicata MR $= \sqrt{ay - yy}$ (id eſt cujus abſciſſæ & applicatæ reſpondeant applicatis Hyperboles æquilateræ & circuli eandem diametrum *a* & easdem abſciſſas *y* habentium) erit elementum hujus curvæ

$$= dy \sqrt{\frac{aa + 4ay + 4yy}{4ay + 4yy} + \frac{aa - 4ay + 4yy}{4ay - 4yy}} = \frac{dy\sqrt{a^3}}{\sqrt{2ay - 2y^3}} = \frac{dx\sqrt{a}}{\sqrt{2x}},$$

ideoque integrale primi eſt æquale integrali ultimi i. e. portio curvæ AM $= \sqrt{2ax}$, proindeque $x = \frac{AMq}{2a}$.

Conſtr. Ex his ſequitur conſtructio facillima problematis. Factis enim & poſitis quæ prius, producatur ſi opus AE ad B, ita ut AB ſit tertia proportionalis ad HP & AM; erit B in curva optata ABC, per quam grave deſcendens ſi ex P ceciderit æqualibus temporibus æqualiter a puncto A recedet. Demonſtrationem ſyntheticam, quam quivis ex analyſi præmiſſa ſtatim contexere poterit, omittimus. Primariæ etiam proprietates hinc facile deducuntur, quas recenſere animus non eſt; id unicum monuiſſe ſufficiat non laminam ſed tubum ſecundum lineam ABC incurvatum adhibendum eſſe, nam globulus deſcendendo non ubique inſiſtit convexitati curvæ. Cæterum diſtantia puncti C in quo curva ſemet ipſam ſecat a vertice A plus

quam duplo major eſt AH, ſecus quam in ſchemate nupero repræſentatur. Curva AMON eſt quatuor dimenſionum, quæ etiam ſemet ipſam ſecat in A, & quæ continuata producit partem inferiorem, ſimilem & æqualem ſuperiori, faciens angulum MAN ejusque oppoſitum rectum. Peripheria HQP tranſit per ejus punctum S remotiſſimum ab axe AO.

Opportune hic incidit modus conſtruendi curvam Elaſticam, qui etiam per ſolas rectificationes curvæ AMO & Ellipticæ cujusdam peragitur, & proinde in praxi longe facilior quam is qui quadraturas ſpatiorum ſupponit: Semiaxibus AO & radio circuli AF perpendiculari ad AO conſtruatur quadrans ellipticus FTO, & ducta quavis in eo applicata TZ ſumatur $AR = \frac{AZ}{AF} \sqrt{AFq + AQq}$, applicetur que QZ = arcui elliptico TO mulctato quarta proportionali ad AO, AF & AM; quo facto erit punctum Z in curva Elaſtica. Demonſtratio non minus facilis eſt quam conſtructio: Sit enim $AQ = x$, $QZ = y$, erit elementum arcus TO (ex natura ellipſis) $= \frac{aadx + xxdx}{\sqrt{a^4 - x^4}}$, & elementum curvæ AM (ex ejus natura & conſtr.) $= \frac{aadx\sqrt{2}}{\sqrt{a^4 - x^4}}$, ideoque elementum quartæ proportionalis ad AO, AF & AM erit $= \frac{aadx}{\sqrt{a^4 - x^4}}$, ergo elem. TO — elem. $\frac{AF, AM}{AO}$, id eſt elem. $QZ = \frac{xxdx}{\sqrt{a^4 - x^4}} = dy$, quæ eſt eadem æquatio quam *Frater* exhibuit pro conſtruenda Elaſtica, quamque ſuſpicatus eſt, ſed perperam, nullatenus a cujusdam ſectionis conicæ rectificatione dependere: dependet enim ex parte ſaltem a rectificatione curvæ Ellipticæ.

Lectorem Benevolum monitum cupimus, ſchediaſma hoc Bernoullianum ad manus noſtras perveniſſe, antequam menſis Auguſtus anni præ-

Digitized by Google

præſentis Actorum horum, in quo Viri illuſtris G.G.L. Conſtructio Problematis de Curva Iſochrona Paracentrica, pag. 364. & ſeq. continetur, clariſſimo Bernoullio viſus fuit, aut videri potuit.

LUDOVICI DE DIEU CRITICA Sacra, ſive Animadverſiones in loca quædam difficiliora Veteris & Novi Teſtamenti, quibus ſuffixa eſt Apocalypſis D. Johannis Syriaca.

Amſtelodami apud Gerhardum Borſtium, 1693.
Conſtat 9. alphab. & 18. plag. in Fol.

SEptuaginta ſex, & quod excurrit, effluxerunt anni, poſtquam decreto Synodi Dordracenæ publico conſtitutū fuit, novam ad ipſos fontes originales adornare verſionem Bibliorum Belgicam, qua, priori ad ductum Lutheranæ elaborata abolita, in publicis imprimis cœtibus pro cathedra eccleſiaſtica uterentur. Quod ſtatutum uti omni laude majus fuit; ita ad illud maturandum viri iſtarum regionum docti ſuas undique contulerunt ſymbolas, ut nitidius & accuratius tanti momenti opus in publicum prodiret: quos inter poſtremus non fuit vir ad ſtudium linguarum orientalium promovendum natus LUDOVICUS de DIEU, in hunc finem Critica ſua ſacra prelo commiſſa. Percurrit autem in ea primo omnia omnium librorum Veteris Teſtamenti capita, quique in iis verſus aut loca difficiliora ipſi viſa ſunt, vel in quibus vertendis alii errarunt, explicat, & pro egregiis ingenii ſui viribus (conferendo ſemper alias Hebreæ cognatas linguas orientales) vindicat. Deinde eadem in Novi Teſtamenti locis difficilioribus explicandis methodo utitur, id præter alia ſibi commendatum habens, ut Syriacam verſionem examinet, eam ſi a Græco textu diſſentiat, corrigens, ſi vero conveniat, probans: quam porro libertatem ſibi ſumit, modeſte tamen, cum aliorum ſententias, maxime Bezæ, recenſet. Ultimo prædictis jungit Apocalypſin: & quidem non ſatis ipſi fuit textum Syriacum ſuis imprimi curaſſe typis, ſed & in gratiam tyronum eundem Latio donavit, literisque inſuper & vocalibus Hebraicis ad latus expreſſit; in quibus punctis ſubſcribendis plurimum a Tremellii ac Fabricii Boderiani codice

dice abit, idque non ſine cauſa: quippe hi majorem rationem habuerunt genii Hebraici quam Syriaci. In deſcribendo textu Syriaco ita ſe geſſit, ut mendas etiam, quæ in Manuſcripto aderant, retinuerit, hoc tamen addito ſigno †, ut eas caveat lector; aſt ſicubi in manuſcripto codice ad ſenſum perficiendum quædam deeſſe viſa ipſi fuerunt, id tali nota [ ] ſpatio interiori vacuo relicto indicavit, & in charactere Hebræo ex Græco ſupplevit.

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE Verulamio, Opera omnia, cum augmento, quod Latinum reddidit S. J. Arnold.

Lipſiæ impenſis J. J. Erythropili An. 1694. in fol. Alph. 9. plagul. 15.

Johannes Juſtus Erythropilus, Hafnienſis bibliopola, cum novam Verulamii operum editionem adornaret, ab Arnoldo, clariſſimo Viro, petiit & impetravit illorum tractatuum verſionem, qui a Ravvlejo collecti, hactenus in Latina non apparuerunt lingua. Sunt autem Conſilia Regi Jacobo ſuppeditata de Scotorum cum Anglis unione, coloniis in Hiberniam ducendis, Eccleſiæ Anglicanæ controverſiis & tranquillitate, nec non alia, cum orationibus in Parlamentis & alibi a Verulamio recitatis. Memorari autem meretur ejusdem Apologia in cauſa Eſſexii, diluens illud, quod nuper Huberus in Hiſtoria Univerſali narravit: *Baconem Eſſexio, cui fortunam ſuam debebat, abſque ulla neceſſitate de aliis accuſato rebus objeciſſe, eum proclamaſſe aliquando, coronam Angliæ Hiſpano eſſe proditam*. Nam & invitum ſe contra Eſſexium egiſſe, & ſolum de occaſione libello famoſo præbita, ceu leviſſimo crimine, ex Senatus conſilio Comitem accuſaſſe, inibi col. 1465. refert Verulamius.

Cæterum reſtant Baconi Epiſtolæ, quas, ut intelleximus, jam quoque Arnoldus interpretatus eſt, nondum tamen editurus: expectat enim, num alii plures, quam in Ravvleji collectione extant, promere ſibiq; transmittere velint ac poſſint epiſtolas: illosq; his noſtris verbis publice exoratos cupit: vel etiam, ne locus ſit æmulationi, operam ſuam alii cuicunque, earundem editionem curaturo, offert.

Errores interea typographicos, qui, ut aſſolet, non ſemper leves ſunt, ſe collegiſſe ac imprimi juſſiſſe, ex emtoribus vult latere neminem.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Novembris Anno M DC XCIV.

IL TEMPIO VATICANO E SUA Origine &c.

h. e.

Templum Vaticanum & ipſius Origo, cum ædificiis maxime conſpicuis antiquitus & recens ibidem conſtitutis, deſcriptum ab Equite Carolo Fontana, Deputato celeberrimi ejusdem templi Miniſtro atque Architecto, cum verſione Latina Joannis Joſephi Bonnerue de St. Romain.

Romæ ex typographia Joh. Franc. Buagni, 1694. in fol.
Conſtat plag. 96, cum fig. æneis 79. chartæ auguſtæ.

CUm non tantum Innocentio XI Pontifici Romano, ſed & S. Congregationi Cardinalium fabricæ templi D. Petri præpoſitorum, anno 1680 exhibita fuiſſet diſſertatio, ſigna quædam detecta fuiſſe aſſeverans, ob quæ ruina Vaticani tholi (Italis *Cuppola*) eſſet pertimeſcenda, eaque originem trahere ab Equitis Bernini, tempore Urbani VIII, opera male navata, magisque indies augeri, ob malam templi cuſtodiam; negotium datum fuit Illuſtr. Dn. Veſpiniano, ſummo ejus fabricæ moderatori, ut quantocyus convocaret peritiſſimos Urbis architectos, iisque daret negotium ſingulas tholi aliasque templi partes diligenter perluſtrandi. Quo facto cum vanam falſamque illam relationem eſſe cognoviſſent, quæ tamen longe lateque jam diſſeminata erat, idem Pontifex commemorato D. Veſpiniano mandavit, ut nobiliſſimum Equitem Fontanam,

tanam, quippe hujus templi Miniſtrum & Architectum, juberet rationes, quibus ſecuritas & firmiſſima hujus templi ſtabilitas nitantur, accurate conſignare ſcripto, in perpetuam rei memoriam in archivo ejusdem fabricæ aſſervando. Quod ſumma exſecutus eſt cum cura in volumine præſenti chartæ auguſtæ impreſſo nobiliſſimus Auctor, utpote in quo non ſolum Vaticanam Baſilicam graphice deſcripſit, ſed & nullum adeſſe imminentis ruinæ periculum demonſtravit. Sex autem capita, quæ ſunt inſtar *proœmii*, Operi præmiſit, in quibus partim ejus conſcribendi occaſionem tradit; partim cauſas indicat, quæ ipſum commoverint, ut ſingula Geometrice, non autem Optice delinearet; partim de variis ad eruditum architectum ſpectantibus menſuris agit, nec non antiquas & recentes Romanas menſuras, variasque alias ad palmum Romanum reductas, exponit. Ad ipſum vero quod attinet Opus ſplendidiſſimum, in ſeptem illud libros diviſum eſt ab Auctore nobiliſſimo. In *primo* de Vaticani agri, vel a vaticiniis, vel a Vaticano Deo, penes quem eſſent vocis humanæ initia, dicti, ſitu & circuitu, cujus amplitudo tredecim milliaribus Romæ limites excedebat, diſputatur, oſtenditurque Vaticanum præcipuum fuiſſe Tuſcorum locum, celebremque & conſpicuum ante principium & incrementum Romæ. Porro de memorabilibus Vaticani locis agitur, ſepulcro nimirum & monumento Romuli, pratis Quintiis, circo Neroniano, naumachia, quam fingunt quidam, Neroniana, via Etruſca, ponte & porta triumphali, foſſa Trajana, porta Ælia, monumento pyramidali, quod Scipionis Africani fuiſſe putatur, de Ælii Adriani tumulo, ponte, & hippodromo, nec non de via Aurelia, atque Janiculo. Inprimis vero circus Neronianus, ſuper cujus latus a Conſtantino M. antiqua Baſilica exſtructa fuit, ſtudioſe deſcribitur.

Atque ut intelligatur, quantum magnificentia & majeſtate novum templum Vaticanum veterem Baſilicam ſuperet, toto *libro ſecundo* delineatur antiqua Vaticana Baſilica. Primum enim de officio formaque Baſilicarum agitur, quas Græci ſummis Principibus, Romani Regibus conſecrare ſolebant, & quibus ſimilem Conſtantinus M. condendam ſuſcepit, divo Petro Apoſtolorum principi, divinæque ſimul omnipotentiæ devovendam. Factum id dicitur anno C. 324, octavo die poſt ejus baptiſmum, in Vaticano, loco nempe memo-

memoriam reliquiasque D. Petri conſervante, inter Circum & Vaticanum montem, juxta fanum Apollinis, ubi Anacletus Pontifex anno 106 oratorium conſtruxit & cœmiterium pro ſummis Pontificibus. Huic Vaticanæ Baſilicæ ſucceſſu temporis alia nonnulla ædificia a Pontificibus fuere adjecta, ut ex delineatione ichnographica conſtat, quam Paulo V Pontifice, Tiberius Alfaranus accurate elaboravit, quamque affert Auctor ſolertiſſimus, una cum indice generali & caſtigato rerum maxime memorabilium, quæ fuerunt in Baſilica veteri, cum aliis fabricis contiguis. Porro cum ſingularis fuerit cantheriorum compaginatio, qui tecta navis majoris ſuffulciebant, & tam firma, ut non ſolum illæſi perſtiterint, ſed cum deſtrueretur Baſilica, ad tecta palatii Farneſiani ſuſtinenda adhibiti fuerint, hanc ſeorſim deſcribit, architectoſque monet, ut ſollicitam ſtillicidiorum curam gerant, tectaque ita efforment, ut & declivitatem debitam habeant, & ſubjectæ cantheriis trabes (*corde*) quæ, ut tecta ſpatioſa ſuſtineant, ex pluribus partibus componi ſolent, rite coagmententur.

Tertius liber de translatione agit Vaticani obeliſci, primum Cæſari, deinde ſanctiſſimæ Cruci dedicati, ipſiusque erectione, quam Michaël Angelus Buonarota Julii II & Pauli III tempore detrectarat ſuſcipere, feliciter vero auſpiciis Sixti V anno 1586, d. 10 Septembris, ope 800 operariorum, 46 ergatarum, & equorum 140, perfecit Dominicus Fontana. Cum vero arduum oppido ſummique ingenii fuerit hoc opus, in quod nummi ſcutati (*ſcudi*) 36975 impenſi dicuntur, hinc machinæ omnes, nec non contignationes ex variis trabibus coagmentatæ, quibus tam vaſtum onus, nempe librarum 1043537, (ſi pondus ſupellectilis ferreæ obeliſcum præcingentis connumeres) a Fontana ſublatum fuit, deſcribuntur.

In *quarto libro* quæ ante templum occurrunt recenſentur, area nimirum, & porticus ex quadruplici columnarum ſerie ab Alexandro VII opera Bernini equitis exſtructæ, ut defenderet populum ad templum commeantem ab aëris injuriis. Nam 256 columnæ tantæ craſſitiei, ut tres viri brachiis extenſis unam vix cingere poſſint, & octoginta ſtatuas ſuſtinentes, ellipſis in formam ſunt diſpoſitæ, quæ ambulacris rectilineis, per quæ ad palatium Pontificis, ſcalam regiam & templum patet aditus, cum templo cohæret. Quod quam-

vis ſtupendum plane cenſeat ædificium, nullique Romanorum veterum fabricæ poſtponendum Auctor ingenioſiſſimus, non diſſimulat tamen, ejus fundamenta non rite eſſe poſita, & proinde fornices licet anguſtos jam disruptos; prætereaque id habere incommodi, quod anguli procurrentes, ubi rectilinea brachia cum curvis ambulacris junguntur, magnæ populi parti eripiunt plutei, ex quo Pontifex benedictionem dare ſolet, conſpectum. Ita autem comparatæ ſunt columnæ, ut baſis ex ordine Tuſcano, ſcapus, epiſtylia, zophori & coronices ex Jonico, capitula ex Dorico ſint deſumta. Laudantur quoque fontes duo ſummo cum artificio in area Vaticani templi conſtructi, nec non ſcala regia a Bernino auſpiciis Alexandri VII ædificata. Cum autem locus, unde oculus rite contemplari poteſt ingentem molem Vaticanam, ſit in S. Angeli ponte, eousque aream producendam ſuadet Eques doctiſſimus, novisque ambulacris & turri campanaria exornandam.

Quintus liber totus eſt in Baſilica recenti ſingulisque ejus partibus deſcribendis. Illius ædificationem animo primum conceperat Nicolaus V, & poſt ejus mortem aggreſſus eſt Julius II, cum evidens jam immineret veteris ruina Baſilicæ. Præ reliquis autem architectorum delineationibus futuri templi, Bramantis typus approbatus fuit, quem deinde, cum vaſtus nimium judicaretur, contraxit Antonius Sanctogallenſis, quo mortuo Michaël Angelus Buonarota denuo reformavit typum Antonii, opusque ſtrenue urſit. Buonarotæ autem veſtigiis inſtiterunt, qui ſucceſſere architecti, Jacobus Barozius de Vignola, & qui tholum Sixti V tempore abſolverunt, Jacobus a Porta, & Dominicus Fontana. Tantorum igitur virorum cura & dexteritate feliciter abſolutum fuit opus, quod parti veteris Baſilicæ Julii II tempore dirutæ ſucceſſit. Atque hic imprimis commemorandus eſt ſtupendus ille duplex tholus, cui par nullus in orbe nullusque ſecundus, ſi magnitudinem ſpectes & elegantiam. Uſi equidem veteres quoque ſunt ſimplicibus tholis ad templa contegenda, ex quibus Panthei tantum & S. Sophiæ Byzantii temporum injurias evaſerunt. Sed cum interior quidem illorum ſuperficies grata oculis accidat, non autem exterior, quæ depreſſa nimium adparet, ſagaciſſimus Brunelleſcus primus Florentiæ duplicem tholum, exteriorem & interiorem, octangulari forma templo Mariæ de Floribus

Digitized by Google

bus impoſuit, & turricula, per quam illabitur lumen (Italis *lanterna*) exornavit. Hunc tamen longo ſuperavit intervallo Buonarota, qui circularem formam tholo Vaticano tribuit, modulumque elaboravit, ſecundum quem, Sixto V Pontifice, fuit exſtructus. Quum autem idem artifex templum pilis, ſtylobatis, columnisque exornans receſſerit a legibus, quæ in veterum monumentis obſervatæ cernuntur, id eidem vitio non eſſe vertendum cenſet nobiliſſimus Fontana, quandoquidem ſublimibus illis ingeniis artisq; apprime callentibus, tanquam novis legislatoribus, novas quoque regulas architectonicas condere liceat. Denique ut manifeſtum fiat, quanta ſit hujus ædificii firmitas, ad calculum revocat Auctor parietum fundamentorumque ſoliditatem, & cum Panthei ſtructura confert, oſtenditque rimulam unicam exilem non eſſe indicium relaxationis partium, quippe cum tanto temporis intervallo non creverit, exteriorque tholus illæſus omnino perſtiterit. Non eandem meretur laudem pars altera Vaticanæ baſilicæ addita a Paulo V, opera Caroli Maderni, qui relicta plaſtica arte nomen Architecti ſumſerat. Nam & fundamenta parum firma effecit, & ita diſpoſuit, ut non in directum jaceant cum parte priori primaria, erroremque ſero animadvertens ab iis, quantum poterat, deflexit, & tantum ædificium extremæ quaſi fundamenti crepidini impoſuit. Ad quod cum non advertiſſet animum Berninus, & angulo extremo turrim campanariam inædificaſſet, diruenda ea fuit, cum jam ad coronidem fere perducta fuiſſet: quanquam ſervari potuiſſet, ſi Longi & Ferreri architectorum, quibus & Fontana noſter adſtipulatur, conſiliis locus fuiſſet relictus.

Libro ſexto de ſumtibus templo Salomonis, nec non templo Vaticano, ejus porticui, fontibus, &c. impenſis diſquirit Auctor, & probare contendit, ſi ſpectes inſigniter auctum noſtro tempore auri pretium, ſumtus utriusque templi inter ſe pæne eſſe æquales, & ſpatium, quod occupat templum Vaticanum, cum palatio & horto Pontificis, ter fere continere templum Salomonis.

Libro vero *ſeptimo* comparatur Vaticana Baſilica cum Pantheo, nonnullis celeberrimis Aſiæ templis, templo item Jovis Capitolini, Pacis, & S. Mariæ de Floribus, eum quidem in finem, ut hæc omnia longe inferiora Vaticano templo eſſe adpareat.

Cæterum opus hoc ſplendidiſſimum, & totum pæne refertum

Digitized by Google

figuris accuratiſſime deſcriptis & nitidiſſime æri inciſis, quampluri-mis in locis varias complectitur regulas architectonicas utiliſſimas. V.g. p. 105, de tectorum declivitate debita, & inciſuris trabium coagmentandarum rite faciendis; p. 193, de altitudine trabeationis columnæ ordinis Corinthii & Romani invenienda, per mediam proportionalem inter quartam & quintam partem altitudinis columnæ; p. 267, 293 de fundamentis rite jaciendis; p. 281. de conſtruendis portis & frontiſpiciis; p. 325. 333. 361. ſſ. de conſtruendis tholis tam ſimplicibus quam duplicibus, & turriculis quas *lanternas* vocant; p. 413. de lignorum compaginatione ad exſtruendos fornices. Quas haud difficulter aſſequentur Architecturæ ſtudioſi, ipſum ſi adeant, vel mediocriter tincti cognitione linguæ Italicæ, limpidiſſimum Fontanæ fontem potius, quam non clare ubique fluentem rivulum Latinum.

LIBRI SALOMONIS: PROVERBIA, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum; Sapientia, Eccleſiaſticus. Cum notis Jacobi Benigni Boſſuet, Epiſcopi Meldenſis. Acceſſerunt ejusdem ſupplenda in Pſalmos.

Pariſiis, apud Jo. Aniſſon. 1693. in 8.
1. Alphab. plag. 21.

EX opera, quam in Salomonæos hoſce libros, itemque in Eccleſiaſticum ac librum Sapientiæ impendit celeberrimus *Boſſuetus*, primo loco nobis delibandæ videntur præfationes, quas ille ſingulis præfixit, quæque ob ſuum, quem præſtant, uſum ſicco pede non tranſiliendæ ſunt.

Et PROVERBIA quidem dum aggreditur, cauſam ante omnia determinat, ob quam Salomoni viſum fuerit, de morum diſciplina non ordine quodam ac longa oratione diſſerere, ſed brevia ſaltem decreta figere? quod ſcilicet hoc adjumento ſublevare memoriam, ſtimulos crebris velut ictibus eo magis incitantes adhibere, ipſaque varietate quemvis oblectare voluerit. Poſtea commonſtrat, ut nihil ad moralem Philoſophiam amplius deſiderari poſſit, ſi quis has ipſas

Digitized by Google

ipſas ſententias accurate perdidicerit: prout etiam per exempla nonnulla edocet, quæ ſpeciatim ad œconomiam muniaque ſeduli patrisfamilias; ad politicam, ac Regum & regnorum robur, dignitatem, felicitatem, publicorumque conſiliorum rationem; ad privatam denique vitam commode inſtituendam pertineant. Docendi rationem maximopere commendat, ſiquidem ad vivum velut omnia depingi, & coram oculis collocari ipſarum rerum imagines videamus, aliaque heic reperire detur, quæ Salomonē cæteris in ſeculo ſententiarum auctoribus multum antecellere manifeſto comprobent, præcipue, quod veram ſapientiam, cultum ſcilicet ac timorem Dei, ſinceramque pietatem fundamenti loco ponat & ubique commendet, quam alii Sapientes nec fando noverint, aut primoribus ſaltim, quod ajunt, labris deguſtaverint. Interim pro V.T. ratione promiſſiones minasque tantum temporales adhiberi, ſed hominem ſpiritualem, hoc eſt, Chriſtianum, ſe a terrenis divitiis ad cœleſtis regni opes erigere debere annotat. E verſionibus primum commendat ſeptuagintaviralem, quæ, licet ab Hebræo ſubin deflectat longius, (cujus rei cauſas e ſua in Pſalmos præfatione repetit,) non tamen ideo repudianda veniat, cum ante Chriſtum natum per Synagogas omnes obtinuerit; cum ab Apoſtolis, pleriſque etiam proverbiorum locis inde mutuatis, frequentata; cum ab Eccleſia Orientali perpetuo uſu retenta, & a Latina quoque uſurpata fuerit tamdiu, donec egregia S. Hieronymi opera Hebraicæ veritati ceſſerit. Et veterem ſane Latinam verſionem, ex LXX. deductam rivulis, innumerabiles Patrum Latinorum locos, maxime Ambroſii, repræſentare; aſt Hieronymianam non modo ſubſecutæ Eccleſiæ & Synodi Tridentinæ, verum etiam jam inde ab initio S. Auguſtini, hinc ſua compingentis ſpecula, autoritatibus egregie muniri obſervat, tandemque Hieronymi in libros Salomonis præfationem ad Chromatium & Heliodorum, Epiſcopos, itemque Iſidori Peluſiotæ epiſtolam quadrageſimam libri quarti de tribus Salomonis libris ſubjicit.

Altera, quæ iſthanc excipit, præfatio ECCLESIASTEN concernit, Auctorque totum illum librum unica velut hac argumentatione concludi arbitratur: cum vana omnia ſub Sole ſint, id unum in homine magnum verumque eſſe, ſi Deum timeat, præceptis ejus pareat, & futuro judicio purum atque integrum ſe ſervet. Hujus enthyme-

thymematis primam partem rerum humanarum enumeratione tantique Regis experimento conſtare, alteram vero in c. XII, 13. 14. contineri aſſerit. De tempore, quo ille ſcriptus ſit, mentem ſuam ita aperit, ut amplectatur traditionem Hebræorum, poſt Salomonis pœnitentiam id conſtituendum videri aſſeverantium, ac iſtis ſe inductum fatetur rationibus, quod nonniſi in devium Salomonem quadrent, quæ cap. VII, 26.27. itemque c. II, 10. legantur. Non tamen niſi conjecturam eſſe hanc opinionem libens concedit, quandoquidem Deo placuerit, tanti Viri errata certa eſſe, ſalutem vero ac reſipiſcentiam in dubio verſari, ut, qui ſtat, eo cautius viderit, ne cadat. Mox Grotii ſententiam, qui ſub Salomonis reſipiſcentis nomine poſt Babylonicam migrationem confictum fuiſſe hunc librum perſuadere aliis conetur, refellit, & fundamentum, cui ille innitatur, ſubvertit; quod nempe e Chaldaicis, quæ heic ſint obvia, vocabulis tale quid colligere non liceat, oſtendens, cum & pauca iſta ſint, & ſi plura quoque eſſent, obſtet tamen notum illud, quod inter affines & ejusdem fere ingenii linguas multa vocabula ſoleant eſſe communia, & quod familiare admodum ſit elegantiſſimis Scriptoribus, præſertim in ſcriptis eruditis, pro quo & præſens reputandum, ex peregrinis linguis aliquid inſpergere. E verſionibus antiquam Græcam veritati maxime inhærere dicit, ſecus ac in Proverbiis, quæ diverſitas in aliis quoque libris reperiatur; unde argumentari detur, eam verſionem, quam LXX. dicimus, non uno auctore neque una forſitan ætate conſcriptam. Latinam ex illa Interpretum ſeptuaginta deductam ante Hieronymum univerſam occidentalem Eccleſiam frequentaſſe, pro alia vero habendam a Vulgata, ſicuti & Hieronymus quandam ex Hebraico fonte confecerit, quæ in ejus commentariis ad Paulam & Euſtochium reperiatur. Ipſum porro antiquam vulgatam ad Origenianorum exemplorum normam emendaſſe, qui tamen labor nunc amplius haud ſuperſtes ſit. Tertio vero loco eam, quæ nunc Vulgata appelletur, dediſſe ſubjicit, & hanc quidem cum Hebræo textu multis in locis non adeo congruere haud diffitetur, generatim aliquot varietatum fontes recludens. De commentariis innumeris tacere mavult, unumque ſe habuiſſe dicit Hieronymi ad Paulam & Euſtochium, qui e doctorum judicio & perſpicuitate, & elegantia, & eruditione, variarumque rerum ſcientia præſtet cæteris; unde

&

& præfixum eidem proœmium ſub finem hujus ſuæ præfationis exhibet.

In tertia, Salomonem per totum CANTICUM ſe, captosque ſuos erga filiam Pharaonis affectus, in exemplum proferre, dumque in vera hiſtoria ea fingat, quæ flagrantiſſimo amori congruant, aptiſſime ſub elegantis fabulæ involucris, cœleſtes amores Chriſtique & Eccleſiæ conjunctionem delineare aſſerit. Et hac in re prævium ipſi facit Davidem, qui Pſ. XLV Salomoni conjugium inituro epithalamium cecinerit, eademque figura Chriſti & Eccleſiæ nuptias celebraverit; iſto ſolum obſervato diſcrimine, quod hic victorias, prælia, atque heroica proſecutus, ille autem amoris vim ac ſuavitatem carmine molliori complexus fuerit, majeſtate pauliſper ſepoſita paſtorem induens, ac in idem vitæ genus Pharaonis filiam traducens. Uti autem antiquos mores imitatus paſtoralem eclogam canere inſtituerit, ita hanc in ſeptem dies diviſam videri. Neque enim diei ac noctis paſſim in hoc cantico recurrentis vices, temere memoratas eſſe. Auctorque proin eas ad ſeptenum numerum revocavit, cum Hebræis olim uſitatum fuiſſe conſtet, ut nuptias per ſeptem dies celebrarent. Iſtas vero ſeptem dies, quarum ſpatio ſuum hoc nuptiale carmen Salomo definiverit, ita ſe inveniſſe arbitratur, ut, quod e notarum collatione patet, ad primam caput I. & ſex verſiculi ſequentis cap. II; ad ſecundam reliqua hujus capitis pars; ad tertiam cap. III, IV, & quinti verſus adhuc primus; ad quartam non caput modo quintum, ſed & e ſexto verſiculi priores octo; ad quintam verſus nonus cum reliquis, caput item ſeptimum usque ad v. 10; ad ſextam v. 11. 12. 13. capitis ſeptimi, & v. 1. 2. 3. capitis octavi; ad ſeptimam denique reſidua Cantici portio referri debeat. Prima nempe die ait ſponſam formæ ſuæ diffidere ejusque vitia excuſare, atque iis, quæ ſenſus magis afficiunt, pietatis illecebris ac veluti blanditiis delectari. Secunda converſam recens ad perfectioris vitæ ſtudium, in ipſis converſionis initiis, anteactæ vitæ tot peccatis obnoxiæ commemoratione ac tædio, novæque deliciis a ſponſo invitari ad ſolitudinem, reliquiasque cupiditatum exterminare. Tertia incipere amoris exercitationes, inflammari ſponſam, fierique perfectiorem. Quarta exercitationem eſſe vehementiorem gravioremque cruciatum, animæque non tantum gratiam addi, ſed robur etiam ac vim, qua & hoſtium frangat

gat impetus, & ſupra perfectiſſimas animas extollatur. Quinta non ſolum ſponſo,ſed cæteris quoque omnibus eam eſſe miraculo. Sexta, quo iſta ſit ſplendidior, tanto magis eam properare ad ſolitudinem,eoque jam ſponſum ultro invitare, ut amori liberius & ſine ulla interpellatione ſerviant. Ultima tandem in ſponſum recumbere, ut veluti ſuaviſſimo Sabbatho conquieſcat. Iſta vero ſingula ita pertractari vult, ut quis amorem humanum divinumque complexus allegoriam exequatur, ſed caprearum cervorumque in morem vix pede terram attingat, confeſtim autem ad excelſiora ſeſe efferat. Id quod in ſuis commentationibus feciſſe obſerventur Origenes, Philo Carpathius, Bernhardus,quorum adeo veſtigia & ipſe preſſerit, non poſthabitis tamen iis, quæ Theodoretus, Gregorius M. Beda, Sanctius, aliique erudite ac pie ad hunc librum congeſſerint.

SAPIENTIAM, quam vocat, SALOMONIS ut inter ſcripta divina referat, in præfatione eidem præmiſſa modis omnibus annititur, & S. refragatur Hieronymo, quod libros tales ab Eccleſia legi in ædificationem plebis, non ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam dixerit. Auguſtinum etenim ad confutandam hæreſin Pelagianam paſſim hujus libri dictis uſum fuiſſe, quod & Cypriano in opere adverſus Judæos arriſerit. Ejus interim auctorem non ipſum facit Salomonem, ſed ſub illius ſaltim nomine ſcriptam arbitratur,in medio relinquens,quisnam iſtud munus in ſe receperit, quandoquidem de Philone Judæo incerta adhuc conjectura, & ſcriptionis tempus æque incompertum *ſit. Duas* ejus partes conſtituit, quarum prima ſit commendatio ſapientiæ, usque ad caput nonum, ubi prolixiſſima & ad finem usque libri deducta precatio incipiat, in qua priſca recolatur hiſtoria, & in tuenda pia gente ejusque hoſtibus ulciſcendis divinæ juſtitiæ ac ſapientiæ arcana ab ipſa rerum origine uberius pandantur.

Ultima præfatio circa ECCLESIASTICUM occupatur, cujus autorem fuiſſe contendit Jeſum, filium Sirach, qui eumHebraico primum ſermone ſcripſerit, e quo ab ipſius nepote, (quodcunque tandem nomen is habuerit,) in Græcum fuerit translatus. Ætatem vero ſcripti inde æſtimat, quod eo tempore gravem Judæis a gentilium Regibus incubuiſſe vexationem multa ejus loca doceant, quodque facta in cap. L. Simonis, Oniæ filii, mentio circa hujus tempora

Digitized by Google

ra Siracidem claruiſſe confirmet. Duos autem hac appellatione inſignitos a Joſepho memorari, Simonem ſcilicet primum, qui vocetur Juſtus, Oniæ primi filium, ſecundi Oniæ patrem, & Simonem ſecundum, Oniæ ſecundi filium, Oniæ tertii, viri maximi & ſanctiſſimi patrem, ſub quo vexationem Regum Syriæ cœpiſſe Maccabaica teſtetur hiſtoria. Et ſecundi illius Simonis ævo Eccleſiaſtici auctorem ſua hæc conſignaſſe, ab Euſebio perhiberi dicit; ſed ipſe ab eodem recedit, non ob eam modo rationem, quod Noſter nonniſi eos celebraverit, qui jam vita eſſent functi, ſed quod etiam Simonis hujus tempora pacatiſſima fuiſſe conſtet, adeoque Siracidis lamentis atque precibus locum concedere haud videantur. Firmam ergo hujus libri auctoritatem ad Oniam tertium, quo vivente ſub Antiocho Epiphane dira perſecutio Judæos exercuerit, hoc eſt, ſecundum Uſſerianas rationes, ad annum ante æram Chriſtianam circiter centeſimum ſeptuageſimum primum, ab U. C. fere quingenteſimum octogeſimum ſecundum extendit. Interpretationem vero a nepote dicit editam, cum Ptolomæus Phyſcon, qui & Evergetæ titulum e nummis quibusdam indeptus ſit, regni cum fratre Philometore initi annum ageret octavum & trigeſimum, qui ipſe centeſimum trigeſimum ſecundum ante Chriſti nativitatem conficiat, Joanne Hyrcano, Simonis Maccabæi filio, Pontificis tunc munia adminiſtrante. Latinæ interpretationis auctorem ignorari, multumque eam ab hodierna Græca diſcrepare haud diſſimulat, ut omnino neceſſum ſit, alium ei lectum eſſe Græcum codicem, ac illum, quem nunc habeamus; prout & ea, quam Flaminius Nobilius e Græco Sixtino adornaverit, aliquot in locis clarior Græcoque textui convenientior fieri potuiſſet. Cæterum quæ de libri contentis, diſtributione, auctoritate commentatur, prolixius referre non vacat. Iſtud ſolum addimus, quod in cauſa, cur Salomonis gerat titulum, indaganda Iſidorum ſequatur Hiſpalenſem, qui propter nimiam ſenſus cum Eccleſiaſte ſimilitudinem & eloquii parilitatem id factum eſſe exiſtimet.

Et hæc quidem e *Præfationibus* libuit excerpere. De notis ipſis id dicendum venit, quod breviores ſint ut plurimum, ſententiasque uſui accommodent, ac Scripturas Scripturis ſedulo illuſtrent. Equidem in Cantico prolixiorem paulo ſeſe Auctor exhibet, cum ubique geminum adducat ſenſum, hiſtoricum alterum, quem ipſe

vocat proximum, de Salomonis & ſponſæ Ægyptiacæ, alterum allegoricum & myſticum, de Chriſti & Eccleſiæ beato conjugio caſtisque deliciis. In poſtremo tamen proſequendo, non tam ſuos quam Patrum exponit ſenſus, quorum non mediocrem apparatum cum invenerit, etiam in optimis quibusque ſeligendis amplam facere ſegetem induđus eſt. Sicubi tamen & in reliquis efflagitare neceſſitatem opinatur, calamo ſuo fræna laxat uberius, utputa, quando ad Coh. XII, 7 Grotii ſententiam examinat, qui loco iſti parallelum faciat effatum Euripidis: reverti res omnes eo, unde ortæ ſint, corpus quidem in terram, ſpiritum vero ad æthera. Sed Auctor noſter parum id abeſſe dicit ab illo Virgilii: atque in ventos aura receſſit. Quando item Sir. LI, 14. in verbis: Invocavi Dominum, Patrem Domini mei; haudquaquam a Chriſtianis demum iſtud *κυρίε* additum fuiſſe, contra eundem Grotium oſtendit. De cætero brevem capitibus ſingulis præmittit ſummam, textumque librorum e Latina vulgata depromit, ita tamen, ut in Eccleſiaſte Hieronymianam, in Eccleſiaſtico Sixtinam, quam dicit, verſionem ſimul exhibeat.

Appendicis loco ſupplenda quædam in Pſalmos addit, notas ſcilicet ſuas ſuper eos olim editas aliquot in locis emendans. Cum enim multos queri cognoſceret, a novitiis expoſitoribus obſcurari Prophetarum de Chriſto vaticinia, præſertim Davidica, quæ cæteris clariora habeantur, exemplis quibusdam in medium allatis hæc talia vindicare ſtuduit. Ac in prooemio quidem adverſus *Grotium*, ejusmodi teſtimoniis geminos affingentem ſenſus, ex inſtituto diſputat, & poſtmodum in Pſ. II, 7. XVI, 8. XLV, 7. CX, 1. 3. XXII, 17. 19. LXVIII, 22. CIX, 8. diſerte ac proprie de præcipuis Chriſti myſteriis ſermonem eſſe, ſolidis argumentis evincit.

LETTRE DE MONSIEUR DE Vrigny &c.

i. e.

Epiſtola Domini de Vrigny, contra Antitrinitarios, Tolerantes, & Moraliſtas, cum Animadverſionibus ad librum, cujus titulus: *Religio naturalis.*

1693. in 8. Plag. 6.

Nun-

Nunquam defuerunt quidem inter cœleſtis doctrinæ vindices, qui ſtrenue obviam irent Chriſti Servatoris hoſtibus, Socinianis; & inter Reformatæ Eccleſiæ Doctores cumprimis hoc munere functi ſunt Mareſius, Hornbeckius, Jurius, Claudius, Abaddius: nihilo ſecius tamen, ut precibus amici faceret ſatis Epiſtolæ hujus Auctor, ipſe quoq; cum illis deſcendere in arenam, non detrectavit. Ea tamen lege, ut non aliis armis, quam quæ Scriptura Sacra illi ſuppeditat, pugnet, inconſultæ ſapientiæ eſſe credens, Metaphyſicorum cohortes vocare in ſubſidium. p. 4.

Hoc ergo ſibi adſtruendum præcipue ſumpſit, Chriſtum Servatorem noſtrum eſſe verum Deum. Quod ſi quis evicerit, haud difficulter ab Antitrinitariis impetrabit, ut & Spiritum Sanctum pro vero Deo reputent. Provocat autem ad divinarum literarum documenta luculentiſſima. Ab Eſaia, divino vate, Meſſias diſerte vocatur Deus, *c. VII. 14.* Magi atque paſtores, cum naſceretur, divino eum proſecuti ſunt honore, *Matth. II. 23.* Cum ſolenni quaſi ritu per baptiſmum conſecraretur, vox Numinis delapſa cœlitus, omnes de eadem te certiores reddidit, *Luc. III. 22.* Ipſe Servator hoc innuit, cum ſe Dominum Davidis vocat, *Matth. XXII.* Enimvero ex ipſa Domini voce, non contemnendum naſcitur argumentum. Hæc enim, in novo præcipue fœdere, divinitatis index eſt. Colligitur idem ex mandato, quo Chriſti diſcipuli, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, omnes homines ſalutari lavacro initiare jubentur, *Matth. XXVIII, 19.* Quod oraculum non tantum Servatori noſtro Chriſto, ſed & Spiritui Sancto divinitatis honorem præclare vendicat. Quid enim quæſo opus fuiſſet, inter Patrem & Spiritum, medium Filio tribuere locum, niſi Spiritus Sanctus diſtincta ſit perſona? Quam ineptum fuiſſet, virtutem Dei, reipſa cum Deo eandem, ab eo ita ſejungere? Johannes vero, Chriſto qui longe cariſſimus fuit, tantum non ubique hoc inculcat. Verbum apud Deum, quin ipſum Deum fuiſſe, per illud cuncta fuiſſe condita, teſtatur diſerte. Tantam vim hiſce aliiſque viri ſanctiſſimi documentis ineſſe Auctor arbitratur, ut quicquid reſponſuri ſint veritatis hoſtes, tale tamen illud fore credat, quod cordatis hominibus gravedinem moveat atque tuſſim. Ex quinto, decimo, & duodecimo capite præcipue hoc commonſtrari poteſt, ubi de ſe talia ef-

p. 6. p. 7. p. 8. p. 9. p. 10.

p. 12. fatur Servator, quæ creaturæ ſortem infinitis excedunt modis. Nec
purgaſſet ſe ab objecto blaſphemiæ crimine, dum reſpondit, ſe in
Patre, & Patrem in ſe eſſe, ſed ſcelera cumulaſſet ſceleribus, ſiquidem
non fuiſſet talis, qualem ſe eſſe prædicabat, verus nimirum æter-
nusque Deus. Quocunque etiam ſe vertant ſanctiſſimæ Trinitatis
hoſtes, frigide illud Johannis oraculum *c. III, 16.* eos interpretari
p. 13. neceſſe eſt. Ergone tanti fuit creare hominem qui ceteris ſalutis
monſtraret viam? Cur igitur tantopere hunc amorem ſacer Spiritus
deprædicat? Tædere tandem hoſce homines ineptiarum debebat.
Sed ineptire illis ſolenne eſt. Hinc & aliud Servatoris effatum
Joh. VIII, 58. æque ridicule interpretantur. Jam & divum Paulum
p. 14. in ſcenam prodire jubet, ad convincendos erroris Antitrinitarios.
Redarguit ille Romanos *Cap. I. 25,* quod tali honore creaturam
proſecuti ſint, qui ſoli conditori rerum omnium debebatur. Aſt
nonne ipſe hanc incurriſſet reprehenſionem, ſi, quem annuntiabat il-
lis, Chriſtus non fuiſſet verus Deus? Spiritum vero *Chriſti* quo pacto
& Spiritum Dei vocare potuiſſet, ſi Chriſtum non habuiſſet pro vero
p. 15. Deo? Sed conſtat ſibi vir divinus. Egregie enim pro hac ſenten-
p. 16. ad 20. tia pugnat *1. Cor. X,* ſi conferatur cum *Num. XXIII.* item *Gal. I. 1.*
Philipp. II. 6. Coloſſ. I. 15. 16. & alibi. Sed præcipue in primo capi-
te Epiſt. ad Hebræos, tam magnifice de Chriſti Deitate verba fecit,
ut diſerte hunc in finem Apoſtolum Numinis afflatu perculſum, hæc
literarum monumentis conſignaſſe, Auctor credat. Paulo ſuffra-
p. 21. gatur Petrus *II. Ep. I. 1,* & in *I. Ep. V. 7* divus Johannes, & hic rur-
ſus tam evidenter, ut quod reponere poſſint, non inveniant veritatis
hoſtes, niſi illud, ſuppoſitum eſſe ab alio hoc oraculum, nec Johan-
nem agnoſcere auctorem. Inepte profecto, cum 1) in pluribus
codicibus manuſcriptis extet, eodemque uſus ſit Cyprianus; 2)
Hieronymus quoque teſtis nobis locuples ſit, Arianorum fraude ex
quibusdam codicibus illud fuiſſe eraſum; 3) nexus ſubſequentium
commatum idem doceat; 4) nihil aliud dicat, quam quod & alia
Scripturæ ſacræ documenta æque clare & diſerte inculcant. Sed
& in *V. cap. epiſt. I. verſ. 20.* idem a Johanne innuitur, cum quo & Ju-
p. 22. das *v. 4. Epiſt.* ſuæ conſentit. Agmen claudunt teſtimonia, quæ ex
Apocalypſi Johannea Auctor collegit.

p. 24. Nec luci huic caligo offunditur ex illis divinarum littera-
rum

Digitized by Google

rum oraculis, quæ Filium Patre minorem eſſe aſſerunt. Enim vero cum Chriſtus Servator noſter, non tantum verus Deus,ſed & verus homo ſit,haud difficulter ab unoquoq;, quid ad ea reſponderi debeat,intelligitur; & qui inde cauſæ ſuæ præſidium aliquod allatum iri credunt, Antitrinitarii, nubes atque inania prenſant. Ceterum uſus eſt Auctor novi fœderis documentis tantum, tum quod in libris V.T. non tam clare & perſpicue hæc doctrina inculcetur, tum etiam maxime, quod N. T. libros pluris ipſi Sociniani faciant.

Jam ad argumenta ex fidei analogia deprompta progreditur. p. 25.
Vates nimirum divinos prædixiſſe ait, Meſſiam omnes gentes adducturum ad cognitionem & cultum veri Dei. Sed vero omnes gentes, quæ Chriſtum pro vero Meſſia reputarunt, cognoverunt & adorarunt Deum, prout in una eſſentia divina ſunt tres perſonæ, Pater, Filius,& Spiritus Sanctus. Unde conſequitur,aut Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, aut Jeſum Chriſtum non eſſe verum Meſſiam. Propoſitionem extra litem eſſe contendit. p. 26.
Aſſumpti veritas inde potiſſimum, quod omnes gentes, quæ Chriſtianam doctrinam amplexæ ſunt, ſimul Deum agnoverint, unum in eſſentia, in perſonis trinum, innoteſcit. Adeoque argumentum ex propagatione doctrinæ cœleſtis, ejusque diffuſione,præcipuum accipit robur. Antitrinitarium quendam, qui hoc argumento urgebatur, reſpondiſſe refert, vaticinia hæc nondum eſſe impleta. Sed utut concedatur, quod cupiebat, hæc demum in ſecundo Chri- p. 27.
ſti adventu eſſe implenda, nihilo ſecius ex parte impleta fuiſſe, nemo ſanæ mentis abnuerit. Ridiculum enim,quin impium aſſerere, primum Chriſti adventum huc pertinuiſſe, ut tantum Antitrinitarii vera ac ſalutari cognitione Chriſti imbuerentur. Id quod cum fine, ob quem Meſſias inter mortales comparuit, plane pugnat. Cum hac via ſe non proficere intelligeret Antitrinitarius, aliam ingreſſus eſt, & Arianos Sabellianosque vocavit in ſubſidium. Sed inepte; p. 28.
cum hi omnes toto cœlo a ſe invicem differant. Hac occaſione Auctor monet, hunc demum feliciter cum Antitrinitariis deſcendere in arenam, qui ab iis impetrat primum, ut aut Socinianorum, aut Arianorum, aut Sabellianorum, ſententiæ ſe adſtipulari profiteantur. Hoc enim ſi faciant, ut placita ſecum pugnantia admittant, neceſſe eſt. Sed cum Socinianus iſte, de quo ante ſermo erat, nec p. 29.
hac

Digitized by Google

hac ratione ſe expedire poſſet, tandem negavit aſſumptum, addens, etiam Mahumedanos ad verum Dei cultum eſſe adductos, & eos nihilo ſecius Filio æque ac Spiritui Sancto divinum denegare honorem. Digna profecto Sociniano homine reſponſio! Jam nullam ſe videre rationem Auctor ait, quare non palam ad Mahomedanorum caſtra tranſeant. Et ita quidem copiæ iſtius hominis fuere
p. 30. 31. profligatæ. Sed vero & cetera diſcutit Auctor, quæ vim hujus argumenti infringere videntur. Forte enim quis exiſtimaverit, ſenſum divinorum oraculorum hunc eſſe, quod gentes a cultu idolorum ſaltem ſint abducendi. Ut ut autem Chriſtiani in alium errorem lapſi ſint, Deum trinum in perſonis adorantes, hunc tamen tolerabiliorem eſſe, quam gentilium idololatriam. Vaticinia hæc igitur fuerunt adimpleta, cum ingens illorum numerus fuerit, qui ab Ethnicorum idololatria ad Chriſtianam fidem ſunt traducti: præſertim ſi cum illis, qui tempore V. Teſtamenti ab idololatriæ crimine immunes erant, conferantur. Quæ ſane perperam ita diſſeruntur. Enimvero prædixerunt Vates, quod non ad alium cultum, ſed ad ſalutarem cultum veramque Numinis cognitionem homines ope Meſſiæ ſint perventuri. Si vero cognitio tot gentium, quæ Deum unum in eſſentia & trinum in perſonis adorant, eſſet erronea,
p. 32. quo pacto poſſet eſſe ſalutaris? Si porro regerant, aliam fuiſſe Chriſtianorum ante Concilium Nicænum hac de re ſententiam, oppido falluntur. Juſtini Martyris enim, Irenæi, Tertulliani, aliorumque documentis, jampridem evictum eſt, ſecus ſe rem habere. *Præcipue* vero id patet ex Symbolo Apoſtolico. Licet enim, qua ætate iſtud confectum ſit, certo definiri nequeat, extitiſſe tamen ante concilium Nicænum extra litem eſt. Quo pacto autem ex hoc Symbolo impu-
p. 33. 34. gnari Trinitatis ſanctiſſimæ hoſtes queant, prolixius Auctor ediſſe-
p. 35. rir. Adjicit teſtimonium Luciani, qui in Dialogo, cui titulus eſt Philopatris, de Trinitate perſonarum, quam Chriſtianis illuſurus, myſterium arithmeticum vocat, tam clare & diſtincte loquitur, ut in libellis doctrinæ Chriſtianæ formulam complectentibus, nunquam proponatur dilucidius. Quod ſi non communis omnium Chriſtianorum hæc fuiſſet doctrina, non ſane ex hoc cumprimis capite illis homo irriſor illuſiſſet. Quin Triephon, qui in hoc Dialogo doctoris perſonam ſuſtinet, ad Critiam diſcipulum dicit, quod a Paulo hoc acce-

Digitized by Google

acceperit, documento irrefragabili, credidiſſe Lucianum, Chriſtianos hoc myſterium a divo Paulo fuiſſe edoctos. Sed & illud hujus ſententiæ veritatem evincit, quod Concilii Nicæni decreta, nemine repugnante, a tot populis fuerunt recepta. Quis vero putat fieri hoc potuiſſe, ſi Concilii hujus Patres hanc demum doctrinam inveniſſent? p. 36.

Cæterum cum ex iis, quæ Auctor hactenus diſſeruit, conſequi videatur, ac ſi amplitudinem pro charactere veræ Eccleſiæ venditet, concedit quidem, recte hinc notam Eccleſiæ peti, ſi ea opponatur Eccleſiæ Judaicæ. Sed vero de Chriſtianis, qui in diverſas abierunt ſententias, itidem ita colligi poſſe, hanc veram eſſe Eccleſiam, quæ multitudine hominum reliquos cœtus ſuperat, negat. Secus enim rem ſe habere, ex divinis edocemur literis. p. 37.

Sed ad caput cauſæ quod attinet, addit, ei qui aſſerit, non veram ſed erroneam Chriſtianos Numinis habere cognitionem, hoc quoque concedendum eſſe, Judæos ac Mahumedanos rectius cognoſcere Deum quam Chriſtianos, illosque adeo ſalutem ſibi polliceri poſſe, quæ hiſce denegetur. Affert & alia hunc in modum, quæ ad firmandam ſententiam faciunt. Præcipue ſi quis novi veterisque fœderis habitum ſecum invicem conferat, hunc plane convictum iri, ſibi perſuadet. In V. T. enim ſumma totius religionis erat Jehovah: ſi ergo Chriſtus non eſt verus Deus, ſequitur, quod in N. T. ubi clarior tamen Dei cognitio eſſe debebat, creatura occupaverit locum ſedemque Creatoris, & non ſine ſacrilega impietate honorem Deo competentem ſibi vendicet. Chriſtus enim eſt fidei, ſpei, atque cultus Chriſtiani objectum. *Rom. XV, Epheſ. II, Philipp. II, Hebr. I.* Non ergo regnum & gloria Dei per Meſſiam fuiſſet amplificata, ſed potius obſcurior facta, quia Deo vero erepta. p. 38. p. 39.

Non minus quoque ex ſatisfactione pro noſtris criminibus, quæ arcto adeo vinculo cum Chriſti Deitate eſt conjuncta, ut hac admiſſa illam inficiari nemo poſſit, & vice verſa, evinci luculenter poteſt, Chriſtum eſſe verum Deum. Tria vero hic Auctor ſupponit: primo eſſe in Deo virtutem, quæ juſtitia vocatur; deinde, hanc juſtitiam eſſe infinitam; & tandem, eam ſe nunquam non exerere, ſi quid illi offeratur, circa quod ſeſe exerere poſſit & debeat. Primum ex ratione, & conſenſu omnium gentium, ut & teſtimonio p. 40. p. 41.

divi Pauli *Rom. I, & II.* manifeſtum eſſe contendit. Alterum vel ex ſola patere ratione, cum virtutem eſſentiæ infinitæ & perfectiſſimæ, itidem infinitam eſſe oporteat. Tertium denique inde conſtat, quod non ſit, ſi ſe non exerat, neque ſanctitas Dei, quæ eſt fons juſtitiæ, permittat, ut impune crimina committantur. Hinc ita rationes ſubducit: non poſſe quenquam divinæ juſtitiæ facere
p.42. ſatis, niſi qui & ipſe verus Deus ſit. Si ergo Chriſtus Dei Patris placavit iram, & hominum expiavit ſcelera, eum verum eſſe Deum neceſſe eſt. Etenim inter Numinis ſanctitatem, conditionemque creaturæ, tanta intercedit intercapedo, ut quantumvis excellens creatura
p. 43. fuerit, non tamen ejus placare iram queat. Placaſſe vero Chriſtum, ſingulæ Scripturæ paginæ nos docent. Nec obſtat, quod voce ſatisfactionis Scriptura ſacra non utatur: ſufficit quod rem ipſam ex-
p.44. ponat ediſſeratque luculentiſſime. Si quis contendat, potuiſſe Deum & alia ratione ſaluti hominum conſulere, adeoque inde non ſequi, Chriſtum eſſe Deum, is certe de Numinis ſapientia non ita, ut oportet, ſentit. Ineptus habetur, qui ambagibus utitur in iis, quæ paucioribus fieri poterant. Quis ergo dubitet, Deum ſapientiſſimum alia ratione hominum ſaluti fuiſſe conſulturum, ſi quidem conſuli potuiſſet. Accedunt Scripturæ oracula, quæ teſtantur, ne-
p. 45. ceſſe fuiſſe, ut hæc omnia ſubiret Chriſtus, *Luc. XXIV.* & alibi.

Tandem concludit Auctor, Antitrinitarios inter homines ra-
p.46.47. tione ſua recte utentes non poſſe referri. Qui enim ſapit, ille com-
47. munem ſententiam ab omnibus receptam & approbatam non deſerit, priusquam demonſtratum ſit firmiter, hanc ſententiam eſſe falſam: ſola dubia non adducunt virum ſapientem, ut a recepta doctrina recedat. Jam vero ſi ab ipſo Ebione atque Cerintho familiæ ſuæ originem repetant Antitrinitarii, non tamen evincent, ſuam ſententiam communiorem, aut magis receptam fuiſſe, quam illorum qui ſecus opinantur. Ebionem inſuper & Cerinthum quilibet cordatus execratus eſt; ipſe quoque Johannes, ſi vera ſunt quæ traduntur, refutavit. Non eſt hominis ſapientis, ſententiam falſam, damnatamque ab Eccleſia Chriſtiana, defendere, & rationi corruptæ plus deferre, quam divinæ revelationi.

p.49. Debellatis Antitrinitariis, aggreditur Tolerantes, qui ipſis Socinianis pejores, charitatem ſumentes obtentui, unionem fidei plane ever-

Digitized by Google

evertant. Si enim ex illis quæras,ſit ne ferenda doctrina, quæ gloriam Dei imminuit, hominibus aditum ad ſalutem intercludit, reſpondebunt ſine dubio, non eſſe ferendam. Si inferas, ergo nec Antitrinitariorum doctrinam eſſe tolerabilem, fateri cogentur, hanc cum gloria Dei non pugnare, per hanc ad ſalutem homines ire; ſaltem eo ſe recipient, ut dicant, non ſatis ſibi ex Scriptura conſtare, an Antitrinitariorum doctrina pro tali reputari debeat. Et ſic tandem Tolerantium religio in Pyrrhoniſmum degenerabit.

Sed refelli Tolerantia & ita poteſt. Aut Filius Dei plane non eſt Deus, aut ſane neceſſe eſt Scripturam ſacram ſufficienter hoc revelaſſe. Non aliunde enim, quam ex hac, ea de re certiores reddimur. Quis vero credat, Scripturam non luculenter deſignare, quis verus Deus ſit? Poſſet ne,ſi hoc non feciſſet, via veritatis vocari? Si ergo docet, qui poteſt homo Chriſtianus ferre eum, qui huic revelationi tam pertinaciter refragatur? Paucis,ſi Tolerans non credit, Scripturam evidenter teſtari,Filium Dei eſſe verum Deum, ſequitur, quod Filium Dei pro Deo non habeat. Ratio hoc non dictitat. Deus,ex ejus ſententia, non revelat. Unde ergo illi hac conſtabit? Si regerat, ſe quidem non inficiari, Chriſtum eſſe verum Deum, ſaltem dubitare, nihil dicit. Dubitare enim eſt non credere. Non minus Atheis accenſetur,qui dubitat an Deus ſit, ac ille qui plane hoc inficiatur. p. 51. p. 52.

Graviorem eſſe Tolerantium errorem quam Antitrinitariorum, inde patet, quod hi ideo non credant, quia Scripturam ſacram hoc non aſſerere putant, & rationi inſuper tale myſterium refragari videatur: illi, utut convicti ſint, Scripturam hoc docere, non tamen hoc creditu neceſſarium putant. Ergo neceſſarium non eſt, credere illum verum Deum eſſe, qui verus Deus eſt! cum tamen religionis totius veritas in hoc capite verſetur. Ergo neceſſarium non eſt, credere illum noſtra expiaſſe crimina, qui expiavit! cum tamen ſatisfactio iſta nobis non proſit, niſi apprehendatur fide. Saltem iſtud inde conſequitur, Tolerantes eſſe occultos Antitrinitarios, ſubditisque infidelibus ſimiles, qui fidem ideo præ ſe ferant, ut Principem eo tutius prodant. p. 53.

Sed Doctores Tolerantium hujus criminis rei ſunt: ſimpliciores enim, quibus falſa charitatis imponit ſpecies, non quidem p.54. ad 57.

Digitized by Google

ob malitiam, attamen ob ignorantiam, certe inexcuſabilem, jure
meritoque reprehenduntur. Conf. *Tit. III, I. Tim. VI, Rom. XV,*
I. Cor. I. Nimirum charitas non debet tollere zelum pro veritate.

p. 57. Characterem Tolerantium eſſe ait, Magiſtratui Chriſtiano fa-
p. 58. cultatem coercendi Socinianos abnegare, quod quo jure fiat, diſ-
quirit. Enimvero ut eadem in eccleſiaſtica ac civili ſocietate Ma-
giſtratus ſit auctoritas, neceſſe eſt, cum utrobique æque improbi
reperiantur homines. Sed & cum ſingulis mortalium incumbat,
pomœria regni divini dilatare, cur non etiam idem faciat Magiſtra-
tus, hunc maxime in finem a Numine conſtitutus? Cumque Magi-
ſtratus crimina puniat, quibus homines proximum lædunt, cur etiam
non puniat, quibus Deus ipſe læditur? Si dicas, id fieri, quia hæc
vitia etiam humanis legibus prohibita ſint, regerit, leges humanas
apud Chriſtianos omnem vim a divinis accipere: Magiſtratum quo-
que, non tantum ut humanis, ſed & ut divinis legibus ſua conſtet
ſanctitas, eſſe conſtitutum.

p. 59. Ne vero ſubſcribere Auctor videatur illorum ſententiæ, qui
ſine ratione in quosvis diſſentientes ſæviunt, tolerantiam eccleſia-
ſticam a civili diſcernendam ait. Illam plane damnat, nefasque
eſſe pronunciat, hæreticos, priusquam reſipuere, in ſinum Eccleſiæ
recipere. De hac porro docet, diſpiciendum, num leges funda-
mentales quosdam ferre jubeant, an vero hoc ſolum connivendo
fiat. Quos lex publica tuetur, eos violare nefas, niſi publicam
rem turbent. Qui autem per conniventiam feruntur, *illos quidem*
p. 60. ejici poſſe, cum ſtudium conſequendi majorem libertatem religio-
nemque propagandi haud raro illos impellat, ad officia boni ſubditi
migranda; aſt eripere illis vitam, ſævire in corpora, fortunis ſpo-
liare, hoc ejusmodi eſſe putat, quod ſolum Antichriſtum deceat.

p. 61. Alter Tolerantium character eſt, quod religionem nihil aliud
quam morum doctrinam eſſe putent. De ſummis myſteriis parum
ſunt ſolliciti; contra ad mores fingendos formandosque cuncta tra-
hunt. Hinc illorum doctrina cadaveris inſtar vita & ſpiritu deſti-
tuitur. Fidem enim ignorant; nec enim cognoſcunt Spiritum ſan-
ctum fidei auctorem, nec Jeſum Chriſtum fidei objectum. De Deo
& ſanctificatione prolixus illis ſermo eſt. Sed Deum ut conditorem
& judicem venerantur: ab eo ſe redemptos eſſe abnuunt. Sancti-
ficatio

Digitized by Google

ficatio autem qualis eſſe poteſt, quæ non auctorem agnoſcit Spiritum ſanctum? Hosce & alios eorum errores Auctor redarguit. Cum vero & fidem ab operibus ſejungant, & hiſce plus tribuant, quam illi, ad N. T. eos ablegat, cujus ſingulæ paginæ doceant, per fidem hominem juſtificari. Subjungit denique capita quædam ex Johannis d'Eſpagne libro de Erroribus popularibus, quæ prolixe oſtendunt, in quanto errore verſentur, qui Chriſtianam religionem in nudam morum doctrinam commutant. p.62. p. 63. ad 71.

Tandem & animadverſiones in Petri Chauvini librum de Religione Naturali, cujus ſummam retulimus A. 1693, menſe Novembris, pag. 499, ſubnectit. Hunc quippe pluribus erroribus, & quidem gravisſimis, ſcatere contendit; auctorem etiam ita ſæpius ſecum pugnare, ut refelli ab alio non felicius potuiſſet. Hoc uno alterove documento demonſtrare ſecum conſtituit. Nos præcipua memorabimus. p.72.

De religione ad ductum rationis ſolum ſe acturum Chauvinus profitetur: & nihilo ſecius de Chriſtiana & Judaica religione diſſerit, quæ verbo revelato plane innituntur. Hominem, ſi lumen naturale ſequatur, æternæ felicitatis compotem fieri poſſe, contendit: ſed ne unico quidem Scripturæ ſacræ oraculo hanc ſententiam, a cordatioribus ſemper rejectam firmat. Confundit lumen rationis cum revelatione facta Adamo poſt lapſum. Homines quoque ante diluvium viventes, ipſumque Jobum, lumine revelationis deſtitutos fuiſſe, perperam ſibi perſuadet. Pugnantia ſecum loquitur, dum circa hosce divinæ providentiæ curam maxime patuiſſe, ejusque ope ad ſalutem æternam eos perveniſſe, & nihilo ſecius ductu luminis naturalis tantum beatorum occupaſſe ſedes, aſſerit. Quod Actor. IV legitur, non eſſe in alio quoquam ſalutem, quam in Servatore noſtro Jeſu Chriſto, id falſo ad eos tantum trahit, qui notitia doctrinæ Evangelicæ ſunt imbuti. Decretum electionis & reprobationis arbitrii noſtri libertatem tollere docet: quam tamen jam ipſe antea everterat, conſervationem ita explicans, ut per eam eſſentiam creaturarum ab uno momento ad aliud transferri putaret. Deus, ex mente ejus, non tantum externis & communibus, ſed internis quoque ac ſingularibus mediis utitur, ad hominem convertendum: ſed cum hisce æque ac illis reſiſti poſſe addat, ſine ratione p. 73. p.74. p.75. p.76. p.77.

Digitized by Google

tione particularia media communibus jungit. Sapientiam, juſtitiam, & miſericordiam Numinis non permittere cenſet, ut eligat,
p. 78. qui hoc non merentur, aut rejiciat, quos non audivit. Quo ipſo prodit, ſe ignorare prorſus, quid aut electio ſit, aut reprobatio. Ut quis vel in ipſo ætatis flore extinguatur, vel ad ſenectutem provehatur, penes hominem tantum ſtare autumat. Sic deſtruit ſententiam a ſe ante comprobatam, providam Numinis curam etiam circa ſingulos verſari homines; ſic evertit, quæ de conſervatione præceperat ipſe;
p. 79. ad 82. ſic diſertisſima Scripturæ effata parum penſi habet. Conſcientiam
p. 82. nihil aliud, quam ipſum Deum eſſe ait, animæ noſtræ inſidentem, & cum ea recondita quadam ratione differentem. Mox, non Deum, ſed conſcientiam homines ſæpius cohibere, & a perpetrandis malis facinoribus revocare, docet. Si autem Deus intime animæ noſtræ junctus eſt, qui fit, ut ſæpius in mala præceps ruat anima noſtra? Ergo Deus eam regere nequit? Qualis vero hic eſt arbitrii noſtri liber-
p. 83. 84. tas, quam tanto conatu adſtruxerat? Adeo ſibi non conſtat. Quæ mox largitus eſt homini, rurſus eidem eripit. Id quod cumprimis ex 17 capite conſtat. A blaſphemia prope abſunt, quæ ibi leguntur verba: *adde, quod non poſſumus mente concipere, ut, quo tem-*
p. 84. 85. *pore duo ſcientisſimi actores Deus & homo concurrunt &c.* Religionem Judaicam in plerisque naturæ conformem eſſe probat. Myſteria ſumma rationi valde convenientia eſſe, deprehendit. Sacramenta quoque Chriſtianorum Gentilibus debere originem, pronuntiat. Ex Ethniciſmo potius quam Judaiſmo Chriſtiani cultus natales derivat, inſuper habens, quod alibi ſcripſerit, Ethnicorum religionem ex V. T. libris fluxiſſe. Religionem Chriſtianam naturæ maxime conformem eſſe dicit, & nihilo ſecius eandem ex Judæorum & Eth-
p. 86. nicorum religione conflatam putat, quarum illam naturæ quidem convenientem, hancce vero maxime adverſam eſſe, probaverat. Rurſus, nullum eſt Chriſtianæ religionis caput, quod non in Ethnicorum deprehenderit cultu. Hic fidem, miracula, vaticinia, hic præcepta de ſui abnegatione, de diligendis inimicis, ceteraque ita ſe inveniſſe gloriatur, ut utramque religionem ſororio fœdere jungi, aut Chriſtianam pro filia Ethniciſmi recte haberi, opinetur. Soci-
p. 87. nianos impudentia vincit, quando Chriſtum, dum inter mortales verſabatur, cultu religioſo adoratum fuiſſe negat. De myſterio Trini-

Digitized by Google

Trinitatis differens, impie dicit: quæ ſupra nos, nihil ad nos. Legem naturalem cordibus noſtris inſcriptam eſſe, inficiatur. Cum enim tenera infantum ætas nec præſcriptis regi poſſit, nec peccatis, quæ actualia vocantur, contaminetur, ſupervacaneum hoc futurum colligit, ſi Deus legem hominum mentibus inſcribat. Nimirum imprudenter illud ſupervacaneum putat, cujus non ſemper ſeſe exerit uſus; cum etiam illud utile ſit, quod quandoque uſum exerere poteſt. Sane ſecus D. Paulus ſentit *Rom. II, 14, 15*. Sed vero & hic ſibi ipſi refragatur. Alibi enim in anima noſtra, immotæ veritatis effata, eaque innata eſſe docet, regulasque generales vitæ dirigendæ inſervientes. Peccatum originis incrementa viresque ſumere, prout ipſum hominis corpus augetur, exiſtimat, turpiter originale peccatum cum actuali confundens. Peccatum originale non mereri æternam mortem, contra Patrum & doctisſimorum Theologorum ſententiam, contra luculentisſimum D. Pauli teſtimonium *Rom. V, 12. I. Cor. XV, 21, 22* contendit. Idem ex corpore provenire aſſerit, cujus impetum cum ferre anima nequeat, ſed ſuccumbat, arbitrii libertatem, cujus tam ſtrenuus eſt aſſertor, ipſe iterum tollit. Ita diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. p. 88. 89. p. 90. p. 91.

Hosce Chauvini errores indicare, Vrignyus neceſſarium eſſe putavit, tum ne liber hicce, quem Atheiſmi ſemina continere dicit, lectores det præcipites, tum ut auctor ipſe rectius ſapere diſcat. Longe plures quidem ſe obſervaſſe addit, ſed poſſe eos a quolibet deprehendi. p. 92.

ECLAIRCISSEMENS SUR UN LIVRE de la Religion Naturelle &c.

i. e.

Dilucidationes ſuper librum, cujus titulus: *Religio Naturalis* &c.

Roterodami, apud Petrum van der Slaart, 1693. 8.

Plag. 8.

Quæ

Quæ in Petri Chauvini libro, quem de Naturali Religione ſcripſit, reprehendat Vrignyus, commemoravimus. Jam quid ad hæc regerat Chauvinus, referre operæ erit pretium. Aſt non cum uno homine ſibi rem eſſe aſſerit. Vrignyi quidem nomen librum præ ſe ferre, ſed alium hujus fœtus eſſe parentem, cujus, ne innoteſcat, intererſit.

Cap. I. Et initio quidem illud ſibi diſcutiendum ſumpſit, an lumen naturale ad æternam ſalutem conſequendam ſufficiat? Quia enim hoc affirmaverat, ideo vapulavit Vrignyo. Enimvero, cum hominem a Deo plane dependere doceat, nunquam hoc ſibi in mentem veniſſe, ut putaret, ſuis tantum viribus ad æternam felicitatem homines pervenire poſſe, profitetur. Solum hoc ſe aſſerere, quod illis hominibus, qui ad rationis præſcriptum ſuas actiones, divina gratia adjuti, componunt, ſpes ſalutis non debeat denegari. Hoc jam rationibus firmaverat in ipſo de Naturali Religione libro, & hic denuo prolixius edisſerit. Fuiſſe quoque in hac ſententia Clementem Alexandrinum præſulem: quem ut ſecus exiſtimaſſe crederet, a ſe non potuerit impetrare Caſaubonus. Nec Chriſtianæ religioni hanc opinionem eſſe fraudi, præſertim ſi expendatur, ſe non docere quid fiat, ſed quid fieri poſſit; loqui etiam ſe de divina providentia, quæ non ſemper ſuetum agendi teneat modum.

Cap. II. Confundere Chauvinum revelationem, per quam hominibus ante diluvium viventibus, ipſique Jobo, via ſalutis innotuit, cum ratione, Vrignyus contendit. Iſtud vero eſt, quod inficiatur Chauvinus, qui hosce omnes tantum lumen habuiſſe naturale, caruiſſeque lumine revelationis, denuo probare nititur. Si vel maxime hominibus ante diluvium qui vixerunt, traditio concedatur, hanc tamen obſcuram, &, ut ipſe loquitur, valde langueſcentem fuiſſe. Nec doctrinam de ſemine mulieris arguere, eos clara & diſtincta de Meſſia cognitione fuiſſe imbutos. Falli, qui tum hiſce, tum & Judæis claram Meſſiæ cognitionem tribuunt, cum Judæi ipſi Meſſiam regnum aliquod terreſtre conditurum, putaverint.

Cap. III. A perjurii crimine ſe purgat, & quousque juramentum, quo ad certam doctrinæ formulam verbi divini miniſtri alligantur, obliget, oſtendit. Probare cumprimis annititur, poſſe quandoque aliquem a placitis, a quibus ſe non receſſurum juraverat, recedere, ſi veritas hactenus incognita illi innoteſcat. Con-

Conſervantur ex mente Chauvini res creatæ, cum a Deo ab uno momento in aliud quaſi transferuntur. Non male quidem, judice Vrignyo; niſi quod ſua cædere videatur vineta, libertatemque, quam homini conceſſerat, rurſus illi eripere. Hic ergo Chauvinus docet, quo pacto libertas hominis cum hac ejus a Numine dependentia conſiſtere poſſit, diſtinguitque inter dependentiam phyſicam & moralem. Reprehendit hac occaſione illos, qui hominem in converſionis initio *paſſive*, deinceps *active*, ut in ſcholis loquuntur, ſe habere docent, itemque qui gratiam in prævenientem & cooperantem diſtinguunt. Tandem quo pacto gratia Numinis non evertat hominis libertatem, prolixius exponit. Nec ſupervacaneum eſſe, mediis converſionis generalibus addere ſpecialia, contra Vrignyum evincit, nefas eſſe autumans, de abundantia gratiæ divinæ conqueri. Cap. IV.

Quod gratiæ divinæ, mediisque tum externis tum internis reſiſti poſſit, probat ex Eſa. V, 4. Hic Deum ſiſti, non ut legislatorem, ut quidam putant, ſed ut patremfamilias, tum ab amorem erga populum, tum ob aſſiduitatem, quippe qui ſepimento munivit vineam, i.e. media externa adhibuit, tum omnia eo contulit, ut lætius vites creſcerent, fructusque uberiores ferrent. Nihilo ſecius ſpes eum fefellit. Non enim Deus homines convertit per potentiam abſolutam, cui reſiſti nequeat, ſed ut ſacræ literæ loquuntur, *funibus amoris* eos trahit ad ſe allicitque. De electione & reprobatione quæ docuit Auctor, contra Vrignyum ita tuetur, ut denuo inculcet, decreta electionis & reprobationis pugnare cum natura Numinis, ejusque juſtitia, æquitate, ſinceritate. Præſupponere electionem objectum ejusmodi virtutibus præditum, ut eligi poſſit. Quis vero affirmare auſit, homines criminibus coopertos, tales eſſe? Cap. V.

De termino vitæ humanæ, ſuam ſententiam repetit, & ad Jobi oraculum c. XIV. 5. reſpondet, non aliud hoc ipſo innui, quam vitæ humanæ brevitatem. Dicitur enim חרוצים ימין *conciſos* quaſi *præciſosque* eſſe dies noſtros. Aut ſi admittatur, hoc ſibi velle ſcriptorem divinum, terminum vitæ humanæ eſſe conſtitutum, non aliter tamen quam terminus maris poterit concipi. Eandem vitæ humanæ brevitatem, ejusque miſerias indicat Pſalmus XC, 10. Suam contra ſententiam firmat exemplo Ezechiæ Eſa. XXXVIII, 1. A vero Cap. VI.

 enim

enim plane abhorret, ſi dicas, Deum ſolum hoc præ ſe tuliſſe, cum Ezechiæ denunciaret, inſtare illi vitæ finem. Rotunde enim & ſine ambagibus dixit: morieris, & non amplius vives. Quæ de diverſis climatibus attulerat Chauvinus, non ideo ſunt irrita, quod, ut Vrignyus ait, decretis media Deus jungat. De eo enim adhuc litem eſſe autumat. Nec feliciori ſucceſſu ex Matth. X, 30. Vrignyus colligit, 1) aſſerendum eſſe Chauvino, cognitionem DEI eſſe incertam; 2) hominem divinæ providentiæ ſubtrahi, ſi dicatur, terminum vitæ a Deo illi non eſſe conſtitutum. Ad primum enim regerit, cum decretis Dei non eſſe confundendam ejus ſcientiam. Deum cognoſcere omnia modo quodam infinito & infallibili, ſed ad objecti indolem attemperato, atque huic cognitioni plane aliquid divini & ineffabilis ineſſe. Ad alterum reſpondet, decreta Numinis a providentia ejus actuali poſſe abeſſe, ſatisque jam ceteroquin conſtare, quod hominem divinæ providentiæ non ſubtrahat. Atque hanc ſuam ſententiam nihil temere, nihil quod utile non ſit, & naturæ divinæ conveniens, aſſerere. Addit, modum divinæ providentiæ eſſe imperſcrutabilem. Tandem hanc opinionem non hodie aut nudius tertius enatam eſſe, monet.

Cap. VII. Perperam ab Vrignyo ſibi objici oſtendit, quod inter Deum ac Spiritum, ut vocat, reprimentem, diſcrimen conſtituat. Suam vero de conſcientia ſententiam vel ideo admittendam eſſe putat, quia per eam clare intelligitur, quid ſit Spiritus reprimens; deinde, quia nefas ſit diſtinguere, quæ diſtincta non ſunt. Nec obſtat, quod inde ſequi videatur, ac ſi Deus, homini tam arcto vinculo junctus, non cohibere & a peccatis revocare eum poſſit. Non enim Deus agit cum hominibus potentia ſua abſoluta, cui reſiſti non poſſit.

Cap. VIII. Cum Chauvinus concurſum Dei cum actionibus hominum malis explicaret, & receptam diſtinctionem, inter materiam & formam actionis rejiceret, hoc inter alia uſus eſt argumento: *Adde, quod non poſſimus mente concipere, ut quo tempore duo ſcientiſſimi actores, Deus & homo, concurrunt, unus quidem ſit inſons, alius vero culpabilis.* Blaſphemiæ hic Chauvinum arguit Vrignyus, quod Deum quaſi hominemque in unum redegerit ordinem. Aſt regerit Chauvinus, non abſolute, ſed conditionate hæc a ſe fuiſſe pronuntiata.

Chri-

Chriſtianam religionem utique conformem eſſe naturæ, contra Vrignyum aſſerit; ſed naturæ vocem ſibi denotare non corruptam, ſed integram illam puramque, monet. Probat autem, quod dixerat, ex Rom. XIII, 1. aliisque argumentis. Summa Chriſtianæ religionis myſteria naturæ conformia eſſe abnuit, nec unquam ſe hoc aſſeruiſſe fatetur. Hæc ſupra rationem ſunt. Sacrificia Romanorum expiatoria, ſacrificio, quod pro noſtris criminibus ſemel obtulit Servator, fuiſſe ſimilia, non negat. Nec ſibi hoc vitio verti poſſe putat, cum doctisſimi Viri Judæorum ritus ab Ægyptiis derivaverint. De Sacramentis Chriſtianorum hoc ſolum dixit: Chriſtiana religio videtur hæc ſpolia in ſua caſtra transtuliſſe. In Chriſtiana religione Judaiſmi & Ethniciſmi quidem veſtigia comparere, ſed ea, quæ in utraque rationi rectæ erant conſentanea, in Chriſtianam religionem eſſe recepta, cetera non item. Perperam ergo aſſerere Vrignyum, quod ſententias ſecum pugnantes admittat. Per fidem, eam ſolum ſe intellexiſſe, quæ dicitur hiſtorica, evincit. Virtutes quasdam, quæ Chriſtianorum propriæ dicuntur, apud Ethnicos ſe deprehendiſſe, non inficiatur. Quin recte hinc colligi, ſimilem eſſe Ethnicorum religionem Chriſtianæ; eandem eſſe, inde non ſequi. Cap.IX.

Chriſtum Servatorem noſtrum, dum inter mortales vixit, cultu religioſo non fuiſſe adoratum, inde probat, quia diſcipuli ejus eum non habuerint pro vero Deo. Quod nonnunquam vocetur filius Dei, id inde fieri ait, quia apud Judæos Mesſias hoc nomine inſigniri ſoleat. Magiſtri ac Domini titulum quibusvis fuiſſe communem. Non autem iſtud ſibi vult, ac ſi non teſtimonia extent, etiam ante mortem Chriſti, quibus probari posſit, eum fuiſſe verum Deum; ſaltem diſcipulos hæc non intellexiſſe contendit. Quoties autem legitur, eum fuiſſe adoratum, de cultu civili hoc eſſe intelligendum. Addit, non eſſe litem de jure, ſed de facto, num homines, cumprimis diſcipuli, eum adoraverint adoratione religioſa? Atque hoc eſt, quod inficiatur. Cap.X.

Legem naturalem cordibus hominum inſcriptam eſſe, nunquam ſe negaſſe profitetur. Non igitur opus erat tanto apparatu, ex Rom. II hoc probare. Solum de modo quæri. Hic vero illis, qui principia & ideas innatas defendunt, adſtipulari nequit. Idque rationibus probat. Legem naturalem in tenera ætate infanti[illegible]omni Cap.XI.

carere uſu, denuo contra Vrignyum inculcat. Nec quicquam illum proficere, qui dicit, illud pro utili eſſe habendum, quod uſum aliquando exerere poteſt. De præſenti enim, non de futuro, quæri, & ideo ſe negare legem iſtam infantibus utilem eſſe, quod in tenera illa ætate actiones ſuas ad eam componere nequeant. Concludit, animam noſtram eſſe inſtar tabulæ raſæ, eamque per facultatum ſuarum uſum deprehendere demum, quid jus, fasque & nefas ſit. Et in hac quidem ſententia ſe præter alios, & Cumberlandium ſibi ſuffragantem habere.

Cap. XII. Noachidarum præcepta a lege naturali & morali non differre, ſibi perſuadet Chauvinus. Aſt ſi quis inde cum Vrignyo colligat, ac ſi legem naturalem plane tollat, hunc quidem ſibi inferre injuriam profitetur. Peccatum originis ex corpore provenire, ſatis jam ſe ſtabiliviſſe putat, quemadmodum & illud, quod una cum corporis membris augeatur & incrementa ſumat. Enimvero certos peccati originalis eſſe gradus, adeoque poſſe augeri, inter alia inde patet, quod inter homines, quamprimum ratione uti incipiunt, alii aliis pejores ſint magisque improbi. Nec hoc ipſo cum peccato, ut vocant, actuali confunditur. Nihil enim obſtat, quo minus & peccatum originale poſſit vocari habitus. Nec ſemper per actus ſæpius reiteratos habitus comparatur. Sed ſi vel maxime non ſit habitus, nova potius depravationis ſpecies erit admittenda, quàm ut rei adeo manifeſtæ reluctemur. Tandem & iſtud addit, libertatem hominis, ideo quod anima labe iſta a corpore inficiatur, non tolli.

Cap. XIII. Reſpondet ad divi Pauli effatum, quod legitur Rom. V, 12. quo Vrignyus evicerat, peccatum originale æternam promereri pœnam, 1) directe hic non agi de infantibus, de quibus ſibi ſermo fuerit, nec 2) de morte æterna, niſi tantum ſecundario, & ſi 3) concedatur, de morte æterna Apoſtolum ſermonem facere, hoc tamen ita eſſe intelligendum, ne miſericordia divina anguſtis nimis circumſcribatur limitibus. Chriſtum ipſum pronunciaſſe ait, infantum eſſe regnum cœlorum. Si dicas, aſt baptiſmo non temporalem, ſed æternam mortem tolli; regerit, rectius aſſeri, baptiſmo peccatum originale tolli, ne noceat; inde autem non ſequi, ergo tolli mortem æternam; huic enim an infantes ob peccatum originale ſint obnoxii, adhuc in quæſtione eſſe. Tandem actuale peccatum majorem promereri

mereri pœnam, quam originale, contendit, refellitque ſecus ſentientes.

Denique, quæ hactenus prolixius diſſeruit, uno faſciculo complectitur, & eundo per ſingula capita, nihil ſe aſſeruiſſe profitetur, quod non divinarum literarum documentis, ſcriptorum veterum conſenſu, & rationibus poſſit probari. Simul quoque, quæ acerbius ab Vrignyo dicta fuerant, ſub examen revocat. Cap. XIV.

THOMÆ Siegfried Ring/ *JCTI ET ANTEceſſoris in Academia Viadrina, Progymnaſmata Praxeos Juridicæ.*

Francofurti ad Viadrum, ſumtibus Joh. Adam Plener Bibliop. Stetin. 1694. in 4to. alphab. 3.

INquirentibus qua occaſione Autor conſultiſſimus ad hoc opus practicum edendum fuerit invitatus, præter officii, quod egregie ornat, rationem communem, quamque per ſe ſufficere nemo ambiget, & alia ſpecialis magis occurrit; quod videlicet ipſemet, antequam ad cathedram academicam evocaretur, publicis iisque arduis negotiis in foro, quin & in ipſa Auguſtiſſimi Imperatoris aula expediendis per aliquot luſtra adſtrictus intentusque fuerit. Cum ergo ſtudio, quod antehac ſtrenue excoluerat, aperte favere deprehenderet Facultatis ſuæ ſtatutum, quo injunctum ipſi erat, ut non ſolum theoriæ juris, quin potius praxi foroque inſervientia tractaret; id maxime operam ſe dediſſe fatetur in Præfatione ad Lectorem, ut legalis ſapientiæ ſinceritatem ubique aſſereret, & ex textuum veritate ſcita legalia ad actus humanos accommodaret, ſecurus eorum, quæ ſæpe nulla utilitate per commentariorum ſylvas diſceptantur. Quamobrem ſecundum methodum conſuetam, per Juris Civilis partes ea ratione procedere celeberrimus Vir conſtituit; ut circa ſingulas materias duo, tria, aut plura progymnaſmata exhibeat; quorum ſingula hoc ordine deducit, ut primum *Quæſtionem* ſeu Controverſiam nobiliorem ex textibus Juris & Doctorū rationibus curate explanatam ſiſtat; ſupponat deinde *Caſum* quæſtioni antecedaneæ ut plurimum conformem, ſpecialioribus tamen circum-

ſtantiis ſtipatum,ac denique *Uſum* ſubjiciat. Circa quem articulum poſtremum idiomate Germanico,ſecundùm ſtylum curiæ ſeu forenſem,eundemque nitidum ac perſpicuum, ad caſum præmiſſum modo formantur poſitiones partium litigantium, per libellum,exceptionem, replicam, duplicam, annexa ſententia ſive interlocutoria ſive definitiva ; modo receſſus, ſeu tranſactio judicialis litem omnem cohibet; jam Conſilium Juris offertur, per rationes dubitandi & decidendi ſolide elaboratum; jam Edictum aut Ordinatio aliqua ſub Principis nomine edenda conficitur; alibi ad Principis mandatum Conſiliarii vota conferre jubentur, & quæ ſunt alia hujus commatis ſpecimina.

Hac vice ſeorſim exhibentur ſub primæ partis titulo Progymnaſmata XX, Jus Perſonarum illuſtrantia; ex quibus nonnulla in medium proferre animus eſt, ut de ſcopo Tractatus hujus longe utiliſſimi Lectori futuro plenius aliquanto conſtare poſſit,

Ad ſtatum *Libertatis* ſemet refert Progymnaſma quartum,hac primum *Quæſtione* conſpicuum: Quæ ſit cauſa ſublatæ inter Chriſtianos ſervitutis? *Caſus* deinde his ſub circumſtantiis concipitur: *Geſtum eſt inter Chriſtianos Principes bellum nobile, quo multi militum aliorumque, ab utraque bellantium parte, ſeſe capientium clementiæ dedere. Cum vero in captivitatem redacti innoxii, dura quævis perpeſſi a male feriatis captoribus ſubinde necarentur, vel ſi ipſis liberationis beneficium conceſſum, immodicis pretii exactionibus premerentur, quin & non raro omnia bona, denegata ipſis de rebus ſuis diſponendi facultate,ab illis exigerentur, cadavera quoque demortuorum in captivitate redemptioni ſubjicerentur, & aliis inſolitis crudelibusque auſis in Jus Gentium peccaretur; ecce ibi Rex aliquis recta ratione ſanisque Gentium placitis adductus,propoſito publico Edicto ſtatuit, quomodo cum captivis impoſterum agendum eſſet. Uſus* denique tale Edictum continet, in quo ſtatuitur, quomodo cum captivis ſit procedendum.

Circa ſtatum Perſonarum ad *Familiam* relatum 9 Progymnaſmata occurrunt, ut 3. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. quorum contenta ſigillatim recenſere,cum nimis prolixum foret; ſufficere poterit, ſi ex his novem,tria progymnaſmata, quæ medio loco poſita ſunt, octavum, nonum & decimum paucis percurramus.In progymnaſmate 8. hæc venti-

Digitized by Google

ventilatur *Quæſtio*: an matrimonium pendere poſſit ex alterius arbitrio? *Caſus* talis ſubjicitur: *Conſtantius inſtituerat Paulum hæredem ex aſſe, hac tamen adjecta conditione, ſi Annam virginem jungeret ſecum matrimonio; aut ſi iſti humanitus quid accidiſſet, ejusdem ſororem Martham. Mortuo Conſtantio, Anna parum pudice ſe geſſit; comperta enim ſtupri erat. Quærebatur itaque: an Paulus hæreditatem Conſtantii capere volens, teneretur Annam ducere, & quod ſi iſtam ducere abnueret, utrum obſtrictus ſit vigore teſtamenti Conſtantiani Martham ſororem in matrimonium accipere.* *Uſus* impenditur Reſponſo Juridico ad Caſum præcedentem dato, quo Paulus reſpectu Annæ & Marthæ, a matrimonii contrahendi neceſſitate abſolvitur, ſalvo hæreditatis lucro. Progymnaſma 9. iſtam *Quæſtionem* tractat: quid ratione ſucceſſionis ſtatuendum ſit de liberis Principum aut Nobilium ex impari matrimonio ſuſceptis? In cujus quæſtionis expoſitione ea notatu digniſſima arbitramur, quæ ſub n. 43. & ſeqq. de matrimonio inter Johannem Chriſtianum Ducem Sileſiæ, & virginem nobilem Annam Hedvvigem de Sizſch, anno 1626. contracto commemorantur. Quibus præmiſſis, talis nectitur *Caſus. Habuit Princeps aliquis in matrimonio Conjugem claritudine generis ſibi æqualem, ex qua aliquot ſuſceperat Filios. Mortua ea, Princeps ſuperſtes vitæ ſolitariæ pertæſus, ad ſecunda vota tranſire conſtituit. Cum autem ditiones ipſius biluſtri bello admodum vaſtatæ vexatæque, imo tantis ſubinde afflictæ fuerint calamitatibus, ut ſibi ſpes erepta eſſet impoſterum de reditibus annuis Principem exercere & præſtare, ambiguus conſilii, utrum par priori matrimonium cupere, vel ſe ad exilius, cum mercatoris alicujus pecuniæ opulenti filia unica, cujus amore tenebatur, demittere deberet, Conſiliarios ſuos ad deliberationem adhibet.* *Uſus* continet Conſultationem ſuper tali matrimonio impari, ubi præmiſſo voto Conſiliarii diſſuadentis, ſequitur votum Conſiliarii ſuadentis. Progymnaſma 10. hanc *Quæſtionem* ſolvit. Dote indeterminate Marito promiſſa, an aliquid & quantum peti poſſit? *Caſus* paulo ſpecialius formatur. *Seja vidua, notitia cum Lucio per literas contracta, ſcripſerat ad Lucium inter alia, cum tractarent de fœdere matrimonii ineundo, ſe ipſi (nulla facta expreſſione cauſæ dotis) daturam 6000. floren. quæ poſt mortem Sejæ lucrari deberet. Poſtquam ergo inter ipſos de matrimonio*

Digitized by Google

monio conveniret, conjugantur ambo. Lucius nullis fretus pactis dotalibus, fruitur conjugio, nulla tamen producta ſobole. Mortua vero Seja, liberi ejus ex priori matrimonio hæreditatem univerſam occupant, & Lucium ab omni lucro excludere ſatagunt. Uſus exhibet Conſilium Juris hoc de caſu Latino idiomate (quod ſingulare alias hoc in articulo eſt, per ea quæ ſuperius dicta ſunt) conſcriptum, in quo aſſeritur, Lucio illa 6000 florenorum jure conſtitutæ dotis ex hæreditate Sejæ omnino deberi.

Statui Perſonarum ad *Civitatem* relato tria progymnaſmata cedunt, 5, 14, & 15, quæ has *Quæſtiones* in fronte gerunt: Utrum Miniſtri & Officiales valetudinarii vel decrepiti ſtipendia mereantur? An & quando pro debito alicujus provinciæ, a Senioribus Statuum provincialium vel ærarii provincialis Præfectis contracto, Status particulares obligentur, ita ut in ipſorum bona executio fieri poſſit? Utrum Principes Comitesve Imperii, præter titulos tumulosque Majorum nihil territorii immediate ab Imperio poſſidentes, pro Statibus Imperii ſint habendi? *Caſus* & *Uſus* tribus hiſce quæſtionibus ordine conſueto ſubjecti ſic ſeſe habent. Circa primam ex his quæſtionem inducitur villicus, qui circa initium anni, ad quem conductus erat, deceſſit; cujus hæredes an jure totius anni mercedem petere poſſint, quæritur, apponiturque protinus loco *Uſus* Reſponſum Collegii Juridici ad negativam ſententiam declinans. Quæſtionem mediam conformis Caſus excipit, incommodum quod ſequitur clarius exprimens, & his quidem verbis: *Cum Ducatus N.N. ex contracto ære alieno valde laboraret, ejusque minuendi cauſa collectæ a Provincialibus crebrius exigerentur, magna pars ditiorum provincialium venditis bonis avitis gregatim natale ſolum vertere, ſedemque ac domicilium in Regno finitimo collocare cœpit; eorum autem qui mediante emtione venditione bona decedentium compararunt, aliqua pars tributum diſſolvendo æri alieno indictum detrectare, eo ſub prætextu, quod debita Univerſitatis jam inde antiquitus conflata eſſent, nec vero ad ſuſcipiendum æs alienum priorum poſſeſſorum ipſi novitii aſtringi poſſent. Quare Dominus Territorii Conſiliarios ſuos Ducatui præfectos, ad conſultationem ipſorum, Mandato inſtruit, quemadmodum ſeſe tum adverſus emigrantes, tum adverſus advenientes novitios provinciales gerere, & qua ratione æri alieno univer-*

Digitized by Google

Univerſitatis prudenter provideque ſuccurrere deberent. Sub articulo *Uſus* ſequitur Inſtructio ſeu Mandatum hoc in caſu deſideratum. A tertia & poſtrema quæſtione deflectit Caſus his ſub circumſtantiis exhibitus: *Rombertus genere nobilis ex Ordinibus provincialibus Vilibaldi Principis cujusdam Statusque Imperii, multa in perniciem Romani Imperii machinatus, incurrit in crimen perduellionis. Cum ergo Procurator fiſci Principis actionem perduellionis intenderet, rumore nuntio, perfertur res omnis ad Aulam Cæſaream; afflato eo momento, eſſe plures alios amplioris forte dignationis implicatos, quos reus iſte indicare poſſet. Hoc adductus Imperator vindicationem tam nefandi criminis, pariterque inveſtigationem ſociorum, ad ſummi ſui muneris Imperatorii prærogativam pertinere ratus, remiſſionem poſtulati perduellionis Romberti ad Conſiſtorium ſuum a Vilibaldo Principe flagitat urgetque. Cui deſiderio antequam Princeps reſpondeat, ne quid in retinenda erga Imperatorem ſumma obſervantia & fide prætermiſiſſe videatur, Conſultationem hac de re proponere jubet*, quæ *Uſus* titulum denique occupat.

Quod in ordine jam ſequitur Progymnaſma 16. maxima ex parte generale eſt. *Quæſtio* etenim eo directa eſt, ut conſtet, unde actiones præjudiciales petantur, & in quotnam ſpecies deduci queant? *Caſus* intermedius ſpecialis eſt, ad ſtatum familiæ & ſeorſim ad agnationis qualitatem ejusque negationem reſpiciens. *Uſus* vero utrique membro reſpondet, quandoquidem in hoc articulo ordine competente primum recenſentur formulæ actionum præjudicialium, ad triplicem illum perſonarum ſtatum pertinentium, poſt ad caſum ſpecialem modo præmiſſum non tantum libellus actionis negativæ, ſed & reſponſum Juris cum rationibus dubitandi & decidendi ſubjungitur.

Quæ ſuperſunt Progymnaſmata quatuor 17, puta, 18, 19, 20, doctrinam tutelæ & curæ explanant. Et ſeorſim quidem in Progymnaſmate 17. affinis *Quæſtio* ex jure publico depromta examen ſubit: *utrum Juris Advocatiæ vel Protectionis alia in ſubditis, alia in non ſubditis ſit conſideratio, & quanam in optanda extranei alicujus protectione ac tutela ſingulariter obſervari debeant? Caſus* ſubjectus aut potius caſuum congeries ipſam tutelam minorennium afficit, dum tutorum fraudes variæ, quibus circa quævis tutelæ tem-

pora miſeri illi ſunt expoſiti, recenſentur, hac digreſſione addita, quod malis hiſce publicis Princeps reſiſtere ſtudens Conſtitutionem Tutelarem publicari fecerit. *Uſus* vero, ſive ſpecimen Practicum ultimo ſemper loco in quovis progymnaſmate exhibendum, Conſtitutionem talem continet, quatuor articulis diſtinctam, in quibus ea, quæ ad 1.) conſtitutionem, 2.) ſuſceptionem, 3.) adminiſtrationem, & 4.) diſſolutionem tutelæ pertinent, & ad avertendas calamitates pupillorum patrimonio exitiales conducere creduntur, ſub forma Sanctionis provincialis continua ſerie determinantur. Comitantur hanc Conſtitutionem notæ perpetuæ diſpari & Latino idiomate conceptæ, in quibus ad textus Juris communis veteris æque ac moderni, ut & ad Dd. hac in doctrina egregios accurata provocatio inſtituitur, quod & alias in hujus ſectæ ſpeciminibus Autori noſtro ſolenne eſt. Progymnaſma 18. tutelam extraordinariam matri & aviæ conceſſam ambit, ubi præmiſſa *Quæſtione: utrum eodem Jure Mater & Avia gaudeat intuitu bonorum feudalium ad liberos impuberes pertinentium? Caſus* dehinc ad Fœminam Illuſtrem Viduamque Comitis conformatur, quæ a Summo Cameræ Imperialis Judicio in tutela legitima cum proximo Agnato tutore honorario cooptato confirmari petit, ſeque ad præſtationem ſolennium offert. *Uſus* hunc in finem ſiſtit ſupplicationem pro confirmatione tutelæ ad Cameræ Imperialis Judicem directam, juramentum Mandatarii Illuſtris Matris Tutricis Agnatique pupillorum, Tutoris ſcilicet honorarii, ac tandem ipſum Tutorium. In Progymnaſmate 19. *Caſus* continet tranſactionem inter Agnatos Illuſtres intuitu tutelæ & ſucceſſionis in bonis avitis initam; cumque in ea alter enormiſſime læſus deprehendatur, quæritur an, non obſtantibus renunciationibus rigidiſſime conceptis, ea impugnari rurſus evertique poſſit? Quod ipſum Reſponſo prolixiori adſtruitur. Progymnaſma 20. & ult. Tutorum ſecuritati proſpicere primum videtur, dum copioſe diſſeritur, quid tutores atque adminiſtratores in alienatione rerum fidei ſuæ concreditarum attendere debeant? *Caſus* ad rationes pupillares examinandas componitur, ideoque & circa *Uſum*, præmiſſa generali recenſione formularum varias tutelæ ſpecies inſtruentium, ſeorſim aſſumitur Actio Tutelæ Contraria; cumque ea in foro plerumque per viam Commiſſionis tractari ſoleat, conſcripta

pta

Digitized by Google

pta ea de cauſa proſtat Relatio Commiſſariorum ad Cancellariam Principis; in qua contra tutorem implorantis poſtulata, quosque defectus rationes prodant, longa ſerie recenſentur, apponuntur protinus tutoris exceptiones, quas denique Commiſſariorum arbitrium ſingula poſtulata ad æquitatis trutinam perpendentium excipit, inſimulque parti huic primæ colophonem imponit.

MODUS GENERALIS CONSTRUENDI omnes æquationes differentiales primi gradus. Auctore Johanne Bernoulli.

UNicum potiſſimum eſt, quod adhuc deſideratur ad perficiendam methodum tangentium inverſam, ſeparatio nempe quantitatum indeterminatarum in æquationibus differentialibus primi gradus, pro qua plurimas regulas ſpeciales jam dudum inveni, generalis autem, per quam in quavis æquatione differentiali propoſita procedat ſeparatio indeterminatarum, vix ſperanda eſt. Quod cum jam ab aliquo tempore perpendiſſem, mentem ſubiit an non poſſibile eſſet, æquationem differentialem conſtruere non adhibita ſeparatione iſta; quod tandem etiam ex voto ſucceſſit. Inter plures autem quos detexi modos, præſens commodior videtur, qui dum melior prodeat in lucem, ſacra quaſi erit anchora ad quam recurrendum, cum omnes regulæ pro ſeparatione indeterminatarum inſtitutæ naufragium faciunt.

Omnis æquatio differentialis primi gradus exprimi poteſt per hanc $sdx = zdy$; poſito literas s & z denotare quantitates formatas ex x, y & conſtantibus: ponatur nunc dy ad dx habere rationem ut m ad a, quæ utique in quolibet curvæ puncto variatur, æquatio differentialis mutabitur in hanc $as = mz$, quæ tres indeterminatas continet s, z & m, ſeu x, y & m; ejus itaque locus eſt ad infinitas curvas algebraicas (quas *directrices* appellare liceat) quæ conſtruuntur ponendo unam trium indeterminatarum, ſi vis m, conſtantem, inde enim emerget æquatio duarum duntaxat indeterminatarum, quæ format unam ex infinitis curvis directricibus; ponendo nunc hanc eandem m conſtantem majorem vel minorem, ha-

bebitur alia directrix,& continuando hoc in infinitum,infinitæ conſtruentur curvæ directrices ſuper eodem axe; ſic itaque *m* ad *a* id eſt *dy* ad *dx* omnes habebit poſſibiles rationes. Quo facto inter duas quaslibet directrices elementaliter diſtantes duco lineolam, ita ut ſinus inclinationis ad axem ſit ad ſinum complementi ut *m* in his directricibus elementaliter diſtantibus ſumta ad *a;* Hoc ſi utique fiat & tandem omnes ductæ lineolæ (manente una immobili) parallelo motu deprimantur vel eleventur ſuis directricibus ſemper adhærentes, donec omnes ſibi invicem connectantur; orietur curva quæſita.

Hinc liquet uni eidemque æquationi differentiali infinitas curvas ſatisfacere, prout enim lineola immobilis altius vel humilius ſumitur ſemper alia prodibit curva. Hic notandum venit, ubi lineola ſuam reſpective directricem tangit, ibi curvam quæſitam habere punctum flexus contrarii, quod cuivis attendenti facile patebit. Hinc omnis æquatio differentialis, exceptis iis quarum directrices ſunt lineæ rectæ, exhibet curvas infinitas quæ gaudent puncto flexus contrarii, inter quas unica poteſt eſſe cujus punctum flexus confunditur cum vertice vel cum alio puncto, ita ut evaneſcat: Ex. gr. æquationi differentiali $axdx = yydy$, certum eſt reſpondere parabolam cubicalem ſecundam $\frac{1}{2}axx = \frac{1}{3}y^3$, cujus quidem punctum flexus non exiſtit, infinitæ tamen aliæ dantur curvæ ejusdem ſpeciei $\frac{1}{2}axx = \frac{1}{3}y^3 \pm b^3$ eidem æquationi differentiali $axdx = yydy$ ſatisfacientes quæ omnes flexuras contrarias *habent*. *Ex* quibus perſpicuum eſt ipſa hæc puncta flexuum formare aliam curvam quæ etiamſi curvæ ipſæ cujus ſunt puncta flexus ſint mechanicæ, ſemper tamen (quod memorabile prorſus eſt) erit algebraica. Exemplo res patebit: Eſto propoſita æquatio differentialis hæc $xxdx + yydx = aady$, quæ an per ſeparationem indeterminatarum conſtrui poſſit nondum tentavi; verum per generalem methodum præſcriptam ſi reſolvatur, prodibit hæc æquatio $xx + yy = am$ oſtendens omnes curvas directrices eſſe circulos concentricos, quorum centrum commune eſt in ipſo initio abſciſſarum *x;* ſic itaque infinitæ conſtruentur curvæ quæ omnes æquationem differentialem propoſitam includunt, quarumque puncta flexus exiſtunt in curva algebraica quæ ita determinatur: Ex centro circulorum concentrico-

tricorum ducatur perpendicularis ad axem, in eaque ſumatur punctum diſtans a centro $a\sqrt{\frac{am}{aa+mm}}$, per quod ducta axi parallela ſecabit circulum cujus radius eſt $\sqrt{am}$ in puncto quod erit ad curvam optatam; vel ſi mavis conſtruatur ad axem curva cujus æquatio ſit (poſitis abſciſſa r, & applicata s) $s^3+rrs=aar$, tranſibit hæc ipſa curva per puncta flexus omnium curvarum æquationis $xxdx+yydx=aady$ competentium.

Cæterum idea iſta conſtructionis univerſalis æquationum differentialium primi gradus poterit etiam extendi ad differentiales ſecundi altiorisque gradus; aliis autem quibus plus vacat perfectionis honorem relinquo.

ADDITAMENTUM EFFECTIONIS omnium quadraturarum & rectificationum curvarum per ſeriem quandam generaliſſimam.

GEnerali quem præmiſi modo conſtruendi curvas ex æquatione data differentiali, ob multam affinitatem adnecto dimenſionem generalem ſpatiorum & curvarum: Qualem quidem etiam exhibuit *Celeberrimus Leibnitius* in *Actis Erud. Menſ. April.* 1693, cujus methodus ingenioſe ſane excogitata multum placuit, eo quod ſeſe univerſaliter extendat ad quamcunque propoſitam curvam. Cum autem in quovis exemplo ſingularis calculus inſtituendus ſit, quo non niſi ſingularis ſeries provenit quæſito reſpondens: placet hic apponere ſeriem univerſalem quæ omnes quadraturas, rectificationes, aliorumque differentialium integralia generaliter exprimit.

Elementum ſpatii, curvæ, vel quodvis aliud explicari poteſt per ndz (poſito n eſſe quantitatem quomodocunque formatam ex indeterminatis & conſtantibus;) ut itaque integrale ipſius ndz (quod per ſe ſolum ob inſufficientia data non eſt integrabile) ad ſeriem generalem revocatur, diſpiciendum eſt quid ipſi continuo addendum idemque ab ∞ ſubtrahendum ſit, ita ut ſic manente quantitate ndz

 ſemper

Digitized by Google

ſemper eadem integralia additorum demtorumque ſumi poſſint: In hunc finem ſequentem formo ſeriem, quæ ponit *dz* conſtantem $ndz = + ndz + zdn - zdn - \frac{zzddn}{1.2\,dz} + \frac{zzddn}{1.2\,dz} + \frac{z^3\,dddn}{1.2.3\,dz^2} - \frac{z^3\,dddn}{1.2.3\,dz^2}$ &c. Ubi bini quilibet termini immediate ſe ſubſequentes ſignisque contrariis affecti ſe mutuo deſtruunt, ita ut ſeries in infinitum continuata efficiat tantum *ndz*; quorumlibet verò etiam binorum terminorum immediate ſubſequentium & iisdem ſignis affectorum ſumi poſſunt integralia. Hoc igitur modo habetur hæc ſeries univerſalisſima integr. $ndz = + nz - \frac{1}{1.2} zz \frac{dn}{dz} + \frac{1}{1.2.3} \frac{z^3\,ddn}{dz^2} - \frac{1}{1.2.3.4} \frac{z^4\,dddn}{dz^3}$ &c. Quæ ſi in quocunque caſu applicetur, evaneſcent ſemper *dn, ddn, dddn* &c. ut & dz, dz^2, dz^3 &c. quia earum relatio in dato caſu datur in quantitatibus algebraicis; & ſic tota ſeries conſtabit terminis pure algebraicis.

Exempla ſumamus *Dn. Leibnitii:* Quærendus eſto logarithmus ex numero: Sit ratio vel numerus $a + x$ qui brevitatis ergo appelletur *r*, & logarithmus ſit *y*; habebitur pro æquatione differentiali $dy = \frac{adx}{r}$, i.e. logarithmus ſeu $y = \text{int.}\,\frac{adx}{r}$; hoc autem integrale ad ſeriem facile revocabitur; factis enim in ſerie univerſali $z = x, dz = dx, n = \frac{a}{r}, dn = (\text{ob } dr = dx) \frac{-adx}{rr}, ddn = \frac{+1.2\,adx^2}{r^3}, dddn = \frac{-1.2.3\,adx^3}{r^4}$ &c. convertetur illa in hanc ſpecialem $y = \frac{ax}{r} + \frac{axx}{rr} + \frac{ax^3}{r^3} + \frac{ax^4}{r^4}$ &c. quæ quamvis diverſa a *Domini Leibnitii*, ejusdem tamen eſt valoris.

Con-

Digitized by Google

Contra ſi dato logarithmo numerus ſit inveniendus, habebitur pro æquatione differentiali $dx = \frac{rdy}{a}$, factis ergo in ſerie univerſali $z = y$, $dz = dy$, $n = \frac{r}{a}$, $dn =$ (ob $dr = dx$) $\frac{rdy}{aa}$, $ddn = \frac{rdy^2}{a^3}$, $ddn = \frac{rdy^3}{a^4}$ &c. orietur $x = \frac{ry}{a} - \frac{ryy}{1.2aa} + \frac{ry^3}{1.2.3a^3} - \frac{ry^4}{1.2.3.4a^4}$ &c. ergo $\frac{x}{r}$ i. e. $\frac{x}{a+x} = \frac{y}{a} - \frac{yy}{1.2aa} + \frac{y^3}{1.2.3a^3} - \frac{y^4}{1.2.3.4a^4}$ &c. cognita itaque $\frac{x}{a+x}$ cognoſcetur etiam x.

Problema de inveniendo ſinu recto ex dato arcu & radio non minus facile expeditur: Sit enim arcus circuli y, ſinus rectus x, & radius a, & ponatur brevitatis gratia $\sqrt{aa-xx}$ ſeu ſinus complementi $= r$; erit æquatio differentialis $dx = \frac{rdy}{a}$, poſitis ergo in ſerie univerſali $z = y$, $dz = dy$, $n = \frac{r}{a}$, $dn =$ (ob $dr = \frac{-xdx}{r}$) $\frac{-xdy}{aa}$, $ddn = \frac{-rdy^2}{a^3}$, $dddn = \frac{+xdy^3}{a^4}$, $ddddn = \frac{+rdy^4}{a^5}$ &c. reperietur $x = \frac{ry}{a} + \frac{xyy}{1.2aa} - \frac{ry^3}{1.2.3.3a^3} - \frac{xy^4}{1.2.3.4.5a^4} + \frac{ry^5}{1.2.3.4.5a^5}$ &c. poſitis terminis cum x multiplicatis ad alteram partem, diviſisque ſeriebus, habebitur $\frac{x}{r}$ i. e. $\frac{x}{\sqrt{aa-xx}} = \dfrac{y - \frac{y^3}{1.2.3a^3} + \frac{y^5}{1.2.3.4.5a^5} \text{ \&c.}}{a - \frac{yy}{1.2a} + \frac{y^4}{1.2.3.4a^3} \text{ \&c.}}$;

cognita itaque $\frac{x}{\sqrt{aa-xx}}$, cognoſcetur etiam x: Ubi hoc notatu dignum venit, quod ſeries denominatoris ſit = ſinui complementi, quia ſecundum *Dn. Leibnitium* invenitur ſeries numeratoris = ſinui recto.

Ultimum exemplum in Actis allatum, & problema quod *De Beaune Carteſio* propoſuit, cujusque conſtructionem jam olim in Actis dedi: Quæritur curva in qua ſi coordinatæ ſunt s & y, ſubtangens ſit $= \frac{yy-sy}{a}$, id eſt cujus æquatio differentialis ſit $ds = \frac{ydy - sdy}{a}$. Si libeat data abſciſſa y exprimere ordinatam s per ſeriem, ponatur $y - s = r$; & fiat in ſerie univerſali $z = y$, $dz = dy$, $n = \frac{r}{a}$, $dn = (\text{ob } dr = \frac{ady - ydy + sdy}{a}) \frac{ady - rdy}{aa}$, $ddn = \frac{-ady^2 + rdy^2}{a^3}$, $dddn = \frac{ady^3 - rdy^3}{a^4}$ &c. quo facto obtinebitur $s = \frac{ry}{a} \; \frac{-a+r.yy}{1.2aa} \; \frac{-a+r.y^3}{1.2.3a^3} \; \frac{-a+r.y^4}{1.2.3.4a^4}$ &c. *ideoque*

$$\frac{s - \frac{ry}{a}}{-a+r} \text{ i.e. } \frac{as - yy + sy}{-aa + ay - as} = \frac{yy}{1.2aa} + \frac{y^3}{1.2.3a^3} + \frac{y^4}{1.2.3.4a^4} \text{ \&c.}$$

hinc data $\frac{as - yy + sy}{-aa + ay - as}$ dabitur etiam s.

Hoc in honorem *Incomparabilis Leibnitii* monendum, quod per ejus methodum quæſita ſtatim ſola nec aliis quantitatibus

Digitized by Google

tibus implicita proveniat: meam autem ab univerſalitate ſua multum commendabilem pariter non negabit.

Corrigenda. Menſe Majo 1694, Tab. V, Fig. 3. Tangens BI a cælatore omiſſa eſt. Pag. 201. l. 12. pro GB leg. Bb. Pag. 203. l. 25 leg. dilatatrices. Pag. 204. l. 19. leg. inflationis. Pag. 206. l. 4. leg. illam.

JOH. PHILIPPI RINGLERI DE Tutelis Illuſtrium, Specimen Juris publici.

Francof. & Lipſiæ, apud Jo. Jac. Ehrten, 1694, in 4. Conſtat 1½ alph.

Qui *de Pactis illuſtrium ſucceſſoriis* erudite commentatus fuit, (quam commentationem in Februario hujus anni p. 52 recenſuimus) idem de *Tutelis* etiam *illuſtrium*, adfine veluti & ad prius ſpectans argumentum, pertractandum ſibi ſumſit clariſſimus Auctor, idque eleganter & erudite exequutus eſt: caute ſimul & perſpicue rem proponens, decenti adhibita modeſtia, in hujusmodi tractationibus, quæ myſteriorum veterum inſtar non quemvis admittunt, omnino neceſſaria. Summa enim poteſtas ex legibus Imperii retinere utique debet, quæ ſibi competunt, poſt lites exortas, litigantes vero ex iisdem ſequi debent jus ſibi redditum. Ubi contra in fervore diſputantium, propter caſuum varietatem, quædam in jure fiunt dubia, maxime ſi in contextu non ſatis aperte reperiuntur deciſa, ibi doctori conceſſum non eſt, tanquam homini privato, legiſlatoriam exercere, aut ſententiam interponere ſine legis auctoritate. Ab iſto genere hominum Auctor prorſus eſt alienus, quemadmodum apparet ex tractatione in ſingulis capitibus. In principio repetit originem hujus juris ex natura ipſa, & gentium inſtitutis; his jungit leges & conſtitutiones Imperii, quibus tutelæ Illuſtrium innituntur. Ut autem juſtitia magis pateat hac in re, breviter exponit, quid circa Reges ac Principes in vicinis regnis obtineat, quidque in officio Tutoris illuſtris potiſſimum ſit attendendum. In cap. II tutelam Illuſtrium teſtamentariam exponit & commoda ejusdem; cumprimis autem in quæſtione occupatur controverſa, an teſta-

Digitized by Google

menta Illuſtrium in Germania præciſe ſecundum leges Romanorum civiles condenda ſint? Neque enim recte intelligitur hæc tutelæ ſpecies, neque tuto ſubſiſtit, niſi prius de juris fundamento conſtat. Rationes ideo in partem utramque adfert, & ad teſtamentariam accommodat, liberam Lectori relinquens ſententiam, quam ille velit amplecti, inprimis ubi per obſervantiam in familia illuſtri diverſum quid invaluit. Inſerit hinc inde notabilia ex teſtamentis, ut lux affundatur obſcuris & ambiguis, quæ hic proferre ſcriptionis modus prohibet. Præmiſſis ita generalibus, ſequenti cap. III digreditur ad tutelam Electoralem teſtamentariam; non quod eam defendere velit, contra diſerta Bullæ Carolinæ & Sigismundinæ verba, ſed ad exercendas ingenii vires, ſi quid forte pro Electorali teſtamentaria poſſit proferri. Argumenta format ex divino & humano, naturali juxta gentiumque ac publico jure patrio; ubi præcipua Aureæ Bullæ loca in hac materia expenduntur, & ſine vi ulla diducuntur. Poſt teſtamentariam cap. IV iterum per communia docet, qualis tutela ſit legitima inter Illuſtres, Romanorumque prudentiam laudat, quousque lex eorum diſponat, hominis proviſione deficiente. Hac occaſione disquiritur de agnato proximo, de matre tutrice, de conſiliariis tutelaribus, itemque quid in Saxonia obtineat, & quænam ſit differentia hujus juris a conſtitutionibus & legibus aliorum. Ita vero ex ordine ſibi propoſito legitimam Electoralem tutelam cap. V ſubjungit, quæ a lege Carolina, ſive Aurea Bulla, formam habet, docetque in quo conſiſtat Electoralis legitimi tutoris officium. Sicut enim ex lege hac tutor conſtituitur, ita ſecundum eandem adminiſtrare tenetur tutelam. Sed & quæ dixerat antea ad Auream Bullam illuſtrandam, ea hic applicat, & argumentis adverſariorum opponit, quæ propter vim legis publicæ hujus & auctoritatem ſingularem circa jura Electoralia, minime poſſunt negligi. Quæ ſit dativa inter Illuſtres, & quousque diſtet a Romana, ſub finem tradit, capite nimirum VI, & ultimo ſive VII, additis quæſtionibus variis, de furioſis, & mente captis, de inventarii confectione, de periculo tutorum circa contractus & ſimilia negotia, de actionibus huc pertinentibus. In ſingulis profert ea, quæ ad metam attingendam neceſſaria videbantur; ac tandem in voto pro ſalute communi deſinit.

HISTOIRE

Digitized by Google

HISTOIRE DU TRIUMVIRAT &c.

i. e.

Hiſtoria Triumviratus Julii Cæſaris, Pompeji & Crasſi &c.

item

Hiſtoria Triumviratus Auguſti, Marci Antonii & Lepidi &c.

Pariſiis, 1694. 12. Alph. 1. pl. 12.

REm ſuſciperemus plane ſupervacaneam, ſi in argumentis horum librorum ediſſerendis, prolixiores eſſe vellemus. Ecquis enim hiſtoriæ Romanæ tam rudis eſt, ut Julii Cæſaris, Pompeji & Crasſi, itemque Auguſti, Marci Antonii & Lepidi res geſtas ignoret? Et licet Gallica lingua amœnitate quadam ſingulari omnibus ſeſe commendet; neminem tamen nitore ejus atque blanditiis ita capi arbitramur, ut non ipſos adire fontes, ſummosque & immortali laude dignos ſcriptores, a quibus primum iſtorum Heroum res geſtæ fidelibus literarum monumentis conſignatæ ſunt, conſulere malit. Id tamen neutiquam inficiati fuerimus, Auctorem Triumviratus, quisquis etiam ſit, id gnaviter dediſſe operam, ut quicquid bonæ frugis in Romanis ſcriptoribus reperitur, id omne fide, qua potuit maxima, licet alio ſermone, Lectoribus impertiret. Congesſit quoque ſedulo, & unico faſce complexus eſt, quæ ſparſim apud veteres leguntur, ut vel hoc nomine non omnem perdidiſſe operam cenſeri queat. Sed nec illud prætermittendum, quod dignitatum, quæ apud Romanos in uſu fuerunt, nomina explicaverit, ut adeo cuncta unusquisque, licet morum Romanorum cognitione non imbutus, haud difficulter capere posſit. Hunc in finem Romanorum quoque militarem & monetalem rem, in præfatione, ſed paucisſimis, explicavit. Nulli igitur dubitamus, quin illis, qui Latini ſermonis rudes ſunt, Romanam tamen hiſtoriam accuratius cognoſcere cupiunt, rem gratisſimam fecerit.

Digitized by Google

THE ANATOMY OF HUMANE BODIES epitomized.

i. e.

Compendiaria Corporis Humani Anatome,

Autore Tho. Gibſon, M.D. atque Collegii Medici Londinenſis Socio.

Londini, apud Awnsham & John Curchill, 1694. in 8. Conſtat plagulis 41 & figur. tabul. 18.

COrpus noſtrum in tres ventres artusque ab Anatomicorum pleriſque dividi, eſt notisſimum. Eidem non minus viæ Autor noſter deprehenditur inſiſtere, dum, partium vulgo ſimilarium dictarum deſcriptione præmiſſa, primum de Abdominis, Thoracis & Capitis partibus, hinc de Artuum Venis, Arteriis & Nervis, de Muſculis denique ac Oſſibus *ſex* hic conſignatos *Libros* exhibet. Autorum, quorum opera uſus, non ſolum catalogum præmittit, ſed & nomina ubique citat fideliſſime. Quarta tamen cum iſta jam habeatur Editio, multa non attinet exſcribere.

NOVA LITERARIA.

QUi ornamentum Orbis Literati fuit, & tum exquiſita juris naturæ & gentium ſcientia, tum mira in componendis commentariis hiſtoricis ſolertia ac felicitate, incomparabilem prope ſe exhibuit, *Samuel* L. Baro a *Puſendorf*, Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarius intimus, proximo vigeſimo ſexto Octobris die, anno ætatis ſuæ LXIII, magno rei literariæ damno vita exceſſit. Ejus, quæ publici juris facta jam ſunt, elegantiſſima opera nemini ignorantur, ut iis hic commemorandis merito ſuperſedeamus. Aſt non poſſumus non fidem facere benevolo Lectori, & Hiſtoriam ejus Brandenburgicam, qua Herois excelſisſimi FRIDERICI WILHELMI MAGNI, Electoris Brandenburgici, vitam & res præclare fortiterque geſtas complexus eſt, ſub prælo jam ſudare, & Potentisſimi etiam Sueciæ Regis, CAROLI GUSTAVI, Herois itidem noſtra laude majoris, Hiſtoriam ab ipſo compoſitam luci publicæ expoſitum

Digitized by Google

ſitum quam primum iri. Optamus vero, ut quæ affecta reliquit opera etiam alia, Orbi Erudito ab Hæredibus, ubi commodum fuerit, communicentur.

Sollicitos haud parum etiam nos habuit fama de adverſa viri optimi nobisque amicisſimi, *Antonii Magliabechii* valetudine. Nec vana illa fuit, cum ex febri graviter ſatis decubuerit. Sed vivit valetque, ut ex ipſiusmet humanisſimis literis læti accepimus, ac ſanitatem recuperatam debere ſe, poſt Deum, profitetur providæ indulgentisſimi Heri ſui, Serenisſimi Hetruriæ Magni Ducis curæ ac ſingulari prorſus benignitati. Cæterum ex iisdem literis cognovimus, in Italia prodiiſſe nuper in lucem libros nonnullos, qui ad nos adhuc dum non pervenere. Eos ut indicemus hoc loco, non ingratum forſan futurum eſt Lectori benevolo:

Euoplia Fidei Catholicæ Romanæ Hiſtorico-Dogmatica, ex vetuſtisſimis Syrorum ſeu Chaldæorum monumentis eruta: auctore Fauſto Nairono Banenſi Maronita, Chaldaicæ ſeu Syriacæ linguæ in almæ Urbis Archigymnaſio Profeſſore &c. Romæ typis S. Congr. de Propaganda Fide, 1694. in 8.

Jo. Laurentii Lucheſinii Lucenſis, e Soc. Jeſu, De Notorietate in antiqua Eccleſia præſtantiæ Pontificis Maximi ſupra generalia Concilia, & infallibilitatis in declaranda Fide, etiam ante Synodorum vel Eccleſiæ conſenſum, Tractatus duo. Eruti ex Polemica Hiſtoria Concilii Chalcedonenſis, ſcripta ab eodem Auctore. Romæ ex typographia R. Cameræ Apoſtolicæ, 1694. in 4.

Index Alphabeticus Rerum & Locorum omnium memorabilium ad Annales Card. Baronii. Opus poſthumum Eminentisſimi & Reverendisſimi Cardinalis de Lauræa, ab Illuſtrisſimo Domino D. Jo. de Lima, & Mello Luſitano S. R. I. Marchione de Samandra in lucem editum. Romæ 1694. in 4.

Iſtoria della Famiglia Spinola, deſcritta dalla ſua origine, fino al ſecolo XVI, da Masſimiliano Deza della Congregazzione della Madre di Dio. Piacenza, 1694. in foglio.

Dominici Auliſii Opuſcula de Gymnaſii Conſtructione, Mauſolei Architectura, Harmonia Timaica, & Numeris Medicis. Neapoli, 1694. in 4.

De Igne Diſſertationum Phyſicarum Pars poſterior. Auctore Paulo

Caſato Soc. Jeſu. De Ignibus Terræ, Aeris, Cœli & Viventium. Parmæ 1694. in 4.

La Pietà illuſtrata, Accademie ſacre. Opera del P. Ercole Mattioli della Compagnia di Gieſu. In Parma, 1694. in 4.

I Ceſari in Oro, raccolti nel Farneſe muſeo e publicati colle loro congrue interpretazzioni. Tomo primo compoſto dal Padre Paolo Pedruſi della Compagnia di Gieſu. In Parma, 1694. in foglio.

Idem illuſtris Magliabechius ad nos perſcripſit, aliud Eminentisſimi Cardinalis de Lauræa opus poſthumum, cui titulus *Contextus Evangelicus*, propediem proditurum: *Petrum Paulum Boſcam*, Bibliothecæ antehac Ambroſianæ Præfectum, nunc Modoetienſem (di Monza) Archipresbyterum, Martyrologium Mediolanenſe notis illuſtratum, ad ſimilitudinem Romani cum obſervationibus olim Baronii editi, compoſuiſſe, ſubjeciſſeque prælo: *Dominicum Auliſium* opus quoddam moliri de Templo Hieroſolymitano: *Paulum Caſatum* e Soc. Jeſu aliud opus ſub titulo itidem *Diſſertationum* prælo paraſſe, Hydroſtaticam exhibiturum, acturumque de naturali aquarum libramento; de his quæ levia ſunt in humido; de innatantibus ſolidis; de his quæ merguntur in humido; de aquis fluentibus, de aquis per vim aſcendentibus: *Paulum Pedruſium* e Soc. Jeſu opus magnum ſub manibus habere, cujus tomus I. ut ſupra innuimus, aureos Imperatorum nummos complectitur. Secundus, qui proxime ſequetur, nummos Imperatorum argenteos, tertius metalliones ſeu numiſmata ærea maximi moduli, quartus *numiſmata* ex ære moduli medii infimique, quintus Conſularium Familiarum, & ſextus Regum, quos Barbaros dixeris, aliarumque Græciæ Familiarum nummos exhibebunt: *Bernardinum Ramazzinum* curaturum eſſe, ut Diſſertatio ſua de conſtitutione anni præſentis non minus, quam duorum præcedentium, publicam quam primum lucem adſpiciat: denique P. *Bacchinum* componendæ Hiſtoriæ Monaſterii D. Benedicti, quod Mantuæ eſt, incumbere, in qua ex archivo Monaſterii illius monumenta antiqua haud pauca, Comitiſſam inprimis Mathildem concernentia, ſint comparitura.

Cæterum nec ignorare Lectorem Benevolum volumus, vaſtum eruditumque & ab univerſo Orbe Erudito diu anxieque deſideratum opus de Conciliis Hiſpaniæ abſolutum nunc eſſe, quatuor volumi-

luminibus comprehenſum, quorum ſingula juſto ſtudio recenſebimus, quamprimum iis fuerimus potiti. Interea ut prægustum operis habeat Lector benevolus, non pigramur huc tranſcribere univerſum ejus titulum: *Collectio Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ & Novi Orbis, Epiſtolarumque Decretalium celebriorum, nec non plurium Monumentorum veterum ad illam ſpectantium: cum Notis & Diſſertationibus, quibus ſacri Canones, Hiſtoria ac Diſciplina Eccleſiaſtica, & Chronologia, accurate illuſtrantur. Cura & ſtudio Joſephi Saenz de AGUIRRE, Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Magiſtri Generalis, Regii ac Supremi Fidei Senatus Conſultoris, in Salmanticenſi Academia Doctoris Theologi, ac poſt plures alias cathedras Primarii ſacrorum Bibliorum Interpretis; nunc S. R. E. Presbyteri Cardinalis, tituli S. Balbinæ, Protectoris Regni Siciliæ. Romæ, typis Jo. Jac. Komarek Bohemi, 1694. in fol.*

LIBRI NOVI ALII.

Jo. Georgii Grævii Theſaurus Antiquitatum Romanarum. Tomus I. Ultrajecti 1694. in fol.

Hiſtoire & Geographie ancienne & moderne, par Mr. D' Audifferet. A Paris 1694. 12.

T. Pfanneri Hiſtoria Comitiorum Imperii celebratorum A. 1652. 1653. 1654. Vinariæ 1694. 8.

Cantique des Cantiques, traduit en François, avec une Explication. A Paris 1694. 12.

Fundamentum Theologiæ Moralis, i.e. Tractatus Theologicus de Recto Uſu Opinionum Probabilium. Authore P. Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali Societatis Jeſu. Romæ, Venetiis, & Antverpiæ 1694. in fol. & 4.

Les Vies des Saintes Peres des Deſerts & des quelques Saintes, ecrites par des Peres de l' Egliſe & autres anciens Auteurs Eccleſiaſtiques; traduites en François par Mr. Arnauld d' Andilly. A Bruxelles 1694. 4.

Petri Burmanni de Vectigalibus Populi Romani Diſſertatio. Trajecti ad Rhenum, 1694. 8.

Bibliotheca Eruditorum Critico-curioſa, ſive Apparatus ad Hiſtoriam Literariam noviſſimam Conſpectus ſecundus; auctore Cornelio a Beughem. Amſtel. 1694. 12.

Caſpa-

Caſparis Sagittarii Introductio in Hiſtoriam Eccleſiaſticam. Jenæ 1694. in 4.

Dionyſius Longinus Caſſius de Sublimitate, ſeu περὶ ὕψους, *cum omnibus Commentariis & Notis Jacobi Tollii. Trajecti ad Rhenum, 1694. 4.*

Moſes vindicatus adverſus Burnetii Archæologias. Amſtel. 1694. 8.

Jac. Basnagii Diſſertationes Hiſtorico-Theologicæ, de Hæreſi Apollinaris, de variis Athanaſio ſuppoſitis Operibus, adverſus Simonium, item D. Chryſoſtomi Epiſtola ad Cæſarium. Roterodami, 1694. 4.

Alex. Donati Roma vetus, ex Italico in Latinum ſermonem translata, cum figuris æneis. Amſtel. 1694. 4.

Codex Talmudicus de Jejunio, ex Hebræo ſermone in Latinum verſus, commentariisque illuſtratus a Dan. Lundio, Sueco. Trajecti ad Rhenum 1694. 8.

Euripidis quæ extant Tragœdiæ XX, item Fragmenta aliarum plusquam LX Tragœdiarum, & Epiſtolæ V nunc primum adjectæ & cum ſcholiis doctorum virorum ac notis editæ, opera Joſuæ Barnes. Cantabrigiæ 1694. fol.

La Vie du Cardinal Jean François Commendon, par Mr. Fléchier. A Paris 1695. 12.

Le Secret des Cours, ou le Journal de VValſingham Secretaire d'Etat ſous la Reine Eliſabeth. A Cologne 1695. 12.

Relation de l'Empire de Maroc, par Mr. de S. Olon. A Paris 1695. 12.

Les Vies des Hommes illuſtres de Plutarque, avec des Remarques par Mr. & Me. Dacier. A Paris 1695. 12.

Obſervations ſur la Groſſeſſe & l'Accouchement des Femmes, par François Mauriceau. A Paris 1695. 4.

Eduardi Pocockii Commentarius in Prophetiam Joëlis, e ſermone Anglico in Latinum tranſlatus. Lipſiæ apud Jo. Th. Fritſch, 1695. 4.

Selectiora Numismata in ære maximi moduli, e muſeo Franciſci de Camps, cum interpretationibus Vaillanti. Paris. 1695. 4.

Cl. Franciſci Meneſtrerii S. J. Philoſophia Imaginum. Amſtelod. 1695. 8.

(o)

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno M DC XCIV.

MEMOIRES DE JAQUES MELVIL &c.

i. e.

Commentarii Jacobi Melvilli, exactam de iis, quæ in Anglia & Scotia, regnantibus Eliſabetha, Maria Stuarta, & Jacobo I contigerunt, relationem complexi. Ex manuſcripto Auctoris editi a Georgio Scot, & ex Anglico idiomate in Gallicum translati a G. D. S.

Hagæ Comitis, apud Adrianum Moetjens, 1694. 12.
Alphab. 1. pl. 8.

CUm ex hujusmodi illuſtrium virorum commentariis, ut plurimum multum bonæ frugis haurire liceat: Melvilli ſane eo pluris erunt faciendi, quod judice doctisſimo viro Gilberto Burneto, in Hiſtoria Reformationis Eccleſiæ Anglicanæ Parte II. T. I. fol. 499, ceteris omnibus in hoc ſcribendi genere, quin & in hoc argumento, dubiam reddere palmam videatur. Sane, ſi dicendum quod res eſt, invenient qui recondita & non quotidiana aucupantur, quod admirentur; invenient civilis doctrinæ cultores, quod & peritiſſimos prudentiores reddat, & ad utramque fortunam eos, qui Reipublicæ ſuam conſecrant operam, inſtruat. Nos rerum pulcherrimarum copia obruti, quæ ſponte ſe offerunt, præcipue quæ ad ipſum Melvillum ſpectant, e medio arripiemus.

Xxx Et

p. 45. Et Melvillus quidem primum tirocinium, ſub auſpiciis Mommorancii Ducis, Galliæ Conneſtabili, qui rerum ſummam in Gallia tenente Henrico II, gratia & auctoritate ita floruit, ut nutu ſuo cuncta regeret, poſuit. p. 25. Vix enim ex ephebis egreſſum Johannes Monluccius Valentiæ Epiſcopus ex Scotia ſecum in Galliam abduxit, ut Mariæ, quæ Franciſco II Delphino nupſerat, a ſervitiis eſſet. Aſt Mommorancius, cui fato quodam innotuerat, haud difficulter a Valentiæ Epiſcopo impetravit, ut Melvillo in familiam ſuam tranſire liceret. p. 47. 48. Tranſiit itaque, fidemque ſuam & induſtriam Domino ita probavit Noſter, ut arcanorum omnium redderetur particeps. p. 69. Eundem quoque ad exercitum, quem Hiſpanis Germanisque Galliæ Rex oppoſuerat, iter facientem ſecutus eſt: ſed tum quidem infeliciter pugnatū eſt, ipſeque Melvillus vulnus accepit. Mommorancius tamen boni ducis pariter ac ſtrenui militis officio functus eſt: id quod Noſter pluribus exequitur. Interim in Scotia res turbari cœperunt: ægre quippe nonnulli ferebant, Reginam, dum Franciſco nupta eſſet, Gallorum dominationem ſuis attraxiſſe cervicibus. p. 79. usque 85. Galliæ Rex itaque, ut cuncta accurate edoceretur, Melvillum, qui animorum habitum exploraret, in Scotiam miſit. Erudiebatur præſente Rege a Mommorancio, quo pacto in hoc negotio ſe gerere deberet. Multa hic ſapienter præcepit, præſentem Scotiæ cum Gallia conjunctionem Gallis utilem fuiſſe palam negavit, idque argumentis exquiſitis confirmavit. p. 93. Cum vero fortunæ fallaces amplexus & ipſe Mommorancius expertus eſſet, Melvillus tempeſtatem, quæ Scotis omnibus in Gallia degentibus imminebat, evitaturus, ad Electorem Palatinum ſeſe recepit, in cujus aula, humanitate incredibili Principis captus, aliquandiu commorari ſecum conſtituit. Mox in Galliam mittitur, Electoris nomine ut Carolo IX, qui mortuo Franciſco fratre, ad rerum ſummam pervenerat, congratularetur. p. 101. Sed in Angliam ire noluit, ad petendam in matrimonium, pro Caſimiro Electoris filio, Eliſabetham; repulſam metuens, fremente licet & indignante Caſimiro. p. 104. Scotiæ tamen Reginæ precibus reliquit locum, & ad Archi-Ducem Auſtriæ Carolum ſe contulit, animum ejus indolemque exploraturus. p. 105. Muniverant illi ad ipſum Imperatorem Maximilianum aditum literæ Palatini Electoris, cujus etiam favorem ſtatim ſibi conciliavit, ſimul tamen ea, qua erat facultate,

cultate, intellexit, eum fratris ſui cum Maria connubium neutiquam probare. Per Italiam itaque ad Palatinum rediit. Rurſus filiæ primogenitæ Imperatoris Maximiliani imaginem, ad Carolum Galliæ Regem, de conjuge thorique ſocia eligenda ſollicitum, deferre jubetur. De moribus Catharinæ Mediceæ Galliæ Reginæ hic quædam addit, quæ legiſſe neminem pœnitebit. Non obſtante vero, quo Mommorancium proſequebatur odio, cujus cauſas Noſter ediſſerit, Melvillum tamen ægre dimiſit; qui patriæ ſua denegare officia, ſibi religioni duxit. Hinc & ſplendidos, qui ab Electore Palatino illi offerebantur, honorum titulos acceptare noluit. Per Angliam itaque in Scotiam iter faciens, Caſimiri Principis imaginem, precibus ejus adductus, Eliſabethæ exhibuit, aſt irrito eventu. Primam occaſionem fidem ſuam & Reginæ & patriæ probandi, obtulerunt illi ſimultates, inter Mariam atque Eliſabetham exortæ. Intellexerat Maria, Eliſabetham, utut affectum erga ſe tenerrimum præ ſe ferret, nolle tamen, ut matrimonium iniret, præſertim cum Carolo Auſtriæ Archi-Duce: ideoque ad literas Eliſabethæ verbis durioribus, & alienatum animum palam prodentibus, reſpondit. Potuiſſet hæc ſcintillula in maximum erumpere incendium, niſi Maria, Maximiliani mentem a Melvillo edocta, mitioribus conſiliis reliquiſſet locum, & ad placandam Eliſabethæ iram, Melvillum ipſum miſiſſet in Angliam; qui de ſtatu aulæ, moribus procerum, indole Reginæ, a Tragmontano amico ſuo ſingulari certior factus, tanta dexteritate, id quod in ſe ſuſceperat, executus eſt, ut literas Mariæ, præſente Melvillo diſcerperet, ſeque hoc ipſo omnem illatæ injuriæ memoriam deponere, ſanctiſſime aſſereret Eliſabetha. Quæ de vitæ, quam Eliſabetha tenuit, ratione hic memorat Noſter, lectu non injucunda, nec ubivis obvia ſunt. In Scotiam redux, rei bene feliciterque geſtæ gloriam conſecutus eſt, animumque Reginæ adeo in ſe propenſum habuit, ut non ab alio, quam Melvillo, errata ſua corrigi, & regnandi arte imbui voluerit. Munus hocce periculi pleniſſimum, invitus & fruſtra reluctans, tandem ſibi imponi paſſus eſt, Reginamque initio dictis ſuis audientem habuit. Aſt poſtquam in conſuetudinem Davidis Riccii penitus ſe immerſerat Maria, Melvillus quidem ea, quam illi indulſerat Regina, libertate uſus, quam hi mores non decerent Reginam, & quantis periculis ſe regnumque exponeret, pa-

p. 106. p. 112. p. 113. p. 118. p. 125. p. 121. p. 135. p. 143. p. 146. p. 150. 151. p. 162. p. 167. p. 173.

lam

lam ediſſeruit, adeo parum hæc curante Regina, ut nec decori nec
p. 174. periculi rationem haberet ullam. Jam ſurdæ ſe narrare fabulam intelligebat noſter, petebatque a Regina, ut liceret ſibi privatam vivendi ſortem cum aula commutare. Aſt manere in ſtatione juſſus eſt. Spartam ergo, quam nactus erat, ut bonum virum decebat, ornaturus, Reginæque ſalutem propriæ præferens, ſuadet illi, ut
p. 183. Murræum Comitem ſociosque ejus in gratiam reciperet. Sed illa quidem nullius ſalubris conſilii erat patiens. Aſt mox malo ſuo experta eſt, quam non impune ſapientum virorum negligantur ad-
p. 201. monitiones. Odium enim quo proceres ipſeque Rex Riccium proſequebantur, non poterat aliter, quam ſanguine ejus expiari. Cædem vero hancce, injuriamque ſibi illatam adeo ægre tulit, ut nil niſi vindictam ſpirans, cum Rege ipſo, fruſtra omnem movente lapidem Melvillo, redire in gratiam abnueret. Cum deinceps filium Jacobum enixa eſſet, Melvillus nuntium hunc Eliſabethæ allaturus,
p. 217. in Angliam proficiſcitur. Et Eliſabetha quidem, ea qua pollebat
p. 218. 219. ſimulandi diſſimulandique peritia, dolorem, quo æmulæ reginæ fœcunditas eam affecerat, alto pectore preſſit, gaudiumque ingens præ ſe tulit. Multi ex proceribus Angliæ favebant tunc temporis Mariæ: atque potuiſſet profecto fortunam ad lubitum flectere, modo illi mens non læva fuiſſet. Aſt poſtquam ea aut connivente aut conſentiente, Rex horrendo ſcelere interfectus eſt, regiumque thorum parricida Bothvvellus commaculavit, tum retro ire omnia, & præ-
p. 243. cipiti ruere lapſu cœperunt. Ut revocaret ab imminente pernicie Reginam Melvillus, literas illi legendas tradit, ad ſe ab amico ſcriptas, quibus quam inexpiabili ſcelere ſe commaculatura eſſet Regina, ſi Bothvvello nuberet, luculenter ediſſerebatur; quæ tantum abeſt ut eam rectius ſapere docuerint, ut rem nec ipſum clam habuerit Both-
p. 249. vvellum, Melvillumque hoc ipſo in maximum vitæ adduxerit diſcri-
p. 252. men. Mariam quidem conſilii tam intempeſtivi pœnitentia mox ſubiit, cum Bothvvellus ipſe, quem ad tantum faſtigium extulerat, contumeliis verbisque durioribus, quæ & infimæ ſortis hominis patientiam ſuperaſſent, in eam ſæviret. Nihilo ſecius, cum peſſimus parricida fuga ſaluti ſuæ conſuleret, ipſaque Regina, ut procerum votis faceret ſatis, eum res ſuas habere juſſiſſet, clanculum literas
p. 264. ad eum dedit, quibus de affectu ſuo nunquam intermorituro eum reddidit

Digitized by Google

reddidit certiorem. Quo ipſo proceres univerſos, in quorum manus hæ literæ pervenerant, quam vehementiſſime irritavit. Fugato itaque & ejecto Bothwello, capta Maria (quam poſtea in Angliam profugiſſe, nemo ignorat) ſcindebantur in partes proceres, aliis Reginæ partes ſe amplecti ſimulantibus, aliis pro Principe Jacobo militantibus, omnibus, paucis exceptis, ſuis inſervientibus cupiditatibus. Cordatiores conſopire hosce motus annitebantur, inter quos Melvillus fuit, qui boni civis partes accurate explevit. Sed totam hanc ſcenam inſtruxerat Eliſabetha, quæ callide, teſte Melvillo, procerum diſſenſiones fovebat augebatque. Ceterum qui Reginæ partibus ſerio ſtudebant, ſedem ſuam poſuerant Edimburgi, cui Grangius, vir integerrimus, præerat, qui & inter hosce primum tenebat locum. Hos, Vice-Reges Scotiæ, qui capta Maria, rerum ſummam tenebant, ad concordiam revocare ſæpius nitebantur, ſtrenuam operam patriæ ſuæ hic iterum navante Melvillo, ſed per Anglorum fraudes hæc conſilia irrita fuere. Miſeram ob inteſtinas hasce diſcordias Scotiæ faciem, nemo facile accuratius Noſtro delineavit. Tandem Jacobus ipſe rerum habenas capesſit, pacem quietemque redditurus fesſis patriæ rebus: aſt parum abfuit, quin motibus longe periculoſioribus Scotiæ regnum conturbaretur. Lenoxiæ Ducem, Arraniumque Comitem Jacobum Stuartum, quorum ille Romanæ Eccleſiæ doctrina imbutus erat, hic divini humanique juris contemptor, nulla religionis tangebatur cura, a conſiliis ſibi eſſe voluerat Rex Jacobus, graviſſimisque viris, qui uſu rerum, fideque & integritate eos longiſſime ſuperabant, prætulerat. Hinc diſſenſiones, hinc conjurationes, & tota malorum cohors. Nonnulli de Rege ipſo intercipiendo conſilium ceperant, de quo certior factus Melvillus, Lenoxiæ Ducem, ut ſuæ Regisque ſecuritati conſuleret, admonet: aſt tergiverſante morasque nectente Duce, Rex, priusquam hasce molitiones reſciſceret, in manus procerum pervenit. Lenoxiæ Dux fugam arripuit, delatusque tandem in Galliam, ibi vitam cum morte commutavit. Arraniæ Comes captus eſt: quo minus tamen gravius quid in illum ſtatueretur, Gauriæ Comitis fides fecit. Voti compotes, qui fœdus contra Ducem Comitemque inierant, Regem libertati reſtituunt: qui hosce ſuorum conatus verbo laudavit (regni enim Regisque ſalutem obtentui ſumpſerant) reipſa vehementer deteſtatus

p.270.271. p.274.341. p.280. p. 340.342. p. 395. p. 397. p.408.409. p.412.

p. 418. eſt, injuriamque ſibi illatam vindicare ſecum conſtituit, diſſuadente Melvillo. Aſt fœderati proceres alienatum a ſe Regis animum haud difficulter intellexerunt, quod ad comitia, quæ Rex indixerat, non eſſent vocati; hinc denuo illi ſtruxerunt inſidias, quas tamen ope Melvilli evaſit feliciter, quem ideo magnifico elogio publice ornavit.
p. 422.
p. 431. Rex periculis hisce defunctus, ſaluberrimumq; Melvilli conſilium parum penſi habens, revocat Arranium Comitem, priſtinosque honorum illi reddit titulos. Melvillo enim nihil ſolennius erat, quam inculcare Regi, quam multos Principes miniſtrorum ambitio præcipites dederit.
p. 439. Eliſabetha quoque eodem tempore Jacobum admonuit, ne perditorum hominum (Jacobum Stuartum præcipue innuebat) conſiliis ſe circumagi pateretur, & ut in gratiam reciperet Arranii Comitis hoſtes. Sed reſpondere Eliſabethæ literis Melvillus juſſus, demonſtravit, Regis quam maxime referre, ne impune tantum perpetraſſe facinus, & ſacrilega impietate ſubditorum officium migraſſe viderentur. Melvillus Arranii Comitis fraudibus cuncta agi ferrique, & quadrata miſceri rotundis ægre ferebat, ſæpius etiam in-
p. 446. dignabundus conquerebatur: impetrare tamen a Rege non potuit, ut ad ſuos ſe reciperet Lares. Stuartus contra, ut perderet Melvillum, nihil fecit reliqui. Cum itaque Rex nihil magis in votis haberet, quam ut regni Anglicani hæres ab Eliſabetha conſtitueretur, Arranius Comes auctor illi ſuaſorque extitit, ut Melvillum in Angliam mitteret, qui Jacobum voti redderet compotem. Neque enim latebat callidiſſimum hominem, neminem ab Eliſabetha *hoc impetraturum*: hinc Melvillum rei infeliciter geſtæ crimine oneratum iri, intelligebat. Aſt hæc conſilia Noſtrum minime latebant, ideoque ut Legati munere fungeretur, nulla prorſus adduci poterat ratione.
p. 456. Quin Regi ipſi haud difficulter perſuaſit, eum petitione iſta, certe parum opportuna, Eliſabethæ animum irritaturum. Interim Regem,
p. 448. in quo hactenus peccatum eſſet, minime clam habere, ſuarum eſſe partium arbitratus eſt. Literis itaque, quas & hic legere licet, id Regem edocuit, niſi Arranii Comitis ambitioni modum poneret, eum quidem ſalvum eſſe non poſſe. Nec abnuebat Jacobus, rem ita ſe habere: rebus tamen tam profligatis, Comitis Arranii fraudibus circumventus, afferre medelam auſus non eſt. Qui Regi a conſiliis erant, ad nutum Comitis ſe componebant: ſolus Melvillus malis hisce

Digitized by Google

hiſce ire obviam auſus eſt. Quin ipſi Stuarto nobilium fortunis inhianti, & Regis decretum, quo procerum, qui contra Lenoxium Ducem arma ſumpſerant, erratis ignoverat, irritum reddituro, palam p. 463.
& tanta contentione reſtitit, ut inexpiabili inde odio in eum exarſerit Stuartus. Furor hominis eousque progreſſus eſt, ut & Conſiliarii intimi munere ſe abdicare coactus ſit Melvillus: cui nihil optatius obtingere poterat, quam procul aulæ ſtrepitu inter vitæ privatæ receſſus deliteſcere. Sed ne ita quidem voti ſui eſt damnatus. In Angliam enim denuo ire juſſus eſt, ab Eliſabetha impetraturus, ut Jacobi Regis in Anglicano regno ſucceſſionem ratam eſſe juberet. Id p. 465. p. 466.
quod tamen facere detrectavit: mentem ſuam interim literis aperiens, quibus argumenta, quæ Eliſabetham, ut petitis Regis annueret, adducere poterant, expoſuit. Hæc dum geruntur, Rex comitia celebrat, ad inteſtinas diſſenſiones conſopiendas. Arranius Comes quid quemque in Comitiis dicere atque ſentire vellet, ſingulos p. 471.
prius edocuit, eoque ipſo effecit, ut Regi quidem omnes abblandirentur proceres, ipſi interim rerum præſentium pertæſi, & ad jugum, quamprimum commoda ſeſe offerret occaſio, quatiendum parati diſcederent. Cuncta Regi per Melvillum innoteſcunt: qui & ad p. 477.
ipſum Arranium Comitem dixit, quod procerum concordia, regnique tranquillitas ſperari non poſſit, id penes eum ſtare. Ille itaque p. 478.
denuo furore abreptus, haud difficulter a Rege impetravit, ut procul faceſſere Melvillus, nec ad Regem, niſi vocatus, accedere juberetur. Rex autem, cum denuo ſibi inſidias ſtrui, quosdam etiam res novas moliri intelligeret, ſimul quantum inter adulatoris blanditias & fidele probi viri conſilium interſit, expertus eſt. Advenerant interim in Scotiam Daniæ Regis Legati: qui ut in Scotia contemptim p. 498.
haberentur, Eliſabethæ intererat, ne forte Daniæ Regis filiam matrimoniali fœdere ſibi jungeret Jacobus. Qui ergo Regi a conſiliis erant, ab Eliſabetha corrupti, Regi perſuaſerant, Daniæ Regem ex inferioris ſortis parentibus eſſe prognatum. Legati itaque omnium exponebantur ludibrio. Quæ res, quod in bellum atrociſſimum non eruperit, Melvilli provida fecit cura. Regem quippe edocuit, inter potentiſſimos Europæ Principes minime ultimũ tenere locum Daniæ Regem, quippe qui & potentia, & generis antiquitate nemini facile concedat: Legatorum etiam placavit iram, injuriæque illatæ p. 502.

Digitized by Google

latæ culpam in Regem non poſſe derivari, oſtendit. Interim Arranii Comitis fraudes indies magis magisque Regi innotuerant, eumque ad juſtiſſimam provocaverant iram. Hinc, cum eodem tempore argueretur multorum criminum, & contentionum quoque inter Anglos Scotosque milites, regni limites defendentes, exortarum cauſa in illum transferretur, in carcerem conjectus, amicorumque
p.511. precibus vix libertati reſtitutus eſt. In carcere inter alia aulæ Anglicanæ conſiliis ſe in transverſum actum fuiſſe faſſus eſt, Eliſabethæ quoque ſe promiſiſſe, effecturum ſe, ne conjugium, niſi tribus demum annis elapſis, Rex Jacobus contraheret. Quo minus tamen priſtinum honoris recuperaverit locum, multa obſtabant, præſertim nova procerum conſpiratio, cujus, ut deinceps patuit, non alius finis fuit, quam ut ab intolerabili Comitis Arranii jugo Scoti liberarentur. Ex quo igitur compertum eſt, Regem profani hominis fraudes ſerio deteſtari, haud difficulter motus illi ſunt compreſſi. Melvillo contra tum crebrius Rex uti cœpit, qui ut in pacem concordi-
p. 532. 533. amque coaleſcerent feroces animi, omnem navavit operam. Nec
529. alium magis idoneum eſſe cenſuit, qui Legati munere fungeretur, ſed recuſavit illud Melvillus, & ne in Angliam præcipue ire cogeretur, vix obtinuit. Opportune tamen accidit, ut Randulphus Eli-
p.553. ſabethæ ad Jacobum Legatus, alium ſuo genio magis attemperatum mitti cupiens, ut mutaret conſilium, Regi perſuaderet. Ceterum Rex Jacobus, reclamantibus licet, quotquot illi a conſiliis erant, Daniæ Regis filiam ducere in matrimonium ſecum conſtituit: & cum Legatis, quos altera vice miſit, nullis circumſeptam limitibus ſtatuendi facultatem dediſſet, utrinque matrimonium iſtud ratum fuit. Moram vero omnem impatienter ferens, navi quæ ſponſam vehebat, vi tempeſtatis ad Norwegiæ littora ejecta, ipſe Rex mari ſe com-
p. 558. miſit, Norwegiamque, & inde cum ſponſa Haffniam petiit, & ibi, nuptiis ſolenni ritu celebratis, per hiemem commoratus eſt. Prius-
p. 568. quam autem iter hocce ſuſciperet, a Melvillo noſtro, quo pacto in regni adminiſtratione ſeſe gerere deberet, edoceri voluit: penes fratrem autem ejus Robertum, ſummam rerum, ſe abſente, eſſe juſſit.
p.564. Aſt in Scotiam redux perfidorum fraudibus circumventus, Melvillum rei negligenter geſtæ arguit. Qui ab objectis ſibi criminibus
p. 592. ſtrenue ſe purgavit, favoremque Regis recuperavit. Jacobum Melvillum

villum autem Cancellarii munere apud Reginam promiſſi memor fungi voluit, ægre id primum ferente, tandem conſentiente & probante Regina. Priusquam vero hac dignitate ornaretur, Regi denuo regnandi præcepta dedit, ſapientisſima profecto, ut cum illis, quibus Cyrum ſuum inſtruxit Xenophon, dubia poſſint contendere palma. Statum regni Scotici, ſubditorum indolem, delineavit accurate, nec quicquam prætermiſit eorum, quæ ſcire Principem neceſſe eſt. Ad hancce normam ſi mores ſuos compoſuiſſet Rex Jacobus, adulatorum blanditiæ eum tam ſæpe non circumegiſſent in transverſum: unde motuum, diſſenſionum, rebellionumque uberrima ſeges tum temporis in Scotia effloruit. Cuncta hæc ſigillatim per reliquam libri ſexti partem Melvillus noſter perſequitur, quæ hic accuratius recenſere, ſupervacaneum foret.

Ceterum & alia ſubinde Auctor commemorat, quæ & curioſisſimorum Lectorum explere cupiditatem poterunt. Ea vero ſingula ut huc tranſcribamus, inſtituti noſtri ratio, qua brevitati ſtudere jubemur, non permittit. Speciminis loco paucisſima annotaſſe ſuffecerit. Henricum VIII Angliæ Regem ab Aſtrologo quodam didiciſſe ait, filium ſuum Eduardum rebus humanis præmatura ereptum iri morte: Mariam contra & Eliſabetham, filias, exteris nupturas Principibus; & Eliſabethâ quidem Scoto aut Gallo, Mariam autem Hiſpano. Ille itaque, aut fatorum vim eluſurus, aut artis vanitatem demonſtraturus, veneno necare filias ſecum conſtituit: cujus quidem vim medicamento opportune ſumpto infregerunt; corporis tamen robur ita imminutum, ut ad prolem in lucem edendam parum idoneæ inde fuerint. Maria ſane non aliam ſterilitatis ſuæ cauſam eſſe exiſtimans, vindictæque cupidine flagrans, oſſa defuncti parentis clanculum ad ſe deferri, atque comburi juſſit. Hæc a viro fide digno, & arcanorum aulæ Anglicanæ probe conſcio, ſe accepiſſe aſſerit, p. 89, 90 & 101: nos vero Lectoris judicio relinquimus. Sed nec injucunda lectu ſunt, quæ de Basſintono Aſtrologo, qui Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ, & carcerem & mortem violentam auguratus eſt, narrat. Idem Basſintonus Aſtrologiam etiam defendit contra Melvillum, qui hanc artem diabolicam vocaverat, & Philippi Melanchthonis aſſerentis, nihil eam quod ſcire nefas eſſet tradere, auctoritate ſe munivit, pag. 290, 291. Prolixe etiam de Regibus

Daniæ p. 506. Noſter diſſerit, quæ eruditionem ejus profundam ſane, ſatis arguunt. Sed cætera, inſtituti noſtri memores prætermittimus.

SYNTAGMATA THEOLOGICA, SIVE Principalis Theologiæ Tractatus. Tomus I. ad primam, & Tomus II. ad primam ſecundæ Thomæ Aquinatis. Auctore P. AUGUSTINO LAURENTIO, Societatis Jeſu, Luſitano Terenenſi, olim in Collegio Ulyſſiponenſi ejusdem Societatis Philoſophiæ Profeſſore, nunc Sereniſſimæ Britanniæ Reginæ Dotariæ (ſive Viduæ) Concionatore.

Leodici Eburonum ap. Guilielm. Henr. Streel, Anno 1694.
Tomus I. conſtat 7. alphab. 6. plagulis, Tom. II. alph. 6. pl. 18. in fol.

CUm Auctor Reverendus univerſam ſcribendo Philoſophiam abſolviſſet, quam typis expreſſam memoravimus in *Actis* his *An. 1687 menſe Septembri, pag. 527;* Theologiæ, licet ultra quinquagenarius, pelago ſe commiſit, ac ſex illud tomis, quorum nunc primus & ſecundus prodiit, ſuperare ſuſcepit. Incipiendo igitur a prima parte Thomæ, quæ tota præcipue de Deo agit, omiſſis pluribus, quæ in Philoſophia propoſuerat, *Tomi I.* tres Tractatus fecit, quorum primo agitur de Deo viſo, ſive de Viſione Dei; ſecundo de Deo Prædeſtinatore, ſive de Prædeſtinatione, ubi aliqua de Providentia expediuntur; tertio de Deo Trino, ſive de Sacroſanctæ Trinitatis myſterio. Tractatus *primus* doctrinam de poſſibilitate ſive exiſtentia viſionis beatæ; de principiis ejusdem ex parte objecti; de principiis ex parte potentiæ; de multiplici perfectione viſionis beatæ; de illius objecto terminativo; de æqualitate & inæqualitate inter viſiones beatorum, & de incomprehenſibilitate Dei complectitur. Tractatus *ſecundus* de providentia; de prædeſtinatione ſecundum ſe; de cauſis prædeſtinationis; de illius effectibus; de reprobatione, ejusque cauſis & effectibus; de comparatione prædeſtinationis & reprobationis inter ſe diſſerit. Tractatus *tertius* de exiſtentia & cognoſcibilitate myſterii Trinitatis; de proceſſionibus divinis; de illarum principio & termino; de relationibus divinis; de perſonis divinis,

quoad

quoad rationem perſonæ in communi; de prima perſona, qui eſt Pater; de ſecunda perſona, qui eſt Filius; de tertia perſona, qui eſt Spiritus Sanctus, tandemque de omnibus his perſonis comparatis inter ſe agit.

Secundus Tomus ad primam ſecundæ Thomæ continet triplicem Tractatum; primum de Conſcientia, ſecundum de Merito, tertium de Reviviſcentia meritorum. *Primo* agit Auctor de conſcientia in communi; de conſcientia recta; de conſcientia quæ eſt erronea; de conſcientia probabili & improbabili, ubi aſſerit, licere ſequi opinionem minus tutam, & minus probabilem, item ad probabilitatem ſufficere unum doctorem; de conſcientia dubia; de conſcientia ſcrupuloſa. *Secundo* de exiſtentia, quidditate & diviſione meriti; de requiſitis ad meritum; de augmento meriti de condigno & illus præmio; de rebus, quæ cadunt ſub meritum; de merito de congruo, & illius præmio. *Tertio* de meritorum, quæ per peccatum mortificata fuerant, reviviſcentia mediante pœnitentia ſic agit, ut primo de reviviſcentia meritorum ſecundum ſe; dein de præmiis, ad quæ reviviſcant opera per peccatum mortificata; deniq; de operibus, quibus competat hujusmodi reviviſcentia, methodo Scholaſticis Doctoribus recepta commentatur.

MEDULLA SUBSTITUTIONUM HÆredum. Autore Jac. Otto.

Ulmæ apud Georg. Wilhelm. Kühn, A. 1694. in 8.
Conſtat Alph. 2. plag. 3.

TAmetſi non pauci inter Doctores Juris reperiuntur, qui tantam materiæ Subſtitutionum ſubtilitatem ac ſublimitatem eſſe ſtatuunt, ut non tantum compendiaria interpretatione includi, ſed & ob ejus infrequentiam ad uſum noſtrorum judiciorum applicari nequeat; multo tamen plures ſunt, qui adverſam illis tenent ſententiam, contrariæque validis omnino argumentis ivere obviam. Inter quos non ultimo loco nominandus venit præſentis Medullæ Autor conſultisſimus, qui poſtquam integra tam veterum quam recentiorum, quorum prolixum in præfatione texit catalogum, Juris interpretum

Digitized by Google

de ſubſtitutionibus volumina deprehenderat,quæ illas a praxi judiciorum non adeo remotas eſſe oſtenderent, ac quotidianam dicaſteriorum hiſce controverſiis perſonantium experientiam, una cum inſigni utilitate, quam non ſolum liberis inſtitutis, ſed etiam aliis præſtat (ſiquidem Baldum ultra 15000. ducatorum exinde lucratum fuiſſe refert) perpenderat,ſecus ſentientium opinionẽ ſe deterrere haud fuit paſſus,quin huic operi admoveret manum. Hoc ipſum vero in generalem & ſpecialem diſpeſcit tractationem, in quarum illa Subſtitutionis in genere definitionem tum nominalem tum realem, nec non diviſionem cæteraſque cauſas, in hac vero ſeptem ejus ſpecies, vulgarem nimirum, pupillarem, quaſi pupillarem ſive Juſtinianeam, militarem, compendioſam, reciprocam & fideicommiſſariam, juxta illud (uti cum Deciano appellat) perfectum quatuor cauſarum genus exponit, ac illarum ſingulis certas formulas, quibus commode fieri poſſint, ut & hinc inde præjudicia, plerumque ex Carpzovio petita,ſubnectit.Cæterum in multis Auctor noſter a vulgaribus Interpretum placitis recedit,quo ſpectat,dum p. 23. communẽ Doctorum ſubſtitutionis in vulgarem,pupillarem, exemplarem, compendioſam & breviloquam,diviſionem notat, quod ex duobus membris faciat quinque, & ex variis ſubſtitutionum formis a ſe invicem haud diſſentaneis,differentias deſumat, quo caſu earum innumeræ fieri poſſint. P. 51. ſeq. Rejicit, quod Interpretes ſubſtitutionem quandam breviloquam appellent, & hanc ſubſtitutionis ſpeciem eſſe dicant. P.358. Subſtitutionem quaſi-pupillarem rectius quam exemplarem, ſicut peculium quaſi-caſtrenſe & quaſi-uſumfructum vocari,cum Ludvvello ſtatuit. P. 394. Subſtitutionem compendioſam etiam in paganis Doctores ad exemplum militum commentos eſſe aſſerit. Nonnulla etiam,quæ quidem ad ſubſtitutiones directo haud pertinent, huc tamen ob materiæ affinitatem ac utilitatem commode trahi poterant, inſpergit,quæ etiam brevibus indicare operæ pretium exiſtimamus. Ita p. 105. ſubjungit thema ſuum inaugurale anno 1656. habitum, de Jure accreſcendi, quia ſeſe hactenus nulla occaſio, excepta hac obtulerit,idipſum aliquatenus, ut ait, extendendi, cum cogitationes poſteriores eſſe ſoleant meliores. P. 173. Annectitur integer fere Proceſſus Civilis, ſeu egregia Deductio Juris ſuper jure accreſcendi. P. 299. Inſerit tractationem de Jure Repræſentationis. Tandem

p. 420.

Digitized by Google

Tandem p. 420. coronidis loco caſum, ut vocat, mixti generis, ſive controverſiam Honoldinam: An in fratrum liberis facta ſubſtitutione, ſubintelligatur tacita conditio, ſi ſine liberis? typis quidem Noribergæ anno 1567. exſcriptam, ſed non cuivis obviam adnectit.

DESCRIPTION DES PLANTES DE l'Amerique, avec leurs figures, &c.

i. e.

Deſcriptio Plantarum Americæ, una cum earum iconibus, auctore R. P. Carolo Plumerio, ordinis Minimorum.

Lutetiæ Pariſiorum, e typographia Regia 1693.
Conſtat plagulis 28 & tabulis æneis 108. in fol. chartæ auguſtæ.

IN Præfatione pauca de Botanices in Naturali Hiſtoria utilitate Auctor reverendus edifferit: inde ſolertiam deprædicat, a R. P. *Philippo Sergeant*, ex eadem Minimorum familia, & Dn. *Franciſco de Onuphriis*, medico Romano, in demonſtrationibus plantarum Romæ in monaſterio S. Trinitatis in Montibus, in quo Auctor commoratus tum fuit, inſtitutis præſtitam; qua & excitatum ſe commemorat, ut Mathematicis, quibus animum antea adjecerat, ſtudiis paulatim abjectis, ad Botanicam excolendam ſe applicuerit. Ejus ergo ſtudii jucunditate ſe allectum, poſtquam Roma in Galliam revocatus a Superioribus eſſet, ab iisdem petiiſſe ait ac impetraſſe, ut oram Provinciæ Alpesque pererraret, floribus plantisque indagandis: jamque ſe, poſt operam in hoc ſtudio ſtrenue collocatam, de nova plantarum Sylloge adornanda figurisque illuſtranda cogitaſſe, cum Americam inviſendi occaſio præter expectationem oblata ſibi fuerit. Cum enim Dn. *Begon*, navium Maſſilienſium Præfectus, juſſu Regis viros exquireret idoneos, qui in inſulas Antillas navigarent, & naturæ arcana illic locorum deliteſcentia perſcrutarentur, ſe tum invitatum facileque adductum fuiſſe, ut iter ingrederetur. Illic itaque per biennium ſe omnia curioſo oculo perluſtraſſe, eaque uſum fuiſſe

Digitized by Google

felicitate, ut fere ſexcentas diverſas plantas delineaverit deſcripſeritque, quarum nunc partem aliquam, centum nempe & octo, cum botanophilis communicare voluerit.

Omnes vero plantas, quas Auctor diligentiſſimus hoc volumine exhibet, ad tres claſſes revocavit. Earum prima varias rariores *Filicis, Hemionitidis, Polypodii, Linguæ Cervinæ,* & *Adianti* ſeu *Capilli Veneris* ſpecies complectitur.

Secunda claſsis *Ari* & *Dracontii* ſpecies comprehendit, quibus Auctor novum quoddam plantarum genus, quod ad nullum hactenus cognitorum referri commode poſſe viſum ipſi fuit, ſubjungit, illudque a figura, quam exhibet, *Saururam*, i.e. caudam lacertæ appellat.

Tertiam claſſem Auctor ſcandentibus plantis, *Convolvulis, Clematidibus, Apocynis, Bryoniis, Phaſeolis* conſecrat: cunctis in tabulis æneis ad vivum ſic expreſſis, ut jam facillimo labore cognoſci ac a ſe invicem diſcerni queant.

Denique ignorare Orbem Eruditum noluit Auctor Mæcenates, quibus in hoc opere adornando fuerit adjutus, nominatque in præfatione tum *Dn. de Seignelay,* Miniſtrum quondam & Secretarium Status, tum qui illi in hoc munere ſucceſsit, *Dn. de Pontchartrain:* quorum ille impenſas itineris, hic ſumptus ad excudendum typis opus, figuraſque æri incidendas, commendatione ſua a Rege impetraverit. Nos vero optamus merito, ut reliquis etiam, quos paratos Auctorem habere non dubitamus, tomis edendis ſumptus abunde ſuppetant.

DE POLONIA NUNQUAM TRIBUTARIA Tractatus Hiſtorico-Politicus, Autore JOHANNE SCHULTZIO, J. U. D. ejusdemq; ac Hiſtoriar. Prof. Publ. & Gymn. Gedanenſis Inſpectore.

Gedani, imprimebant heredes David. Frid. Rhetii, A. 1694. in 4. 1. Alphab. 22 plag.

INſignem gentis Polonicæ gloriam vindicaturus, eamque nulli exterarum ſubjectam aut tributariam fuiſſe evicturus Auctor nobiliſſi-

liſſimus, difficilem reddi hunc conatum queritur e defectu antiquorum patriæ illius ſuæ Scriptorum; unde etiam, cum recentiores quidem non deficiant, aſt eorum tamen fides ob præſumtum indulgentiorem paulo affectum dubia reddi queat, ab exteris præſidium petendum ſibi fuerit, ſed imbelle ſæpius, imo adverſum, prout quilibet eorum vel amore in ſuam gentem, vel odio in Polonos, vel privato iræ aut vindictæ ſtudio incitatus ſcripſerit. Nihilo tamen ſecius, veritatis fiducia erectum ſe opus iſtud perfeciſſe affirmat. Ac Martinum ſane Cromerum non inutilem in hoc argumento collocaſſe operam, eique fidem deberi utique indubiam fatetur; verum ſparſim ab ipſo geſtum negotium, ſæpeque contemtim ac neglectim habitum, veri forte conſcientia, ſimul indigitat; qua freti plerique etiam Annalium Polonicorum conditores, arrepta, uti ſe obtulerit, occaſione, illud idem pertractantes rem tetigiſſe potius, quam deduxiſſe deprehendantur. Promiſſam haberi a Gliznero induſtriam huc facientem; incertum autem, an impenſa ab eodem fuerit. Noſtra ætate, cum celeberrimus Conringius animoſe ſententiam modo dictam impugnaret, pro ea defendenda ſcribere quid voluiſſe quendam Franciſcum Marinium, ſed fœtum illum deſideratiſſimum aut in partu ſuffocatum, aut, ſi lucem adſpexerit, ad aurei velleris inſtar alicubi arcte cuſtodiri opinatur. Clariſſimum igitur Hartknochium ſuam in libro de Republica Polonica ſententiam paucis aperuiſſe, in cujus præcurſoris veſtigia ire propius, glorioſum ſibi reputet.

Poſtquam autem in Sectione *prima* ſenſum vocabulorum regionem tributariam indicantium late excusſit, duplicemque tributi ſignificationem conſtituit, *propriam*, quæ ſubjectionis notam & recognitionem ſuperioritatis pro fine inferat, & *impropriam*, quando ſolum occurrat nomen, nec quicquam amplius in effectu de natura rei obvium reperiatur; poſtquam item variis eam diſtinctionem exemplis illuſtravit monitisque communivit accuratioribus, eos tandem regionis tributariæ in ſenſu proprio ita nuncupatæ effectus nominat præ cæteris, ut nempe ademta belli pacisque jura, ut ſigna venerationis ſubjectionem denotantia, ut pœnam ob delictum ſubeundam, ut patientiam admittendi præſidii concedendique tranſitus circa eam obſervare liceat.

Hinc in *ſecunda* Sectione Polonos pro antiquiſſimæ gentis Sarma-

Sarmaticæ poſteris, ac ſpeciatim Henetorum ſeu Venedorum progenie, agnoſcendos venire adſtruit, qui tamen Venedi cum Wandalis a Sarmatarum moribus plane diverſis haudquaquam confundendi ſint. Cum autem aliqui Sarmatas a Germanis ortum derivare aſſerant, & iſtud Poloniæ ſubjectionis præjudicium inferre poſſe videatur, primum, ut adhuc incertum iſtud ſit, deinceps vero, ut nulla tamen inde ſequatur ſubjectio, oſtendit, cum Tuiſco, qui Germanicæ gentis conditor ſimulque Rex credatur Sarmatiæ, utriſque hoc pacto gentibus idem conditor extiterit. Quinimo, tametſi porro Germani jus primogenituræ idoneis ſibi vindicare valerent argumentis, nullam ne ſic quidem hinc poteſtatem promanare in ſecundogenitos, cum liberi omnes ab iisdem æqualiter exorti parentibus iisdem quoque gaudeant parentum juribus. Eſſe vero temerarium, quod ob frequentem in Sarmatia linguæ Germanicæ uſum, Polonos e Germana gente ortos eſſe, Cranzius concludat. Uſum enim alicujus linguæ vulgarem & publicum a ſe invicem diſcernit, & ab hoc, non ab iſto, ſubjectionis ſignum petendum eſſe monet. In Polonia autem nonniſi priorem Germanicæ repertum, primas ſemper obtinente Slavonica, ſuperaddit, & plura erudite accumulat, quæ manifeſte doceant, Sarmatam gentem ex Japheti benedicta progenie, imperio, non ſervitio deſtinata ortam, & haud interrupto ab extera aliqua propaginis ſuæ ordine conſervatam, nulli nationi, quocunque titulo, ſubjectam aut tributariam fuiſſe.

Ipſa deinde Hiſtoriarum, quæ huc ſpectent, monumenta paulo penitius excutere aggreditur, in Sectione *tertia* ab initiis Reipublicæ Polonicæ, usqne ad Lechum, qui primus ejus Princeps creditur, juxta Monarchiarum ſeriem, a prima usque ad quartæ ſeculum ſextum pergens, & e Regibus Aſſyriacis primum ait bella cum Sarmatis geſſiſſe Jovem Belum, a quo tamen haud ſubacti fuerint. Nino & Semiramidi in Aſia fuiſſe expeditiones, & Sarmatiam tunc ab invaſionibus manſiſſe liberam. A Ninia vero ejusque ſucceſſoribus ad Sardanapalum usque an eadem tentata armis ſit, nullis comprobari teſtimoniis, ſicuti & ea, quæ poſtea Sarmatis cum aliis gentibus interceſſerint, rara & obſcura per documentorum defectum efficiantur; unde tamen nec de gentis animoſitate dubitare, nec libertatem nationis temere labefactare liceat. Infelices vero in Sarmatas

matas

matas expeditiones Perſarum æque ac Græcorum Reges attentaſſe probat. Ante Cæſarum tempora raras haberi dicit Romanorum in Septentrionem excurſiones; Julium Cæſarem aliis bellis diſtractum, prælium indicere Sarmatis haud potuiſſe; Auguſtum nihil egiſſe amplius, quam quod eos Danubio prohibuerit, muneraque ab iis non in ſubjectionis ſignum, ſed in amicitiæ poſtulationem, receperit. Fata quoq; paulo infeliciora expertum refert Domitianum, nullumque adeo Imperatorum in Sarmatiam usque penetraſſe, ne Trajanum quidem, qui Regem Sarmatam, memorante Eutropio, in fidem ſane receperit, non autem ſub deditionis ſpecie, ſed ut amicitiæ ſolum fœdus cum eo pangeret. Marcum deinceps Antoninum Pium defendere magis quam amplificare provincias ſtuduiſſe. M. Antoninum Philoſophum conatum, ut e Sarmatia redderet provinciam, ſed impeditum perhiberi a Julio Capitolino, qui & irritum Maximini ſtudium ſatis manifeſte prodat. Concidiſſe vero ſenſim ſub Imperatoribus ſequentibus Imperii Romani vires, donec eis ſpiritum quaſi Probus reddiderit, qui Sarmatas aliena tunc poſſidentes quidem vicerit, ſed eos nullo ſubjectionis vinculo conſtrictos ad ſedes rediiſſe proprias, victos etiam prælio a Diocletiano & Conſtantio terram tamen ſuam haudquaquam amiſiſſe. Bellum a Conſtantino M. iis intentatum, mox iterum legi compoſitum. Iniquiores etiam nuncupandos Hiſtoricos recentiores, qui occiſo Rauſimodo Rege, Sarmatas Conſtantino ſubjectos referant. Illum namque non Sarmatarum Regem ſed Gothorum Ducem fuiſſe, nec inſuper in caſu occiſi bello Regis, Rempublicam hoc ipſo hoſtibus reddi ſubditam reſpondet. Mox memoratā a Marcellino Conſtantii de Sarmatis victoriam examinat, eamque potius de Quadis fuiſſe reportatam, e Zoſimi relatione probat, legiones ſolum Sarmatarum aut certam nationis partem ditiones Romanas incurſitantem pro cæſa tunc habendam; e cognomento autem Sarmatici, quod Imperator ſibi ſumſerit, ejus quidem ambitionis, non vero ſubactionis, ſignum ut petatur, rerum geſtarum ſeriem requirere. Eorundem porro Sarmatarum partem, facta in Pannoniam Mœſiamque excurſione a Valentiniano repreſſam, oraſſe quidem pacem, ſed ſine devota ſubmiſſione; ſub Arcadio, Honorio, & Leone quosdam vel pretio vel ſocietatis jure aliis populis immixtos militaſſe, tandem autem ſeu tædio belli cum vicinis perpetui, ſeu

Zzz patriæ

patriæ dulcedine, ad priſtinas Poloniæ, ubi nunc eſt, ſedes remigraſſe, nunquam autem Sarmatiam evaſiſſe tributariam, prolixius oſtendere annititur.

Sectionem *quartam* a Lechi inchoat temporibus, ac eum e propinqua Noæ poſteritate oriundum, & non multo poſt diluvium e Croatia ſeu Pannonia in Bohemiam & Poloniam migraſſe, contra quosdam fabularum architectos pernegat. Verum interim e Pannonia in Poloniam Bohemiamque acceſſum circa A. 550. factum, ſub eoque & proximis ejus ſucceſſoribus florentem ſatis Reipublicæ ſtatum fuiſſe aſſerit; quem tamen Lechi familia extincta ſub duodecim Palatinis abiiſſe in deterius haudquaquam diſſimulat, reſtitutum eundem probans ſub Craco, qui Polonorum, non Bohemiæ Princeps Polonis ſimul imperans, ut quidam in præjudicium gentis opinentur, credendus ſit, filiamque Wendam reliquerit, cujus obitum Polonici imperii periodus pernicioſiſſima exceperit, duodecim Palatinis iterum electis: qua occaſione Marcomanni, Hunni & Germani fines regni illius ferro ac igne tentarint, repreſſi tamen fortiter a Premiſlao I, ut affectatum tunc imperium nulla ratione obtinuerint. Quemadmodum vero ex obſcuris hactenus monumentis ſingula hæc eruere neceſſum Auctor habuit, ita recentioribus ac clarioribus ſe uti poſſe exiſtimat, ubi adverſus unanimem fere Germanicorum Scriptorum conſenſum probare ſuſtinet, quod Polonia ſeculo octavo a Romano-Germanico Imperio tributaria reddita non fuerit. Utut enim largiatur, Slavos a Carolo Magno fuiſſe devictos factosque tributarios, ut plerique aſſerant tempora hæc attingentes Hiſtorici, ſub iſto tamen nomine Polonos intelligendos eſſe minime concedit, & quæ de Lechi II. a Carolo occiſi fatis referantur, ad Obotritarum Ducem Thusconem magis forte applicandum venire monet. Ætate Leſci III. nihil in Polonos molitum ait Ludovicum Pium, ut qui ipſe non exiguam regni ſui jacturam fecerit. Ludovicum II. Imp. in Sileſiam inſtituiſſe expeditionem, verum non tam regionis occupandæ, quam religionis propagandæ gratia. Raſtilem ab eo devictum, non Polonorum ſed Moravorum Regem appellat; imperium enim in Polonia tempore Ludovici II. feliciſſime geſtum celebrat; ſub Arnulpho Moraviam, non Poloniam, tributo ſubjectam; ac tandem ſub Ludovico III. & Conrado brevioris ætatis Princi-

cipibus nihil in hac cauſa memoratu dignum accidiſſe ſuperaddit.

Nihil etiam ſolidi adverſarios probare poſſe ex Hiſtoria temporum ab Henrico I. Aucupe usque ad Henricum III. ſeu a Mieczeslao I. usque ad Caſimirum I. in Sectione *quinta* edocet. Henricum namque Primum alios quidem Slavos, ſed minime Polonos domuiſſe legi. Cum vero Conringius Polonos ab Ottone I. devictos fuiſſe ex Dithmaro probet, & Miſiconem Imperatori fidelitatem ac tributum usque ad Vartam fluvium ſolviſſe aſſerat, inde pro quonam iſte Miſico habendus ſit, prolixe diſpicit, neutiquam Polonorum, ut Mieczeslaum, ſed Slavorum, qui Liucaviki vocentur, Ducem videri aſſerens. Sub Ottone II hiſtoriam huc pertinentem manifeſta rerum laborare oſtendit incertitudine. Miſiconem, qui ſub Ottone III. devictus perhibeatur, rurſus eſſe alium a Mieczeslao. Boleslaum Chrobrū ab Ottone III. & Henrico II. non victum, ſed victorem plerumque extitiſſe, nec a poſtremo petiiſſe pacem, nec, quamvis eam petiiſſet, Imperio ideo ſubjectum nuncupari debere. Dithmarum autem objectioni huic anſam tribuentem confundere inter ſe Boleslaum Polonum, & Boleslaum ſive Bohemorum ſive Obotritarum Regem, Billugum dictum. Quo in loco inſtitutum ab Ottone III. in Poloniam ad ſepulcrum Adalberti iter, variaque dona a Boleslao ipſi exhibita, regiumque vicisſim titulum huic ab illo conceſſum, de quibus ſingulis multa referant Scriptores varii, examinat, & quam parum vero ſint conſona, quam item, ſi vel maxime contigiſſent, Polonorum libertati parum noceant, declarat. Incautos autem videri Polonos Scriptores in eo, quod Boleslaum a tributo abſolutum fuiſſe fateantur, quem tamen nunquam ſub tributo aut alia ſubjectionis ſpecie Romanis Imperatoribus ſerviiſſe conſtet. Ac ſi omnino ab Ottone III. & Henrico II. controverſiam tributi pendendi expertus fuiſſet, aut experiri potuiſſet, non factum tamen id reſpectu Poloniæ, ſed occupatarum provinciarum, quas olim Imperatores tanquam vectigales habuerint, non autem inde amitti libertatem, ſed ſaltem imminui, enixe contendit. Quod denique jus majeſtatis circa ſacra Otto exercuerit in Polonia, quodque Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus Posnanienſem & omnes in Polonia Epiſcopatus reliquos ſubjectos acceperit, penitus inficiatur. Poſt ad tempora Conradi II. Imperatoris Henrico, & Miſiconis II,

Poloniæ in Principatu Boleslao ſuccedentis tempora progreditur, & quæ a Wippone, Godofredo Viterbienſi, Ottone Friſingenſi, Mutio, & aliis de Miſicone a Conrado devicto & Polonis poſt eum factis tributariis recenſeantur, multis rationibus enervat.

Sextam ſectionem inchoat a bello, quo Conradus ad inſtinctum Rixæ, Mieczeslai II. uxoris, Polonos, irrito licet conatu, petierit. Mox Caſimiri in regnum reſtituti meminit, & narrationem refert de transmiſſo quotannis ad Pontificem a Polonis denario, ac de geſtata ab iisdem capillorum raſura, in memoriam iſtius beneficii, quod Pontifex Caſimirum, monachum tunc & diaconum, profeſſionis & ſacramenti religione ſolverit. Prius autem de rei veritate dubitat; poſtmodum raſuram ſoli Caſimiro injunctam e Dubravio oſtendit, denarium vero rationem tributi obtinuiſſe pernegat. Ex illato Bohemis ab Henrico III, quod Poloniam vaſtaſſent, bello iterum propoſito penitus fruſtraneo a nonnullis Polonicæ gentis ſubjectionem colligi obſervat. Boleslaum II. a fortitudine Audacem dictum nulli ſuorum hoſtium occubuiſſe probat. Obtruſam vero per Henricum IV. invito pacem cum Uratislao Bohemo, præter rem in notam ſubactionis trahi; quod exinde manifeſtum eſſe docet, quoniam arbitro, qualis tunc Henricus fuerit, in alios nullum ſit jus, quodque nec coactio quidem aliquid huc conferat, cum Reges ac Principes ita ſibi obſtringantur vinculo humanæ ſocietatis, ut iſtud jus in ſe pati omnes neceſſum habeant. Sed ſua tandem culpa infelicem factum Boleslaum queritur, dum vibratam in eum ob necem *Stanislai* excommunicationem memorat, & de illius juſtitia aliis relinquit judicandum; ipſe autem non majori ideo Poloniam pietate atque reverentia obſtrictam ſedi Pontificiæ, ac Romanum Imperium, ab ea itidem acerbioribus quandoque decretis turbatum, concludit.

Quod Uladislaus I. Boleslaum excipiens Regem ſe appellari paſſus haud fuerit, non metu quodam a Cæſarea potentia aut Pontificia auctoritate factum, ſub ſectionis *ſeptimæ* primordia evictum dare allaborat, & poſt rationes alias Principis titulum ad ſuprematum jam ſufficere, ac prudenti inſtituto externum inviſumque tunc Regis nomen ab eodem declinatum perhibet. Controverſiam de facto & jure donatæ Uratislao Bohemo per Henricum IV Poloniæ, ceu rem tradiderint Bohemicorum Scriptorum aliqui, ſic ventilat, ut per

Polo-

Digitized by Google

Poloniam ex errore heic intellectam regerat Sileſiam Polonis tunc ſubjectam, quæ Bohemo ſane tributum ſolverit, unde ad ipſum Poloniæ regnum ignobilioris ſubjectionis onus devolvere conceſſum haud ſit. Boleslaum III ab Henrico V ob negatam penſionem Polonis injunctam ſub Ottone, & ſub Caſimiro renovatam, impugnatum abnuit, gloriam autem ſuſceptæ illius in Danos expeditionis adſtruit, Lothario tributa eum non Poloniæ ſed Pomeraniæ & Rugiæ nomine exhibuiſſe dicit. Tacemus nunc injurias, quibus e confuſione Vladislai Poloni & Vladislai Bohemi, regnum Polonorum a diverſis Scriptoribus onerari reputat, quaque eas ratione amoliatur, prolixe haud indicamus.

Pergimus potius ad *octavam* ſectionem, ubi ante omnia felicitatẽ regni Bohemici, quam poſt Friderici I exceſſum obtinuerit, deprædicat, mox tamen accuſat abſolutam in regnum iſtud potentiam, quam Wenceslaus Bohemus ſub clauſula commiſſoria id tenens affectaſſe legatur, Alberto Imp. ad hæc conſilia ipſum impellente, qui tamen ejus rei pœnas dederit haud immeritas, filium relinquens abs Uladislao Loctico, antequam Poloniæ fines attingeret, repreſſum; qui ipſe Locticus ſæpe quoque infeſtarit Johannem, Bohemiæ Regem, Polonorum Regis nomen ſimul quaſi hæreditarium uſurpantem, quocum Caſimirum Loctici filium circa medium Seculi XIV. transegiſſe, & omni jure, quod in Sileſiam habuerit, ſe abdicaſſe Cureus aliique tradant. Noſter vero iis ſe opponit, & non omnem Sileſiam Bohemis conceſſam, imo irritam fuiſſe hanc alienationem Sileſiæ absque Ordinum conſenſu ſuſceptam ſtatuit. Tabulas quoque Caroli IV. Imp. exhibet, easque de Sileſia imprimis interpretatur, quam minus tamen juſte a Carolo Bohemiæ regno adjudicatam obtendit. Temporibus vero illis intermediis regii nominis ſplendorem injuria Scriptorum ſuppreſſum denuo emicuiſſe, & Premislaum receptæ dignitatis regiæ auctorem extitiſſe e conſtanti ſuorum aſſertione probat.

Nona ſectio agit imprimis de Polonorum Regum antiquo optimoque jure in Boruſſiam, ejusque ſubjectionis fundamenta a Boleslai Chrobri, ſub initium Seculi undecimi indignam Adalberti necem & barbaram in Chriſtianos ſæviendi licentiam ulciſcentis temporibus derivat, utque illa ſub Mieczeslao II imperata facere detre-

ctaverit, mox tamen a Boleſlao II iterumque a Vladiſlao I & Boleſlao III ad meliorem mentem redacta ſit, enarrat. Sumtum tamen poſt hos majorem æquo animum haud reticet, deque juſtitia auxilii, quod Poloni ab Ordine Teutonico petierint, prolixe diſputat, quod tamen poſtea in Polonorum detrimentum ceſſiſſe ſuperaddit, initique inter Conradum Ducem Maſoviæ, & Cruciferos pacti (ut nempe hi contra Pruſſos ſedulo bellum gererent, ubi vero eos domuiſſent, Culmenſem redderent ditionem, cætera, quæ a barbaris cepiſſent, ad bonorum virorum arbitrium inter ſe partirentur, ac nihil hoſtile contra Polonos tentarent,) veritatem adſtruit. Sed Cruciferorum viciſſim accuſat avaritiam, quam decretum Pontificis iniquitatis manifeſte arguerit, invito quidem Ludovico IV Imperatore, ſed convictis Cruciferis, qui rupta denuo pace Lithuaniam invadentes a Vladiſlao Jagellone fortiter proſtrati, ejus tamen inſolentia exacerbati vires receperint, donec A. 1436. perpetua utrinque ſanciretur pax, libertati ac juribus ſubditorum variis, legibusque fundamentalibus ſervandis apprime conſulens, ſed poſt, ſpargente diſcordiarum ſemina Sigismundo I. Imp. & Alberto, rupta iterum a Cruciferis, qui contra fas & fidem animo hoſtili Pruſſiam vaſtaverint, quæ Caſimiro, Regi Poloniæ, ſe committens poſt bellum tredecim annorum Caſimiro Jagellonidi IV ex parte ceſſerit, reliqua Cruciferis ſub arctiſſimo fidei ac clientelæ vinculo conceſſa. Iſtius autem denegatione a poſteris, & imprimis a Friderico Saxoniæ Duce, & Alberto Brandenburgico haud diſſimulata; eo tandem rem perveniſſe ait, ut Albertus Brandenburgicus nonniſi hac conditione a Sigismundo pacem impetraverit, ut ordo Cruciferorum penitus extingueretur in Pruſſia, Albertus Pruſſiæ partem, quæ nunc Ducalis audiat, ſub Ducis titulo obtineret, Regio ſimul cum provincia ſubeſſet imperio, eosdem deinceps cum Polonia hoſtes haberet & amicos, primumque de cætero locum in Senatu regio teneret. A quo tempore auguſtiſſimi Reges alteram Pruſſiæ partem, cui regalis nomen, ſupremo jure, alteram, quæ Ducalis appelletur, Sereniſſimi Electores Brandenburgici ex lege functionis & obſequii clientelaris habuerint, usque ad annum 1657, quo Fridericus Wilhelmus a Johanne Caſimiro Welavienſibus pactis provinciam, quam ante feudi titulo tenebat, jure proprietatis poſſidendam acceperit, iisdem pene legibus ad hodiernum Potentiſſimum Electorem Fridericum

ricum III transmiſſam. Iſtam vero novam provinciæ tam nobilis poſſeſſionem per injuriam Cruciferis ereptam, obſequio ſedis Romanæ nefarie & ſacrilege ſubtractam, ab Imperii Romani corpore contra fas fidemque avulſam, & a Regibus Poloniæ injuſto titulo acquiſitam perhiberi notat ab adverſæ cauſæ Patronis, quibus tamen ad ſingulas objectiones reſpondet, jureque belli Boruſſiam acquiſitam, &, accedente imprimis transactionis titulo Imperatoriſque approbatione, citra injuſtitiam teneri aſſerit.

Sectione tandem ultima ſeu *decima*, oppreſſo in Boruſſia Cruciferorum ordine, fomenta belli inter Germanos ac Polonos uno pene ictu extincta fuiſſe obſervat. Hos tamen vexatos ait interim a Turcis, quibus in Europam aditum Scythæ paraverint, Tartariſque anno 1240 e Moſcovia progreſſis, & Poloniam imprimis, Hungariamque, ac Sileſiam devaſtantibus, cum Boleslaus Pudicus principatum gereret in Polonia, Tartaros tamen fatigatos, poſt cladem Chriſtianorum prope Ligniciam domum reverti, & inſecutis temporibus, ob Martem ſæpius ancipitem, Polonorum comiter revereri majeſtatem, ſtipendiiſque illorum militare coactos ſcribit, hanc de cætero ſocietatem bellicam contra nonnullorum oblocutiones pro virili defendens. Turcicæ vero hiſtoriæ telam a Bajazete I orditur, & Ottomannicæ potentiæ vires ſub Mahomede II in immenſum exceſcentes, Valachiamque tributariam factam, & incolas ejus Polonis infidos ſuæ nequitiæ pœnas non effugientes introducit. E ſubminiſtratis autem Valachis contra Turcas per Polonos auxiliis, Turcarum hos tributarios evaſiſſe neutiquam largitur. Sub Sigismundo III tributum Turcas a Polonis flagitaſſe, ſed nulla ratione obtinuiſſe; finito potius ad votum Poloniæ negotio, pacem ſine libertatis læſione ſancitam. Sub Johanne Caſimiro Tartaris tributum negatum, ſtipendium vero promiſſum; promiſſum contra a Michaele tributum, ſed negatum ab Ordinibus, qui ſub ductu hodierni Regis, ſupremi tunc Polonicæ militiæ Ducis, fortiter ſua vindicarint, pace anno 1677 æquis conditionibus inita, usquedum anno 1683 nova non Poloniæ tantum, ſed univerſæ Europæ immineret ab hydra Ottomannica pernicies, feliciſſime tamen depulſa ab Heroe invictiſſimo, Johanne III, in cujus digno elogio ſubſiſtens integræ huic tractationi clauſulam imponit.

A PRE-

A PRESERVATIVE AGAINST SOCINIANISM.

h. e.

Antidoton contra Socinianiſmum, commonſtrans directam ejus cum Religione a Deo in Scripturis revelatæ pugnam, auctore JONATHANE EDUARDO, Th.D. & Collegii Jeſu apud Oxonienſes Principali. Pars I.

Oxonii, apud H. Clementem, 1693. in 4. plag. 10.

QUod olim de nimio Arianæ hæreſeos incremento queſta fuit pia antiquitas, obſtupuiſſe mundum univerſum, cum ſe factum ſubito Arianum videret; idem fere in præfatione tractatus hujus (quem pluribus abſolvendum partibus nulli dubitamus) Eduardus clariſſimus de ingenti librorum Socinianorum copia per univerſam Angliam diſperſa quiritatur. Certe enim tam ſubito illos, tantaque multitudine ubivis comparuiſſe ſcribit, ut quanquam promotores aut auctores negotii neſciantur, nullum tamen dubium ſit, quin venenum per complures abhinc annos congeſtum uno nunc impetu ſtudioſe proruperit; idque non ſine magno fidei Chriſtianæ damno factum gemit: cum exinde nonnulli homines Athei prorſus omnem fidem inter ſtultas nugacium ſuperſtitiones rejiciant; alii naturali Theologia contenti, revelatam damnent; multi Scripturas quidem recipiant, exploſis tamen præcipuis, e queis tota fides Chriſtiana pendet, myſteriis: plurimi deniq; ſi myſteria quidem omnia ſe credere profiteantur, non tamen adeo neceſſaria putent, quin diverſa ſentientibus divina ſalus æque ſperanda ſit. Quo itaque tollatur ex animis hominum callida & fucata impietas, accinxiſſe ſe Auctor profitetur; & quum hucusque Theologi orthodoxiam adverſus hoſtium inſultus tantum defenderint, ipſe ſe hæreſin ultro aggreſſurum ſpondet, & quam vehementer pugnent Sociniani errores cum verbo Dei ac ſana ratione (quam ſibi perperam ſolis vindicatum eant) præſenti opere commonſtraturum. Fruſtra vero a nonnullis placidum hujus ſectæ genium ingeminari ſcribit; cum, quicquid exter-

externe tandem ore profiteantur, nonniſi ſævum quodvis ac ſanguinolentum expectari queat ab iis, qui tam blaſpheme SS. Triadem Cerberum horrenda audacia vocitando traducant, qui Chriſtum adoratione ſua ſpinis quaſi coronatum Divinitatis negatione diverberent, qui ſacræ omnium ſeculorum antiquitati tam proterve illudant, & quid non? Hinc pacem, quæ alias optima rerum ſit, cum iis non ineundam inculcat, quippe ſine juſtitia, ſine veritate damnandam.

Sub initium ipſius tractatus de Socino agit, & eum omnes, quotquot ab initio Chriſtianiſmi fuerunt, hæreticos callida vafritie longo intervallo ſuperaſſe ſcribit, ita ut vere de illo dici queat, ſobrium ad evertendam Religionem acceſſiſſe; qua in re Pelagium cumpri- p. 5.
mis ſequendum ſibi ac præceptorem ſumſerit. Interim haud abs
re dubitandum judicat, utrum Socinus hæretici proprie talis nomen 7.
magis quam Muhammed promereatur, cum uterque mixtam e variis heterodoxiis fidem invenerit; hoc tantum diſcrimine, quod illius religio non tam fatua quam hujus, aſt non minus tamen periculoſa
ſit. Ipſam deinde rem aggreſſus, primam ex attributis divinis Uni- 8.
tatem ſibi vindicandam ſumit: & quanquam huic vel maxime Sociniani (hinc & Unitariorum nomine gaudentes) ſtudere videantur; nihilo tamen minus eos plures omnino Deos veros aſſerere, atque adeo adverſus tot Scripturæ dicta pugnare, ex ipſiſmet eorundem
verbis probat, inſimul & ὡς ἐν παρόδῳ Curcellæum tangens, qui 11.
dum tria in divinis entia a ſe mutuo diſtincta credat, non poſſit non
πολυθεότητι favere. Pergit hinc ad Omnipræſentiam, & pari ra- 12.
tione convelli eam a Socinianis oſtendit, dum ad virtutes tantummodo divinas reſtringatur, quæ toties in Scripturis ipſimet eſſentiæ adſcribatur; imo quam ipſimet pagani ſaniores de natura Dei crediderint. Omniſcientiam tam emphatice in Bibliis fundatam Soci- 14.
nianos verbis, non re, Deo concedere demonſtrat; quippe qui res tantum qua ſcibiles objectum ſcientiæ Divinæ velint, non item contingentes; qualis erat Abrahami obedientia in immolando Iſaaco, Iſraelitarum impietas, & alia hujus generis complura, quæ ſi a Deo præſciantur, tolli religionem clament, ingentemque numerum divinarum de contingentibus prædictionum, qui in Scripturis reperitur, variis quos adducit Auctor modis eludere conentur: non ad- 19.

vertentes tamen,ſe dum nonnulla vel bona vel mala prædici abs Deo
propterea quod facienda decreverit, ſtatuunt, vel maxime arbitrii li-
bertatem auferre, ſuoque proin ſuffragio fidem ac religionem e-
22. vertere: deprehendi ſane Socinum quandoque (quod mireris) i-
pſomet Calvino, quem tantis viribus oppugnat, Calviniorem. No-
tat & Epiſcopium, qui dogma hoc perperam inter minutiora rele-
26. garit. Hinc pedem promovet ad immutabilitatem Dei, qua pri-
mum e Scripturis firmata,Socini atque Crellii antitheſin adducit, qui
adeo mutabilem Deum perhibeant, ut haud raro perdatur homo,
quem ille tamen ad æternam vitam prædeſtinarat. Enimvero pu-
gnare hunc errorem contra Dei omniſcientiam, ac humanam cel-
ſiſſimæ majeſtati infirmitatem affingere,Auctor merito indignabun-
dus probat.

28. Omnium vero prolixiſſime vindicativam Dei juſtitiam aſſer-
tum it, & Socinianum dogma, quod juſtitiam punitivam evertit,
non ſolum periculoſum, ſed & pernicioſum, imo prorſus atheum
32. demonſtrat. Peſſime ſiquidem ad leges Divinas applicari, quod in
humanis non ſine exceptione verum ſit, Platonis atque Senecæ di-
ctum: *nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur;* prout
34. a Grotio dudum non minus ac eleganter probatum ſit. Imo, ſi ju-
ſtitia punitiva tollatur, tolli ſimul Dei circa res humanas providen-
tiam, quæ in dandis & vindicandis legibus occupetur, oſtendit: hoc
vero dogma illud eſſe, quod olim Epicuro atheiſmi crimen impe-
gerit. Apud reliquos totius orbis Philoſophos ac Theologos con-
36. ſtanti veritate receptum nunquam non fuiſſe: *fruſtra præcipi, quod
impune negligatur.* Ulterius everti hoc errore docet diſcrimen in-
ter naturalem ac poſitivam Dei legem,uno ſemper omnium ore ap-
37. probatum: ſublata ſiquidem punitiva Dei juſtitia, auctoritatem
38. una Legislatoris ac reverentiam legibus exhibendam tolli. Atque
adeo omnem religionem naturalem peſſundari ſupplantata ſemel
Dei juſtitia, quæ terrorem incutiat,ac reverentiam animis humanis
39. indat. Hinc & penitus deſperat Auctor, poſſe paganum ſeu atheum
a Sociniano firmis argumentis ad colendum Deum adduci. In-
40. terim vel ſolum humanæ conſcientiæ dictamen ad retundendam
Socinianiſmi impietatem ſufficere perſuaſus eſt.Aſt, ne quis obj ici-
43. at, fruſtra hæc prolixius adduci contra homines, qui Deum juſti-
tiam

tiam omnino exercere & credant, & doceant, utut naturalem in illo negent quæ res cum mere ſpeculativa ſit, facile tolerari queat: Auctor multis non ſe contra lemures pugnare oſtendit, & quam irreverenter, utut callide, Sociniani rem ſuam probent, commonſtrat: quippe qui leges pariter ac promiſſa Dei e mutabili ejus voluntate oriri doceant, hoc ipſo certitudinem omnium Numinis promisſionum evertentes: qui Deum peccatores finaliter impœnitentes & æternæ morti ſuo decreto mancipatos eximere poſſe tradant, non obſtante, quod multo alia doceat, verbo Dei: qui affectus humanos, odium, miſericordiam, ſpem, deſiderium &c. vere proprieque Deo adſcribant, præſertim vero metum atque pœnitentiam illi tribuendam multis argumentis probare annitantur; quæ adducta ſimul & refutata apud Auctorē videri poterunt, per partes ſingula tractante.

p. 44. 47. 48. 49. 54.

His demum ad finem perductis, Trinitatem Dei conſiderat, & adſtructa brevisſimis e B. Gerhardo ac Matth. Polo dicti 1. Joh. V, 7. authentia, blaſphema Socinianorum circa ſingulas Perſonas dogmata proponit, & quam horrendis illi conviciis SS. Triaden conſpurcent, appoſitis eorundem verbis monſtrat. Exponit poſtea, quæ illorum circa ſpiritualitatem, nec non circa infinitatem eſſentiæ divinæ fides, qua ſcilicet Deo ſubtile corpus, extenſum finitumque & locali præſentia limitatum affingant. Sub finem denique repetita paucis antitheſi Scripturarum ac Socinianiſmi, Curcellæum vehementer incuſat, qui nonniſi λογομαχίαν inter Orthodoxos ac Socinianos in doctrina de Deo eſſe, contra conſcientiam aſſeverare non erubuerit. Ipſe, quantum in hoc disſidio momenti poſitum ſit, unicuique lectorum ſerio ac pie conſiderandum monet; non, ut elevent illarum partium ſtudioſi, unius tantum literulæ differentiam facili negorio tollendam, ſed totum ſalutis noſtræ negotium hic agi iterum iterumque monens. Ceterum uberius reliquorum etiam articulorum examen alii otio temporique reſervat, quod illi fauſtum utique ac rei ſacræ literariæ proficuum omni modo optamus.

59. 69. 70.

ERRATA.

Pag. 338. lin. 21. pro *deſignabitur*, lege *deſignabit*. Pag. 336. 337, 338. deleantur characteres in margine notati, quippe qui per errorem irrepſerunt, nec ulli ſunt uſui.

INDEX

INDEX AUCTORUM

quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recenſentur.

Lectorem benevolum cupimus admonitum, in numerandis voluminis hujus paginis a typographo erratum fuiſſe. Numeri enim a 313 ad 392 bis poſiti deprehendentur, ita ut in menſe Septembri, poſt paginam 392, ubi ulterius produci numerus debuiſſet, denuo a 313 numerari cœptum ſit. Ne vero hinc confuſio oriatur, tum in Auctorum, tum in Rerum Indice, quæ ſub repetitis numeris quæri debent, ſigno † notantur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

AL-*Coranus, ſeu Lex Islamitica Muhamedis, filii Abdallæ, Pſeudoprophetæ, edita ex muſeo Abrah. Hinckelmanni D.* 381 †

Almeloveen *(Theodori Janſonii ab) Amœnitates Theologico-philologicæ.* 339

Anonymi Lexicon Chriſtianum. 94

Anonymi Ver Theologicum, dicta quædam D. Apoſtoli Pauli in Epiſt. ad Romanos explicans. 365 †

Bajeri *(Joh. Guilielmi) Collatio Doctrinæ Quakerorum & Proteſtantium.* 119

Bekkeri *(Balthaſaris) Mundi Faſcinati Liber III & IV.* 241

Boſſuet *(Jacobi Benigni) Notæ in Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Sapientiam & Eccleſiaſticum.* 406

Chauvini *(Petri) Dilucidationes ſuper librum cujus titulus: Religio Naturalis.* 423

Ciampini *(Joannis) de vocis correctione in Sermone VII Leonis M. de Nativitate Domini.* 330

Clerici *(Johannis) Geneſis, ſive Moſis Prophetæ liber primus, cum ejusdem Paraphraſi perpetua, Commentario Philologico &c.* 9.97

Colberg

Colberg *(Ehregott Daniel) de Origine & Progreſſu Hæreſium & Errorum in Eccleſia.* 386
De Dieu *(Ludovici) Critica ſacra, ſive Animadverſiones in loca Veteris & Novi Teſtamenti.* 399
Doughtei *(Johannis) de Calicibus Euchariſticis veterum Chriſtianorum.* 188
Eduardi *(Jonathan) Antidotum contra Socinianiſmum.* 472
Faes *(Johannis) Mantiſſa ad Jo. Doughteji librum de Calicibus Euchariſticis veterum Chriſtianorum.* 188
Obelus Peregrinitati Communionis peregrinæ P. J. Tilemanni dicti Schenck fixus. 373 †
Franckii *(Chriſtophori) Exercitationes Anti-Limborchiani.* 345 †
Grœnevvegen *(Henrici) Hieroglyphicorum & Emblematum ſacrorum Theſaurus.* 95
Gürtleri *(Nicolai) Inſtitutiones Theologicæ.* 346
Huetii *(Petri Danielis) Demonſtratio Evangelica.* 282
Hulſii *(Henrici) de Vallibus Prophetarum ſacris.* 38
Commentarius Propheticus in ultima Paræmiaſtæ Salomonis. 77
Jägeri *(Jo. Wolfgang.) Hiſtoria Eccleſiaſtica Seculi XVII, cum Parallelismo profanæ, Decennium ſecundum & tertium.* 314
Laurentii *(Auguſtini) Syntagmata Theologica.* 458
A Lent *(Joannis) Moderna Theologia Judaica delineata.* 303
Löſcheri *(Caſparis) Nucleus S.S. Theologiæ.* 237
Lubin *(Auguſtini) Abbatiarum Italiæ brevis Notitia.* 126
Marckii *(Johannis) Textuales Exercitationes ad 50 loca V. & N. Teſtamenti.* 234
Martini *(Chriſtophori Samuelis) Commentarius ſuper D. Judæ Apoſtoli Epiſtolam.* 280
Mœbii *(Georgii) Selecta Diſputationes Theologicæ.* 383
Pfanneri *(Tobiæ) Obſervationes Eccleſiaſticæ.* 167
Sartorii *(Johannis) Agoniſtica Fidelium verba.* 5
Sauberti *(Johannis) Selectiorum Scripturæ S. Dictorum Explicatio: de Sacerdotibus & ſacris Ebræorum Perſonis Commentarius.* 54
Tilemanni *(Joh. Philippi, dicti Schenck) Commentarius in Judæ Epiſtolam, cum Appendice de Agapis veterum Chriſtianorum.*

Digitized by Google

Acceſſerunt Communio peregrina, & Oblatio ſine Communione. 368 †

De Vrigny *Epiſtola contra Antitrinitarios, Tolerantes & Moraliſtas, cum Animadverſionibus ad librum cui titulus :* Religio Naturalis. 412

Van der Wayen *(Joannis) Mundus faſcinatus D. Balth. Bekkeri examinatus & refutatus.* 254

Witſii *(Hermanni) de Efficacia Baptiſmi in electis fœderatorum infantibus.* 90

Wolſogenii *(Ludovici) Apologia Parentalis.* 116

II. *Juridici.*

Böckelmanni *(Jo. Friderici) Tractatus de Differentiis Juris Civilis, Canonici, Hodierni.* 128

Calæ *(Marcelli) de Articulandi & Probandi Modo, de privilegiis item variandi & eligendi forum Tractatus.* 88

Döpleri *(Jacobi) Theatrum pœnarum criminalium.* 88

Grotii *(Guilielmi) Iſagoge ad Praxin Fori Batavici.* 114

De Luca *(Caroli Antonii) Scholia ad Deciſiones Rotæ Marchiæ D. Stephani Gratiani.* 238

Lunig *(Joh. Chriſtiani) Publicorum Negotiorum Sylloge.* 345

Mauritii *(Erici) Conſiliorum ſive Reſponſorum Partes II.* 22

Ottonis *(Jacobi) Medulla Subſtitutionum hæredum.* 459

Paſſerini *(Petri Franciſci) de Occidente unum pro altero Tractatio methodica.* 328 †

Ring *(Thomæ Siegfried) Progymnaſmata Praxeos Juridicæ.* 429

Ringleri *(Joh. Philippi) de Pactis Illuſtrium Succeſſoriis Commentatio Juridica.* 52

De Tutelis Illuſtrium Specimen juris publici. 441

Röſeneri *(Andreæ Chriſtophori) Tractatus Juridicus de Libris Mercatorum.* 360

Struvii *(Georgii Adami) Centuria Deciſionum, quænam Res Feudales, quænam Allodiales? &c.* 64

Textoris *(Joh. Wolfgangi) Deciſiones Electorales Palatinæ, cum Tractatu Synoptico de Judiciis.* 129

III. *Medi-*

Digitized by Google

III. *Medici ac Phyſici.*

Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Commentarii Mathematico-Phyſici. 341 †
Bernoullii *(Johannis) de Motu Muſculorum Meditationes Mathematica.* 100
Bierlingii *(Caſparis Theophili) Theſaurus Theoretico-Practicus.* 1
Boyle *(Roberti) Experimenta Medica, i.e. Collectio Remediorum maximam partem ſimplicium.* 377 †
Dale *(Samuelis) Manuductio ad Materiam Medicam.* 336
Gibſon *(Thomæ) Compendiaria corporis humani Anatome.* 444
Gladbach *(Joh. Bernardi) Praxeos Medicæ Idea noviſſima.* 359 †
Gracchi *(Sempronii) Medicus hujus ſeculi.* 359
Harderi *(Joh. Jacobi) Glandula nova Lachrymalis, una cum Ductu Excretorio in Cervis & Damis detecta.* 49
Helvetii *(Adriani) Methodus Febres curandi absque eo ut aliquid ore aſſumendum exhibeatur.* 334
Jacobæi *(Oligerii) Compendium Inſtitutionum Medicarum.* 386 †
Lacy *(Nathan) de Podagra.* 330. †
Plumerii *(Caroli) Deſcriptio Plantarum Americæ.* 461
Raji *(Johannis) Synopſis Animalium quadrupedum & ſerpentini generis.* 388
Salmonis *(Guilielmi) Diſpenſatorium Batei Anglice redditum, notisque illuſtratum.* 379. †
Sperlette *(Johannis) Phyſica nova, ſeu Philoſophia Naturæ.* 310
Tozzi *(Lucæ) Commentaria in Hippocratis Aphoriſmos.* 346
Vallemontii *Phyſica occulta, ſeu Tractatus de Virgula Divinatoria, & ejus utilitate ad indagandum fontes aquarum, mineras, theſauros, fures & ſicarios.* 34
Deſcriptio Magnetis geniti in faſtigio novæ turris campanariæ. 208
Wedelii *(Georgii Wolfgang) Exercitationum Medico-Philologicarum Decas VI & VII.* 349 †

IV. *Mathematici.*

Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Commentarii Mathematico-Phyſici. 341 †

Anonymi

INDEX AUCTORUM.

Anonymi Tractatus de Mediis, quibus fluvii navigabiles reddi poſſunt. 78

Bernoullii *(Jacobi) Curvatura Laminæ Elaſticæ &c.* 262

Solutio Problematis Leibnitiani de Curva Acceſſus & Receſſus æquabilis a puncto dato. 276

Conſtructio Curvæ Acceſſus & Receſſus æquabilis, ope rectificationis Curvæ cujusdam Algebraicæ. 336 †

De Methodo Tangentium inverſa, quousque tum in communis tum reconditioris Geometriæ poteſtate ſit & non ſit. 391 †

Bernoullii *(Johannis) de Motu Muſculorum Meditationes Mathematicæ.* 200

Conſtructio facilis Curvæ acceſſus æquabilis a puncto dato per Rectificationem Curvæ Algebraicæ. 394

Modus generalis conſtruendi omnes Æquationes differentiales primi gradus. 435

Additamentum effectionis omnium Quadraturarum & Rectificationum Curvarum per ſeriem quandam generalisſimam. 437

Caſſini *(Jo. Domin.) Deſcriptio Phænomeni trium Solium ſuper Horizonte viſorum.* 316

Catelani, *Abbatis, Difficultas ſuper ſolutione Problematis Bernoulliani.* 196

Ciampini *(Joannis) de Sacris Ædificiis a Conſtantino M. conſtructis Synopſis Hiſtorica.* 321

Coronelli *(Vincentii) Epitome Coſmographica ſeu Introductio ad Aſtronomiam, Geographiam & Hydrographiam.* 332

Daviler *(Auguſtini Caroli) Curſus Architecturæ, continens Ordines Vignolæ cum commentariis, figuris &c.* 25

Eimmarti *(G. C.) Phænomenon annuum Veſpertinum detectum.* 58

Fontanæ *(Caroli) Templum Vaticanum cum ædificiis maxime conſpicuis antiquitus & recens ibidem conſtitutis.* 401

Hoſpitalii *Marchionis, Solutio Problematis Geometrici in Actis Erud. propoſiti.* 193

Enodatio difficultatis ſuper ſolutione Problematis Bernoulliani. 387. †

Hoſti *diverſi Tractatus Mathematici.* 239

Hugenii

Digitized by Google

Hugenii *(Chriſtiani) Toparchæ Zeelemii Conſtructio univerſalis problematis a J.B. propoſiti.* 338. †
Epiſtola ad G.G.L. 339. †
Ihle *(Jo. Abrahami) Obſervatio Eclipſeos d.12. Jun. a. 1694.* 379
Kirchii *(Godofredi) Calendarium cæleſte novum.* 93
Leibnitii *(Georgii Guilielmi) Nova Calculi Differentialis Applicatio & Uſus.* 311
Conſtructio propria problematis de Curva Iſochrona Paracentrica &c. 364
Ozanam *Tractatus de muniendi ratione.* 140
Prisbar *(Joh.) Calendarium Hiſtoricum.* 117
Vannii *(Joh. Franciſci) Inveſtigatio momentorum, quibus gravia tendunt deorſum.* 112
Vignolæ *(Jacobi Barozii.) Architectura, cum Commentariis Davilerii.* 25
Viviani *(Vincentii.) Exercitatio Mathematica de formatione & menſura fornicum.* 207
Wurtzelbaur *(Joh. Philippi) Obſervatio Eclipſis Solaris d.12. Jun.* 1694 378
Lunaris d. 26. Jun. a. 1694. 380

V. *Hiſtorici, Geographici, Genealogici.*

Anonymi Hiſtoria Edicti Nannetenſis, res quæ in Gallia ante & poſt illius publicationem usque ad ejusdem abrogationem contigerunt, complexa. 81
Anonymi Porta Ottomannica noviſſime recluſa. 185
Anonymi Scientia Rei Nummariæ. 215
Anonymi Hiſtoria Ludovici Burbonii II. Principis Condæi. 291
Anonymi Commentarii componendæ Ludovici Burbonii, Principis Condæi, Hiſtoriæ inſerviturí. 299
Anonymi Vita Cornelii Trompii Hollandiæ Archithalaſſi. 343
Anonymi Hiſtoria Triumviratus Julii Cæſaris, Pompeji & Craſſi, item Auguſti, M. Antonii & Lepidi. 443
Aprilis *(Philippi) Peregrinatio per diverſas Europæ Aſiæque Regiones.* 60

Digitized by Google

Balduini *Avennenſis Chronicon, ſeu Hiſtoria Genealogica Comitum Hannoniæ.* 143
Bohun *Charaſter Reginæ Eliſabethæ ejusque primariorum Status Miniſtrorum.* 355. †
Cupucei *(Samuelis) Deſignatio novi Lexici Hiſt. Geogr. Chronol. Philologici.* 287
Ciampini *(Joannis) Synopſis Hiſtorica de ſacris Ædificiis a Conſtantino M. conſtructis.* 321
Döpleri *(Jacobi) Theatrum Pœnarum Criminalium apud varias Gentes uſitatarum.* 88
Fleſcherii, *Epiſcopi Nemauſenſis, Hiſtoria Cardinalis Ximenii.* 145
Fontanæ *(Caroli) Templum Vaticanum & illius origo.* 401
Le Gendre *Vita Petri Boſchii.* 175
Heidenreich *(Martini) Benno Epiſcopus olim Miſenenſis redivivus.* 115
Jägeri *(Joh. Wolfgang) Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cum parallelismo Profanæ Seculi XVII Decennium ſecundum & tertium.* 314. †
Junii *(Franciſci) de Pictura veterum libri III. Accedit Catalogus Artificum.* 384. †
Juſtini *Hiſtoriæ Philippicæ ex recenſione Jo. Georgii Gravii.* 364. †
in linguam Gallicam traductæ. 365. †
Lubin *(Auguſtini) Abbatiarum Italiæ brevis Notitia.* 126
Lunig *(Joh. Chriſtiani) Negotiorum Publicorum Sylloge.* 345
Matthæi *(Antonii) Rerum Amorfortiarum Scriptores duo notis illuſtrati.* 186
Mazarini *Cardinalis Epiſtolæ.* 382
Melvilli *(Jacobi) Commentarii de iis, quæ in Anglia & Scotia regnantibus Eliſabetha &c. contigerunt.* 449
Otrokocſi *(Franciſci Foris) Origines Hungariæ.* 8
Prisbar *(Johannis) Calendarium Hiſtoricum, nec non Tractatus Hiſtoricus de Sphæra.* 117
Rondelli *(Jacobi) de Vita & Moribus Epicuri.* 121
Le Roy *(Jacobi Baronis) Notæ Hiſtoricæ in Balduini Avennenſis Chronicon.* 143
Rubenii *(Alberti) Diſſertatio de vita Fl. Mallii Theodori.* 284
Schultzii *(Johannis) Tractatus de Polonia nunquam tributaria.* 462
Sperlin-

Digitized by Google

Sperlingii *(Othonis) de Danicæ lingua & nominis antiqua prærogativa inter Septentrionales.* 357
Striedbeck *(Johannis) Hypotypoſis Tabularum Geographico-Chronologico-Genealogicarum.* 24
Strype *(Johannis) Hiſtoria Thomæ Cranmeri, Archiepiſcopi quondam Cantuarienſis.* 315. †
Verhœven *(Theodori) Deſcriptio Rerum Amorfortiarum.* 186
De Waha *(Guilielmi) Explanatio vitæ S. Guilielmi Magni conſcripta olim per B. Albertum.* 164
Varillaſii *(Antonii) Hiſtoria Henrici II & Franciſci II Franciæ Regum.* 96
Weidneri *(Johannis) Pietas ex Nummis antiquis delineata.* 127
Winckelmanni *(Joannis Juſti) Solida Declaratio Originis Thuringorum.* 337

VI. *Philoſophici & Miſcellanei alii.*

Agaardi *(Chr.) Poëmata.* 29
Alberti *(Henrici) Poëmata.* 28
Almeloveen *(Theodori Janſonii) Amœnitates Theologico-Philologica: Epigrammata & Poëmata vetera: Plagiariorum Syllabus.* 339
Anonymi Scientia Rei Nummariæ. 214
Anonymi Catalogus Bibliothecæ Tellerianæ. 353. †
Baconi *(Franciſci) de Verulamio Opera omnia, cum augmento.* 400
Beringi *(Viti) Carmina.* 30
Borrichii (*Olai*) *Carmina.* 32
Buchneri *(Auguſti) Poëmata ſelectiora.* 283
Bulifoni *(Antonii) Diſquiſitio de antiquo Marmore, quod repertum nuper eſt Puteolis.* 173
Conringii (*Hermanni*) *Epiſtolarum Syntagmata duo, una cum Reſponſis.* 300
Contareni (*Camilli*) *Genealogia Dominiorum.* 375. †
Dawſon *(Georgii) Tractatus de origine legum earumque vi obligandi.* 326. †

Grœnewegen (*Henrici*) *Hieroglyphicorum & Emblematum ſacrorum Theſaurus.* 95
Harderi (*Henrici*) *Carmina.* 30
Hopneri (*Joannis*) *Poëmata.* 29
Huetii (*Petri Danielis*) *Poëmata Latina.* 240
Junii (*Franciſci*) *de Pictura veterum libri III.* 384 †
Kirchii (*Godofredi*) *Obſervatio Eclipſis Solaris 13. Junii 1693.* 375
12. Jun. 1694. 377
Leibnitii (*Georgii Guilielmi*) *De Prima Philoſophiæ Emendatione & de Notione Subſtantiæ.* 110
Lomeieri (*Johannis*) *Dierum Genialium ſive Diſſertationum Philologicarum Decas prima.* 134
Menagii (*Ægidii*) *Facetiæ, argute dicta & obſervationes curioſæ.* 155
Rechenbergii (*Adami*) *Lineamenta Philoſophiæ Civilis.* 93
Richerii (*Edmundi*) *Obſtetrix animorum, ſeu prudens docendi & diſcendi Methodus.* 134
Rondelli (*Jacobi*) *de Vita & Moribus Epicuri.* 121
Roſtgaard (*Friderici*) *Deliciæ quorundam Poetarum Danorum collectæ.* 27
Scharfii (*Johannis*) *Manuale Logicum novis Annotationibus adornatum a M. Joh. Jac. Stubelio.* 66
Schultzii (*Johannis*) *Tractatus Hiſtorico-Politicus de Polonia nunquam tributaria.* 462
Sorberii (*Samuelis*) *Facetiæ, argute dicta, & obſervationes curioſæ.* 159
Stübelii (*Joh. Jacobi*) *Annotationes in Joh. Scharfii Manuale Logicum.* 66
Theoduli *Monachi ſive Thomæ Magiſtri Laudatio Gregorii Nazianzeni, Orationes & Epiſtolæ.* 385
Valeſii (*Hadriani*) *Meditamenta Critica, Hiſtorica & Moralia, ut & Poemata Latina.* 307
Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Exercitationum Medico-Philologicarum Decas VI & VII.* 394 †

Weid-

Weidneri (*Johannis*) *Pietas ex Nummis antiquis delineata.* 127
Wormii (*Olai*) *de corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem Veſtigiis.* 209

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

ABbatiarum *Italiæ Notitia.* 126
Ablutionis *poculorum in S. Cœna quæ ratio in Eccleſia Romana?* 189
Abrahamus *Chaldaica lingua uſus.* 11
num adeo inſignis fuerit Aſtronomus? 109
Abſoloni *capillitium 2. Sam. XIV. 26.* 235
De Accreſcendi *Jure Tractatus.* 460
Achor *Vallis Joſ. VII.* 42
Acidum *an ſanitati obſit?* 179
Acroamatica *Scripturæ interpretatio quæ?* 280
Activa *vis a facultate agendi diſtincta.* 111
Actorum *publicorum Sylloge.* 345
Acus *Magnetica & virgulæ divinæ inclinationes comparatæ.* 36
Acus *innoxie deglutita.* 2
Adamus *qua lingua uſus?* 10
num omnibus omnino animalibus nomina impoſuerit? 101
Adoratio *Chriſti, dum inter mortales vixit, qualis ex mente Chauvini?* 422.427
Adorantium *ad Solem converſio.* 338
Advocatiæ *Jus circumſpecte deferendum Principi potentiori?* 433
In Advocatum *puerum luſus.* 158
Adulterini *numi ut a veris diſcernendi?* 229
Ædificia *ſacra a Conſtantino M. conſtructa.* 321
Ægyptiaci *anni in Chronologia Moſis intelligendi.* 109
Æmulatorum *Academia in urbe Avenione.* 163
Æquatio *generalis cycloidum.* 343.†

Æquationes *differentiales primi gradus conſtruendi generalis methodus.* 435.ſeq.
Aer *expanſionis in glacie cauſa.* 342. †
In Aere *glacies tardius ſolvitur quam in vacuo.* 342. †
Ex Ære *Corinthio num procuſi numi?* 218
Ærugo *numorum pretium adaugens.* 226
Ab Æthiopibus *num ortum ducant Judæi?* 210
Æthiopum *ſacra.* 212
Agaparum *reliquiæ.* 370. †
in Eccleſia origo. 369. †
Agapæ *num conjunctæ fuerint cum participatione corporis & ſanguinis Chriſti?* 369. †
De Agapis *Diſſertatio.* 369. †
Agoniſtica *Fidelium verba.* 5
Cardinalis de Aguirre *Collectio maxima omnium Conciliorum Hiſpaniæ.* 447
Ala *ſecundaria in munimentis male reputatur.* 141
Alarum *in munimentis quæ ratio?* 141
Alæ *propugnaculorum conditiones.* 141
Alcorani *Editio* 381. †
Autores & fata. 382. †
Algebraica *curva. vid. Curva.*
Allodiales *res quænam, quænam Feudales?* 64
Alvei *fluminis latitudo quomodo tollenda?* 79
Alveorum *vitia, eorumque remedia.* 79
Amazones *quænam fuerint?* 9
Americanarum *plantarum deſcriptio.* 461
Ammianus *Marcellinus explicatus.* 8
Amnes *quomodo navigabiles reddi poſſint?* 78
Amœnitates *Theologico-Philologicæ Th. Janſ. ab Almeloveen.* 339. ſeq.
Amorfortiarum *Rerum ſcriptores.* 186
Amuleta *numaria.* 225
Amyraldus *refutatus.* 91
Anagrammatiſtarum *ineptiæ exploſæ.* 158
Ex Analogia *fidei aſſerta Chriſti Divinitas.* 415
Analyſeos *uſitatæ defectus.* 193
Anaſarcæ *appropriatum cataplaſma.* 378. †
externe medetur ruta. 378. †
Anaſtaſius *Bibliothecarius defenſus.* 321
Anatomiæ *compendium.* 444
Andromeda *ex Jona a gentilibus efficta.* 211
Angeli *aſcendentes & deſcendentes ſuper Chriſtum, Joh. 1. 51. quid innuant?* 180
Angelis *quo ſenſu cuſtodia piorum commiſſa?* 261
Angina *Hiſkiæ morbus.* 350. †

Angliæ

Digitized by Google

Angliæ *Hiſtoria regnante Eliſabetha.* 449.ſeqq.
Anglicanæ *Eccleſiæ reformatio.* 322. †
ſtatus. 327. †
Anglicanorum *Bibliorum hiſtoria.* 319
Animalium *diviſio prima quænam commodiſſima?* 389
ſanguineorum diviſiones. 389
primordia in ovo. 388
Animalibus *cunctis num nomen ab Adamo impoſitum?* 101
Annas & *Caiphas quomodo ſimul Luc.III.2.ſacerdotio functi?* 56
Anni *Ægyptiaci in Chronologia Moſis intelligendi.* 109
Annulus *Signatorius Vaſalli ad hæredes ejus allodiales pertinet.* 64
Antiapoplecticum *inſigne.* 378. †
Anticachecticæ *pilulæ.* 363.†
Antidyſenteriacum *remedium.* 378. †
Antihydropicum *ſuccinum flavum.* 378. †
Ex Antimonio *ſulphur.* 381. †
Antimonii *reſuſcitati autor.* 480.†
Antiparalyticum *inſigne.* 363
Antipodagricum *ſpecificum.* 334. †
Antiſcorbuticum *inſigne.* 363 †
In Apocalypſi *num una & ab initio ad finem uſque continuata viſio?* 237
Apoplecticus *Venerem appetit.* 4
Apoplecticos *excitans potentiſſimum.* 378.†
Apoſtoli *cur dicti ſal terræ Matth. V.13.* 139
Apoſtolicum *de abſtinentia a ſanguine & ſuffocato decretum num hodieque obliget?* 169
Aqua *congelata aere privata minus ſpatium occupat, quàm aqua fluida.* 342.†
Aquarum *inundationibus quæ remedia opponenda?* 80
Aquariæ *machinæ promovendis navigationibus.* 79. ſeq.
Aquæ *curſus quomodo intra anguſtiores terminos coercendus?* 79
refractio major refractione glaciei. 342. †
Aquæ *ſupracœleſtes quænam?* 98
Aquilæ *quibus Imperatores Germaniæ utuntur, non Romanorum ſed Germanorum inſignia.* 137
*L.*Aquiliæ *actione utili conventus ob oculi corruptionem in pecuniariam pœnam condemnatus.* 132
Arabicæ *linguæ ſtudium commendatum.* 383. †
Arabici *numi paucis æſtimati.* 225
Ararat *mons inacceſſibilis.* 63
Architectura *hydraulica in formam artis redacta.* 78
Architectonicæ *regulæ.* 406
Architecturæ *militaris ratio.* 141

Arcus

Arcus *cenſus triplex.* 266
Argentum *in numis Romanorum quale?* 218
Argenteorum *numorum apud Romanos initium.* 222
Argoli *ephemerides notatæ* 342. †
Ariſtoteles *Judaicam religionem amplexus.* 304
Arminiani *refutati.* 345.†
Inter Arminianos *& Reformatos diſſidia in Belgio.* 314. †
Articulandi *& probandi in foro modus.* 88
Artus *cur ſoli a podagra occupentur?* 332. †
Aſphaltites *lacus qua ratione enatus?* 105
Aſſyriacum *Regnum cum Babylonico non confundendum.* 136
Attilæ *Hunnorum Regis geſta.* 9
Avari *cujusdam Epitaphium elegans.* 32
Auctoritas *Scripturæ ſacræ unde conſtet?* 345.ſeq.†
Auditus *amiſſus inopinato rediens.* 3
Averſæ *in numis paginæ.* 221.229
Aureorum *numiſmatum initium apud Romanos.* 217
Aurum *in numis Græcorum & Romanorum quale?* 217

BAbylonia *num ſedes Paradiſi fuerit?* 99
Babylonicum *Regnum cum Aſſyriaco non confundendum.* 136
Baconi *(Franciſci) de Verulamio epiſtolæ edendæ.* 400
Baluzii *(Stephani) Epiſtolæ ad Herm. Conringium.* 302
Circa Baptiſmum *triplex error Arminianorum.* 348.†
Baptiſmus *propter mortuos quid? 1. Cor. XV. 29.* 356
in Spiritu S. a Baptiſmate in igne diſtinctus. 354
Baptiſmi *efficacia ex mente Petri Tſarnii.* 116
in ſolis Electis, ex mente Reformatorum. 91
in quibus conſiſtat? 91.117
in electis fœderatorum infantibus. 90. 117
Baptiſterium *Baſilicæ Lateranenſi Romæ adjacens.* 325
ברא *num notet creationem ex nihilo?* 97
Bardeſanes *num fatum defenderit.* 387
Baronius *notatus.* 286
emendatus. 325
De Barlæo *judicium Sorberii.* 163
Baſilica *Vaticana vetus.* 402
recens. 404
Baſilicæ *Lateranenſis, quæ Romæ eſt, Deſcriptio.* 321.324
Baſſington *Aſtrologus.* 457
Batavici *fori praxis.* 114
Baudii *(Dominici) Epiſtola inedita.* 342
Bekkerus *(Balthaſar) refutatus.* 254. ſeq.

Bellar-

Bellarminus *notatus.* 370.†
Benno *Cardinalis a Bennone Epiſcopo Miſcnenſi diverſus.* 115
Bennonis *Epiſcopi quondam Miſenenſis vita.* 115
De Bennone *Miſenenſi contraria hominum judicia.* 115
Beringus *(Vitus) inſignis Poeta.* 30
Bernoulliani *problematis A. 1693. menſe Majo propoſiti conſtructio.* 339.†
ſolutio, ſolutionisq; difficultas. 193. ſeq. 387. ſeq.†
Bezoar *Orientale omnium præcipitantium præſtantiſſimum.* 363.†
Bibere *quoties liceat?* 157
Biblia ſacra *in Anglicanam linguam converſa.* 319.†
Bibliorum *Hebraicorum codex elegantisſimus.* 138
Bocara *caput Usbeccorum Tartarorum.* 60
Bonarotæ *(Mich. Angeli) natales, ætas, laus.* 27. 404. 405
Borelli *de motu muſculorum hypotheſis notata.* 204
Borrichii *(Olai) Elogium.* 33
Boruſſiæ *fata.* 470
Boſchii *(Petri) vita.* 175
Bracteati *numi.* 218
Brutis *vindicati ſenſus.* 388
Brutus *(Junius) Vindiciarum pro Religionis libertate auctor Caſaubonus.* 162
Buchneri *(Augusti) Elogium.* 283
Bulgari *hæretici qui?* 309
Ludovici Burbonii *II Principis Condæi vita.* 291. 299
CAchexia *quos morbos comprehendat?* 362.†
Cachexiæ *cauſa.* 361.†
Calendarium *cœleſte novum.* 93
Calices *Eucharistici veterum Chriſtianorum.* 188
Calculus *differentialis oſculorum.* 365
Calculi *Leibnitiani præſtantia.* 193
nova applicatio & uſus. 311
In Calculis *differentialibus quæ adhuc deſiderentur?* 193. 279
Calculus *ingens equinus ſupra renes in peculiari cyſti repertus adhuc calidus.* 2
Caleto *Gallis conceſſo num imprudenter egerit Eliſabetha Angliæ Regina?* 355.†
Calor *febrilis unde?* 361.†
Campanella *notatus.* 164
Camphoræ *oleum ex radice Cinnamomi confortat.* 363.†
inſigne antiparalyticum. 363.†
In Du Cangii *Gloſſarium notæ Valeſii.* 310
Canonici *juris ſtudium Proteſtantibus commendatum.* 128
Canonizatio *Bennonis Epiſcopi Miſenenſis prolixe deſcripta.* 116
In Canticum *Salomonis commentarius.* 409

Digitized by Google

In Capellani *Poema de puella Aurelianenſi luſus.* 156
Capillorum *raſura num Polonis omnibus injuncta?* 468
Capitum *in numis ornamenta.* 227.228
Cum Captivis *in bello quomodo procedendum?* 430
Cum Caravanis *peregrinandi modus & leges.* 63
Carminum *diverſorum collectores.* 28
Carolus *Auſtriacus in Hiſpania Regis titulum ſumſit, matre Johanna adhuc viva.* 153
Carteſius *notatus.* 111
Caſpium *mare ſubtus terram in ſinum Perſicum ſe exonerat.* 63
Caſtalio *(Sebaſtianus) notatus.* 14
Caſtiliæ *motus poſt mortem Iſabellæ Reginæ.* 150
Cataplaſma *anaſarcæ appropriatum.* 378. †
Catenarium *problema facilius elaſtico, & cur?* 263
Catharinæ *Mediceæ Galliæ Reginæ mores.* 451
Catarrhi *eſſentia & cauſa.* 361.†
Catarrhus *quos morbos comprehendat?* 362. †
Cellotius *notatus.* 371.†
Circa Cenſus *conſtituti probationem actor ad juramentum ſuppletorium admiſſus.* 130
Cervinarum *lacrymarum fontes.* 51
Chaldaicæ *linguæ uſus tempore Abrahami.* 11
Chananæa *lingua eadem cum Hebræa.* 11
Chavila *regio ubi ſita fuerit?* 100
In Chauvini *(Petri) librum de Religione naturali Animadverſiones.* 421
Cherubini *Ezech. I. & X.* 38
qui? 260
China chinæ *ſub clyſteribus exhibita, cur facilius febres expugnet, quam ore aſſumta?* 335
Cortex Chinæ Chinæ *integer, non pulveriſatus, ſervandus.* 379. †
quibus non propinandus? 380. †
in febribus continuis improbatur. 380.†
Chinæ Chinæ *Tinctura quo menſtruo paranda?* 379. †
Chinæ *longitudo male a Geographis deſignata.* 63
In Chinam *via per mediterranea Aſiæ quæſita.* 60
Chor-Epiſcopi *quinam in Eccleſia priſtina?* 361. †
Chriſtianiſmi *in Saxonia primordia.* 301
Chriſtiana *Religio male in nudam morum doctrinam flectitur.* 420
ex Ethniciſmo a Petro Chauvino derivata. 422
num conformis naturæ? 422.427

Chriſti

Chriſti *Deitas aſſerta.* 413
deſcenſus ad inferos. 353
meritum contra Socinianos aſſertum. 417.418
regno num ante mundi finem ſubjiciendi Judæi? 354
Chriſtum *num ore abnegare liceat, animo ſincero?* 169
Chriſtus *Angeli perſona indutus Patriarchis apparuit.* 258
cum S. Cœnam inſtitueret, num una cum Apoſtolis ſacra ſymbola ſumpſerit? 371.†
dum inter mortales vixit, num cultu religioſo fuerit adoratus? 427
Chronologia *Moſaica evoluta.* 108
Chronologiæ *Elementa.* 118
Ciampini *(Joannis) Elogium.* 112
ſcripta adhuc edenda. 329
Cicuta *in mammarum flacciditate inſignis.* 378.†
Circuli *oſculantes. Vide* Oſculum.
Circumciſio *cur die octava facta?* 351
Clavorum *pedum remedium.* 378.†
Clematidis *peregrinæ ſemen, veſicatorium.* 378.†
Clemens *Alexandrinus notatus.* 171
Cœlum *apertum quid Joh. I. 51?* 180
Cœna *Dominica cum cibis ordinariis initio ſumta, poſt a cibis ordinariis ſeparata.* 369.†
In Colletetum *poetam Gallum, famulas ſuas ducentem, Epigramma.* 310
Colicæ *ac paſſionis hyſtericæ remedium.* 378.†
Coloniarum *numi.* 231
Columbarum *cultus olim apud Gentiles unde?* 213
Columbæ *tabelliferæ.* 63
Columbæ *feudalibus, non allodialibus rebus accenſentur.* 65
Columnarum *ordo novus an poſſibilis?* 27
regius Gallicus. 27.
Columnis *in deſerto ignea ac nubila, vetus & novum Teſtamentum ſignificata.* 339
Comenius *(Joh. Amos) notatus.* 169
Communio *peregrina quid?* 370. 373.†
a Laica diverſa. 370.†
Concilia *in Laterano celebrata.* 324
Conciliorum *Canones de communione peregrina illuſtrati.* 370.† 375.†
Concubinæ *antiquorum Philoſophorum.* 123
Condæi *Principis Ludovici Borbonii II vita & res geſtæ.* 291.ſeq.
Confeſſio *S. Petri, locus in Vaticana Romæ Baſilica.* 327

Conſcientiæ *vis non inferenda.* 84
Conſervatio *Creaturarum in quo conſiſtat ex mente Chauvini?* 425
Conringii *(Hermanni) vita & ſcripta.* 303
A Conſtantino M. *conſtructa ædificia ſacra.* 321
Conſtructio. *Vid.* Curva, Problema, Æquatio.
Conſulares *numi inter Romanos vetuſtiſſimi.* 216. 220
qui? 221
Contractura *Dæmoniaca.* 350.†
Conturniati *Metalliones qui?* 219
Converſio *Judæorum num expectanda?* 366.†
Ex Corinthio *ære num procuſi numi?* 218
Coronæ *cur olim Chriſtianis prohibitæ?* 170
in numis variæ. 228
Coronarum *apud gentiles uſus.* 171
Corpus *Moſis quid Jud.v.9?* 368.†
Corporum *eorundem numero reſurrectio aſſerta.* 347.†
Coſmographica *Epitome P. Vinc. Coronelli.* 332
Coſtagutus *(Joh.Baptiſta) Baſilicam Vaticanam deſcripſit.* 327
Cotelerii *(Joh.Baptiſtæ) vita & ſcripta.* 162
De Coucy *Dominorum genealogia.* 143
Cranmeri *(Thomæ) vita.* 315.ſeq.†
ſupplicium. 324.†
Cranzius *notatus.* 464
Critica *ſacra Ludovici de Dieu* 399.
Cruciferorum *in Boruſſia dominatus.* 470
Crucifixionis *Chriſti tempus.* 138
Crumvellus *reformationis in Anglia adjutor.* 318.ſeq.†
Crux *Archiepiſcopis Toletanis præferri ſolita.* 155
Curatio *morſus viperini.* 341.†
Curcellæus *notatus.* 475
Curva *elaſtica non eſt parabola* 263
data, invenire legem tenſionum & viciſſim. 267
Curvæ *elaſticæ conſtructio.* 398
in quavis extenſionum hypotheſi. 265
per rectificationem lemniſcatæ & ellipticæ. 338.†
ellipticæ & lemniſcatæ proprietas. 338.†
ſeries infinita. 274
uſus in curvis indagandis. 393
Curvarum *algebraicarum & tranſcendentium problemata communi geometria non reſolubilia.* 393
quomodo conſtruantur? 339
Mechanicarum conſtructio triplex. 336
per

per quas curvas tentanda? 338.†
Problemata. 313. ſeq.
quadrandarum & rectificandarum ſeries generaliſſima. 437
tranſcendentium conſtructio duplex. 366. 373
inventio univerſalis. 373
Curvatura *Elateris flexi.* 262
laminæ elaſticæ & lintei a pondere incluſi fluidi expanſi. 262. 275
Cycloidum *æquatio generalis.* 343. †
Cygnorum *cantus.* 5
Cyrilli *Archiepiſcopi Alexandrini epiſtola ad Uytenbogardum.* 314. †
DÆmoniaci *in Nov. Teſt. vere a Diabolis obſeſſi.* 236
Danæus *notatus.* 387
Danicæ *linguæ & nominis antiqua gloria & prærogativa.* 357
Danorum *Poetarum carmina.* 27. ſeq.
Dantiſco *a Fœderatis Belgii Ordinibus proſpectum.* 344
Dardanellarum *Turcicarum robur minime formidandum.* 64
Deciſiones *Electorales Palatinæ.* 129
Ad Deciſiones *Rotæ Marchiæ D. Stephani Gratiani Scholia D. Caroli Antonii de Luca.* 238
Dei *immenſitas vindicata.* 347. †
notitia ita patet, ut non ſolum quid non ſit, ſed & quid ſit, intelligamus. 288
Deitas *Chriſti contra Antitrinitarios aſſerta.* 413
Delicta *diverſis ſupplicorum generibus punita.* 89
Delirium *ex inſomnio.* 2
Democriteæ *Philoſophiæ diſcrimen ab Epicurea.* 124
Deos *plures neceſſe eſt ut ex hypotheſi ſua admittant Sociniani.* 473
Deus *quo ſenſu omnium hominum ſalutem velit 1. Tim. II. v. 4?* 182
Diaboli *poteſtas a Balth. Bekkero deſtructa.* 242
Diademata *Regum.* 228
Diluvii *effectus.* 352
Diluvio *abſorptorum quidam num pœnas æternas evaſerint?* 352
Dithmarus *notatus.* 467
Divinitas *Scripturæ S. unde conſtet?* 346
Per Diureſin *ſedatus ptyaliſmus.* 3
Documentorum *ſequeſtratio licita.* 131
Dolia *non ſunt figuræ ſphæroidis ellipticæ.* 269
Doloris *ſubjectum ſeu pars affecta.* 332. †
De Dominis *(M. Antonii) fata.* 314. †

Dominium *monaſticum quid?* 376. †
Dominii *origo & diverſa ſpecies.* 375. ſeq. †
paterni ratio. 377. †
Donatiſtarum *origo.* 170
Dordracenæ *Synodi Hiſtoria.* 314. †
Dorii *Thuringorum majores.* 338
Dordraci conditores. 338
Dotalitium *quo ex Feudis proſpicitur fœminis.* 66
Dote *indeterminate promiſſa an aliquid & quantum peti poſſit?* 431
Druſii *(Johannis) Manuſcriptum quoddam.* 249
Druſius *notatus.* 57
Ductuum *ſalivalium inferior conformatio diverſa.* 50
Dynamices *ſcientia.* 111
IN Eccleſiaſtem *Salomonis commentarius.* 407
Eccleſiaſtis *Salomonei verſiones.* 408
In Eccleſiaſticum *commentarius.* 410
Eccleſiaſticus *a quo & quo tempore conſcriptus?* 410
Eccleſiæ *vera character num amplitudo?* 417
Eclipſis *Solis obſervata.* 375. 377. ſeq.
Lunæ obſervata. 388
Edicta, *quibus imperantes ſubditis protectionem pollicentur, num pacti inſtar habeant?* 34
Edicti *Nannetenſis Hiſtoria.* 81
Effluvia *e corporibus promanantia.* 36
Elaſtica. *v.* Curva.
Elaſticum *problema difficilius catenario, & cur?* 263
Elateris *flexi curvatura.* 262
Elliptica *linea. v.* Curva.
Eliſabethæ *Angliæ Reginæ Character.* 355. 358
hiſtoria. 449. ſeq.
Eliſabetha *Angliæ Regina cum Regina Sabæa comparata.* 340
Inter Eliſabetham *Angliæ & Mariam Scotiæ Reginam ſimultatis origo, progreſſus, exitus.* 451. ſeqq.
Emblematum *ſacrorum Theſaurus.* 95
Emplaſtrum *febrifugum.* 381. †
Emſeri *(Hieronymi) de vita Bennonis Epiſcopi Miſenenſis liber.* 116
Enthuſiaſmi *origo* φιλαυτία. 120
Contra Enthuſiaſmum *remedia.* 120. 121
Enthuſiaſtæ *refutati.* 119
Enthuſiaſtarum *revelationes exploſæ.* 346
Epicuri *vita & mores.* 121
virtutes & religionis cultus. 122
dogmata. 123. 124
In Epicurum *odii quæ cauſa?* 124
Epigrammata *variorum.* 343

Epi-

Digitized by Google

Epilepſia *ex aſpectu fratris mortui.* 2
matrimonio curata. 3
Epiphanius *notatus.* 136
Epiſcopius *notatus.* 474
Epiſtolæ *variorum hactenus inedita.* 340
Epochæ *numariæ Græcorum & Romanorum.* 223
Eraſmi *(Deſiderii) patria non Roterodamum, ſed Gaudanum.* 340
Eſſenorum *ſaltationes commendata Chriſtianis.* 173
Etymologia *vocum bono Interpreti indaganda.* 18
Evaporatio *in vacuo.* 344.†
Euchariſtia *mortuis data.* 190
Euchariſtici *veterum Chriſtianorum calices.* 189
Evolventis *fili longitudo in terminis pure differentialibus.* 263
De Exinanitione *Chriſti controverſia.* 315
Exoterica *Scripturæ interpretatio quæ?* 280
FAber *(Tanaquil) notatus.* 309
Facetiæ *Menagiana.* 156
Sorberiana. 159
Faciei *rubedo & ſudor poſt mortem.* 4
Fatalis *vitæ terminus rejectus.* 425
Febres *quascunque clyſteribus China China expugnandi ratio.* 334
fugantur radice ſerpentariæ Virginianæ. 378.†
Febrile *frigus & calor unde?* 361.†
Febriles *paroxyſmi cur ſtatis redeant temporibus?* 361
Febris *ardens ex fœtore pedum ſuppreſſo.* 3
cauſa turbata ſanguinis asſeritur mixtio. 360.†
intermittentis ratio. 361.†
per iram curata. 4
quos morbos comprehendat? 362.†
Febrium *ſignum pathognomonicum.* 360.†
Fecula *Coa quid?* 350.†
Ferdinandi *Catholici Hiſtoria.* 150
Mors. 151
Indoles ac mores. 155
Auſtriaci adverſus fratrem Carolum, Hiſpaniarum Regem, molitiones. 154
L.B. a Fürſtenberg, Epiſcopi Paderb. & Monaſt. Epiſtola ad Herm. Conringium. 301
Ferri *in magneticum lapidem mutatio.* 209
Feuda *hæreditaria quænam?* 65
Feudalis *Syntagmatis Struviani ſupplementum.* 64
Feudales *controverſiæ.* 23
res quænam, quænam Allodiales? 64
Feudo *num privetur mulier ob delictum mariti, quem procuratorem conſtituerat?* 66

Fibræ *motrices muſculorum.* 200
motricis curvæ, cujus natura? 201
Fibrarum *firmitatis ratio.* 202
Ficulnea *protoplaſtorum ſcena.* 103. 105
Fideicommiſſum *familiæ quando libere alienari poſſit?* 131
Firmamentum *quid Gen.I.6?* 98
Fixarum *motus ſingularis ab invicem.* 343.†
Flacius *vindicatus.* 302
Flos *in numis quid?* 226
Fluvii *quomodo navigabiles reddi queant?* 78
Fœminæ *Epicuri diſcipulæ.* 123
Fœmina *abſque menſtruis fœcunda.* 3
Ex Fœtore *pedum ſuppreſſo febris ardens.* 3
Fœtus *gemellus uni tunicæ involutus.* 344.†
in utero cur reſpiratione non egeat? 343.†
Fonticulorum *utilitas in Ophthalmia.* 2
Foreſtale *Jus Anglicanum.* 327
Fori *Batavici praxis.* 114
Formicum *formatio & menſura.* 207
Forum *eligendi privilegium.* 88
Fortalitiorum *exſtruendorum ratio.* 141
De Fortuna *ſententia Epicuri.* 125
Franciæ *Regum ſeculi ſexti numi vultibus Imperatorum Orientalium notati.* 220
Franciſci II. *Franciæ Regis hiſtoria.* 96
Fraudis *in nummis falſis ſupponendis modi varii.* 229. 233
Fraxinellæ *extraordinaria productio.* 343
Frigus *febrile unde?* 361
Fruſtrati *numi qui?* 226
Fulmine *Sodoma ut perierit?* 106
Funditorum *in Gallia factio.* 293. ſeq.
Furunculi *poſt variolas.* 2
GAllica *lues antiquis non incognita.* 309
Galliæ *civiles motus.* 293. ſeq.
ex cauſa Religionis. 82
miſerrimus ante edictum Nannetenſe ſtatus. 82
Gallicus *ordo columnarum quis dici poſſit?* 27
Gardineri *Wintonienſis Epiſcopi ſimultas cum Thoma Cranmero.* 318. 321. †
Gaudanum *Deſiderii Eraſmi patria.* 340
Genealogia *Dominiorum.* 375
Genealogicæ *Tabulæ Joh. Striedbeckii.* 24
Geneſeos *nova translatio, paraphraſis perpetua &c.* 9. 97
De Geniis *eorumque operationibus controverſia.* 241. ſeq.
Gentiana *radix amara Homeri.* 350
Geographiæ *defectus.* 61

Digitized by Google

Joh. Georgius III. *Elector Saxoniæ Epigrammate honoratus.* 30
Germani *num Poloniam olim reddiderint tributariam?* 466. ſeq.
Gihhon *fluvius quis Gen. II. 13?* 101
Glacies *in vacuo citius ſolvitur quam in aëre.* 342.†
Glaciei *expanſio ab aëre.* 342.†
Glandula *nova lacrymalis.* 49
Globi *Cæleſtes celebriores.* 333
Globorum *Cæleſtium & terreſtrium hiſtoria.* 333
Gloſſarium *linguarum ſeptentrionalium edendum.* 385.†
Gnoſticorum *nefanda myſteria.* 387
Godofredus *Viterbienſis refutatus.* 468
Gog *& Magog.* 45. ſeq.
Gomez *(Alvari) de Caſtro vita Cardinalis Ximenii.* 145
Gothici *numi.* 225
Gothicus *Evangeliorum Codex argenteus.* 384.†
Grammaticæ *ſtudium Hebrais olim neglectum.* 12. 13
Græcæ *lingua in numis uſus.* 224. 225
Græciæ *ſeptem Sapientes.* 139
Græci *ſanguinem & ſuffocatum, decreti Apoſtolici Act. XV. memores, hodieque averſantur.* 169
Grævii *(Joh. Georgii) ſtudium in edendis Alberti Rubenii ſcriptis.* 285
Gratia *Numinis num evertat libertatem hominis?* 425
divina reſiſtibilis. 425
Gravium *deorſum tendentium momenta.* 112. ſeq.
Grotius *(Hugo) notatus.* 408. 412
Gruteriana *Inſcriptio explicata.* 323
Gruteri *(Jani) Deliciæ.* 28
Guilielmitarum *ordo a quo inſtitutus?* 165. 166.
Guilihelmus *Dux Aquitaniæ, a S. Bernhardo ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam revocatus, an idem cum S. Guilhelmo Magno anachoreta?* 165
Ex Gummatibus *pilulæ anticachecticæ.* 363
Guttæ *Goddardianæ quid ſint?* 381.†

HÆmorrhagia *ſpontanea ex globulo naſi.* 2
narium a menſibus ſupervenientibus ſedata. 3
enormis vulnerati innoxia. 3
Hæmorrhagiæ *narium remedium externum.* 378.†
Hæreditaria *feuda quænam?* 66
Hæreditarii *morbi quomodo propagentur?* 331.†
Hæreſium *antiquarum origo ex philoſophia Platonica.* 387
Hæretici *num ſupplicio afficiendi?* 348.†

Dddd *num*

num a Magiſtratu Politico coercendi? 420
Hæredis *inſtitutio ſub conditione matrimonii facta.* 431
Hafniæ *obſidio eleganti carmine deſcripta.* 31.32
Hannoniæ *Comitum genealogia.* 143
Harderus (*Henricus*) *inſignis poeta.* 31
Harpocratis *imaguncula in Muſeo Joh. Smetii.* 137
Hebræa *lingua num ab Heberi poſteris conſervata?* 11
Hebræorum *ſacerdotium.* 56
Hebraica *lingua Chananææ propago.* 11
inops & ambigua parumque culta. 12
cur ſancta dicta? 12
Hebraicæ *linguæ ſtatus poſt captivitatem Babylonicam.* 13
in Latinam vertendæ difficultas. 15.ſeq.
Hebraici *numi hominis imaginem referentes adulterini.* 225
Heden, *Paradiſi ſedes in Syria.* 99
Helmſtadienſis *Bibliotheca Manuſcripta.* 303
Henochi *Prophetia.* 368.†
Henricus *de Hervordia alius ab Henrico de Erfordia.* 301
Henricus IV *Rex Galliæ quomodo cum Reformatis per edictum Nannetenſe tranſegerit?* 86
Henrici II *Franciæ Regis hiſtoria* 96
Henrici VIII *Angliæ Regis cauſa matrimonialis.* 316.ſeq.†
circa Religionis negotium decreta. 318.ſeq.†
amor erga Thomam Cranmerum. 316.ſeq.†
De Henrico VIII *Angliæ Rege memorabilia.* 457
Herba *ſolſtitialis, gramen.* 350.†
Hercules *idem cum Joſua.* 212
Herculis *antipodagrici deſcriptio.* 335.†
operandi ratio. 336.†
Hermaphroditus *quomodo a culpa excuſandus?* 329.†
Herodiani *qui apud Judæos?* 57
Herpetis & *impetiginis remedium.* 379.†
Hiberniæ *motus ſub Eliſabetha Regina.* 357.†
Hieroglyphicum *Lexicon.* 95
Hieronymus *notatus.* 169
In Hippocratis *Aphoriſmos Commentarius Lucæ Tozzi.* 344
Hiſkiæ *morbus angina.* 350.†
Hiſpaniæ *ſtatus ſub Iſabella, Philippo Auſtriaco, Carolo I.* 148.ſq.
Hiſpanica *Hiſtoria ex vita Cardinalis Ximenii illuſtrata.* 145.ſeq.
Hiſtoria *ſeculi XVII.* 313.†
Homicidium *extraordinarie puniendum, quo occiditur unus pro alio.* 329

Hopne-

Digitized by Google

Hopnerus *(Johannes) poëta.* 29
Hoſeæ *prophetiæ argumentum.* 42
Huetii *(Petri Danielis) de Paradiſo ſententia refutata.* 99
elogium. 240
Hungariæ *Origines.* 7
Hungaricæ *linguæ cum orientalibus convenientia.* 9
Hungarorum *antiquorum ſedes.* 8
Hunnorum *in Europam irruptiones a vatibus Ethnicis prædictæ.* 8
Hydraulica *Architectura in Belgio exculta.* 78
Hydroſtatica *nova promiſſa.* 446
Hydropi *ſcarificatio medetur.* 4
Hyſſopi *uſus myſticus & medicus.* 350.†
Hyſſopus *noſtra eadem cum Arabum, Græcorum & Ebræorum hyſſopo cenſetur.* 350.†
Hyſtericæ *paſſionis remedium.* 378
Jacobi *Apoſtoli, Alphæi filii Martyrium.* 6
Jacobi I. *Scotiæ Regis Hiſtoria.* 449. ſeq.
matrimonium cum Regis Daniæ filia impeditum, & perfectum tamen. 455.456
Jani *Ratitis numi.* 351.†
Icterus *in gravida ad fœtum tranſiens.* 4
Icteri *cura magnetica.* 378.†
De Idolothytis *vitandis Apoſtolica conſtitutio.* 167
Imaginum *inter Chriſtianos cultus unde?* 352
Immenſitas *Dei vindicata.* 347.†
Immobilia *civili æſtimatione talia feudo vindicantur.* 64
Imperantes *inter & ſubditos num pacto locus ſit?* 85
Imperatorum *ſequioris ævi ſucceſſio numaria.* 216
Impetiginis *remedium.* 379
Incendia *qua arte Judæi reſtinguant?* 56
Incendio *culpa Domini exorto, ſi vicinæ ædes perierint, ad reſtitutionem damni iſte adſtringitur.* 132
Incuſi *numi qui?* 227
Indicantia *in morbis generaliſſima.* 363.†
Infantium *ex parentibus fœderatis prognatorum prærogativa.* 90
Injuriarum *a communitate conventus, qui aliquos ſaltim indignos adminiſtratione dixerat, abſolvitur.* 131
Inſecti *genus datur vere ſanguineum.* 389
Interpretandi *Scripturam genus duplex, acroamaticum & exotericum.* 281
optima ratio. 14. ſeq.
Inveſtituræ *renovationis intermiſſa*

ſa petitione Feudum hæreditari-um aperitur. 66
Inundationum *remedia.* 80
Jobus *& Antediluviani alii num caruerint lumine revelationis?* 421. 424
Joh. Georgius III. *Elector Saxoniæ Epigrammate honoratus.* 30
Joſaphat *vallis Joel. III. 2.* 76
Joſephus *notatus.* 214
Jovis *& Solis oppoſitorum obſervatio.* 342. †
Ira *febri ardenti medetur.* 4
Iſabellæ, *Ferdinandi Catholici conjugis, vita & mores.* 155
Iſis *Evam notat.* 212
Iſraelitarum *in deſerto veſtes non detritæ.* 235
Iſochrona *linea. V. Curva.*
Italiæ *Abbatiarum Notitia.* 126
Iter *in Chinam per Moſcoviam.* 61
Judaica *Theologia moderna.* 303
Judas *Cœnæ Dominicæ particeps non fuit.* 355
In D. Judæ *Epiſtolam Catholicam Commentarius.* 280. 368. †
Judæi *num ad communionem Eccleſiæ aliquando perventuri?* 181. 182. 354
num ortum ducant ab Æthiopibus? 210
cur recutiti Martiali & Perſio dicti? 212
quales numos procuderint? 225
qua arte incendia reſtinguant? 56
Judæorum *converſio inſignis an ſit expectanda?* 366. †
olim ſectæ. 57
De Judiciis *& modo procedendi in judiciis Tractatus.* 133
Junii *(Franciſci) vita.* 384. †
Junius *Brutus Vindiciarum pro Religionis libertate auctor Caſaubonus.* 162
Juramentum *ad certam Religionis formulam obſtringens quatenus obliget?* 424
Juris *Civilis, Canonici, Hodierni Differentiæ.* 128
Jurius *(Petrus) refutatus.* 92
Jus *Eccleſiaſticum Anglicanum.* 327
Juſtificatio *alia realis, alia ſacramentalis, ex ſententia H. Witſii.* 91
Juſtini *Hiſtoriarum editiones variæ.* 364. †
Juſtitia *Dei vindicativa contra Socinianos aſſerta.* 474

Kirchii *(Godofredi) Calendarium cœleſte novum.* 93
Kortholdi *(Chriſtiani) Elogium.* 288

Labiorum *oris conſenſus cum utero.* 3
Lacrymalis *nova glandula.* 49
Lacymarum *Cervinarum fontes.* 51
Lacus *Aſphaltites qua ratione enatus?* 106
Laertius *emendatus.* 122
Laica *communio quid?* 370. †
Lam

Lama *Tartarorum ſupremus Pontifex Presbyteri Johannis ſucceſſor.* 63
Laminæ Elaſticæ & *lintei a pondere incluſi fluidi expanſi curvatura.* 262. 275
Λαμπαδοφορίας *Græcorum reliquiæ.* 341
Lapides *diſtinguendis finibus poſitos ungendi mos unde?* 171
Lapis Bezoar *orientalis omnium præcipitantium præſtantiſſimum* 363.†
Lateranenſis *Baſilica Romæ unde ſic dicta?* 321
Lateranorum *apud Romanos familia illuſtris.* 322
Latinæ *linguæ in numis uſus.* 224. 226
Lectiones *variantes Novi Teſtamenti.* 137
Legata *quæ hæres ex Juris ignorantia ſolvere recepit, comperto errore adhuc præſtare tenetur.* 133
Legati *putativi præſcriptio.* 130
Legatorum *ex rebus feudalibus & allodialibus filiæ relictorum ratio.* 23
Legatum *ad pias cauſas relatum quomodo probetur?* 131
peti non poteſt ex teſtamento ob defectum ſolennitatum invalido. 131
Legatum *nominis poſtea a teſtatore alii in ſolutum dati, nihilominus adhuc debetur.* 23
Legenda *quid in numis?* 222. 223
De Legum *origine earumque vi obligandi, nec non varietate magna Tractatus.* 326.†
Legum *Species quatuor.* 326. ſeq.†
Leibnitiani *calculi differentialis præſtantia.* 193
problematis de curva Iſochrona ſolutio.v. Curva.
Lemniſcata *linea. v.* Curva.
Lentiſci *oleum antiapoplecticum externum inſigne.* 378.†
Leonis *Magni locus emendatus.* 330
Lexicon *Chriſtianum.* 94
Lexicon *Hieroglyphicum.* 95
Lexicon *Hiſtorico-Geographico-Chronologico-Philologicum novum.* 287
Lex Naturæ *quo ſenſu cordibus hominum inſcripta?* 423. 428
Lex Salica *ubi lata?* 301
Libellatici *qui in Eccleſia veteri?* 170
A Limborch (*Philippus*) *refutatus.* 345.†
Lindavienſe *diploma num genuinum?* 302
Linea. *v.* curva.
Lingua *primæva qualis fuerit?* 10
Linguæ *Danicæ præſtantia.* 357
Lintei *a pondere incluſi fluidi expanſi & Laminæ Elaſticæ curvatura eadem.* 262. 265
Logarithmica *Linea. v.* curva.

Logicum *Manuale Jo. Scharſii a J. Stübelio auctum.* 66
Lothi uxor *num in ſtatuam ſalis fuerit converſa?* 107.350.†
Lotionum *varia apud Chriſtianos veteres genera.* 172
Lotio *pedum a Mennonitis Sacramenti ferme loco habetur.* 172
Luci *cur comparetur Chriſtus?* 118
Luciano *teſte comprobata Chriſtianorum de S.S. Trinitate fides.* 416
Ludi *Chriſtianis merito prohibiti.* 172
Lumen *Naturæ num ſufficiat ad conſequendam ſalutem æternam?* 421.424
Lunæ *Eclipſis obſervata.* 380
ſemidiameter. 376
tranſitus per Plejades. 343.†
Luſus *puerorum varii.* 340.341
Lutheri *(Martini) in verſione Bibliorum παροράματα.* 55
Lutherus *notatus.* 170
Lutheranorum *de efficacia baptiſmi doctrina impugnata.* 90.ſq.
Lycanthropiæ *veritas.* 2
MAchinæ *hydraulicæ.* 79.80
aquariæ promovendis navigationibus. 79.ſeq.
Mechanicæ *lineæ.v.*Curva.
Magdeburgenſis *Archi Epiſcopus num Epiſcopos Poloniæ olim ſubjectos habuerit?* 467
Magia *Diabolica a Balth. Bekkero exploſa.* 244.ſeq.
Magiſtratus *poteſtas circa ſacra.* 420.
Magnetica *icteri cura.* 374.†
Magnetis *extra terræ gremium geneſis.* 208
Magorum *ſtella.* 342
Maimonidis *tredecim articuli Theologiæ Judaicæ.* 304
Flavii Mallii *Theodori vita.* 284
Maniacus *in morbo Teutonice locutus, quam linguam nunquam didicerat.* 164
Manilius *Aſtronomici autor quis?* 285
Mammarum *flacciditati medetur cicuta.* 378.†
Manna *Chriſti typus.* 261
Maria *Stuarta num juſte ab Eliſabetha capitali ſupplicio affecta?* 356.†
Mariæ *Stuartæ Scotiæ Reginæ hiſtoria.* 449
cum Eliſabetha Anglicana ſimultatum origo, progreſſus, exitus. 451. ſeq.
B. Mariæ *Virginis conceptio num maculata, an immaculata?* 314. ſeq. †
Mariti *in uxorem Dominium quale?* 376.†
Marmor *Puteolis nuper repertum.* 173
De Martyrio *S. Urſulæ & 11000 virginum fabula unde orta?* 309
Martyrum *verba ultima.* 6

Mathe-

Matheſis & *Chymia Medico futuro neceſſaria.* 359
Matrimonio *curata epilepſia.* 3
Ex Matrimonio *impari ſuſcepti liberi quo jure cenſeantur?* 431
Matrimonium *quatenus ex alterius arbitrio pendere poſſit?* 431
impar a Principe contractum. 431
Maurorum *ad fidem Chriſtianam converſio a Ximenio procurata.* 149
regni in Hiſpania ortus & interitus. 155
Maza *Hippocratis.* 351. †
Mazarini *Cardinalis cum Condæo Principe ſimultas.* 290
in Regem Galliæ fides. 382
Mediator *quo ſenſu dicatur non eſſe unius, Gal. III. 20?* 183
Medicamentum *antipodagricum internum & externum.* 335
Medicinæ *partes.* 386. †
Medicus *quomodo famam conſequatur?* 359
Melidonii *ſuccus vulneribus recentibus medetur.* 378. †
Melvilli *(Jacobi) Elogium & vita.* 449. ſeq.
Menagii *(Ægidii) Origines linguæ Gallicæ & Italicæ.* 157
ſcripta. 159
Menaſſes *Ben Iſrael notatus.* 164
Mennonitis *pedum lotio ſacramenti ferme loco.* 172
Menſtruis *deſtituta fœmina fœcunda.* 3
Mercatorii *judicii ac proceſſus ſingularia.* 363
Mercatorum *libri quotuplices?* 360
ſingularem probandi autoritatem obtinent. 361
quomodo recognoſci debeant? ibid.
pro ſcribente probant. 132
Contra Mercatorum *libros admittitur probatio in contrarium.* 364
Merces *demerſas extrahendi modus.* 81
Mercurii *hypotheſin ſpectantia.* 344. †
in diſco Solis obſervationes collatæ. 343. †
Meritum *Chriſti contra Socinianos aſſertum.* 417
Meſſias *non niſi verus Deus eſſe potuit.* 415
De Meſſiæ *beneficiis alia veterum, alia recentiorum Judæorum ſententia.* 306
Metalla, *ex quibus numi procuſi.* 217
qua ratione per virgulam divinam indagentur? 36
Metalliones, *Romanus Miſſilia.* 218. 231

Con-

Conturniati num ante Theodoſium cuſi? 219
Metamorphoſis *uxoris Lothi rejecta.* 107
Metaphyſicæ *defectus.* 110
Methodus *docendi & diſcendi.* 134
æquationes differentiales primi gradus conſtruendi generalis. 435. ſeq.
Maximorum & minimorum Fermatii & Huddenii corollarium eſt Leibnitiana differentialis. 315
Tangentium inverſæ, quouſque proceſſerit? 391. 435
generalis non datur. 280
muniendi. 141
Michaelis *Archangeli cum Satana pugna ſuper corpore Moſis Jud. v. 9.* 368. †
Mileſiarum *virginum ſuſpendium.* 350. †
Mineralis *Æthiopis præparatio.* 380. †
Minor *quatenus a culpa excuſandus?* 329. †
Miſico *in Hiſtoria Slavica & Germanica quis?* 467
Mixtio *ſanguinis turbata quid ſit & unde?* 360
Molocho *quomodo ſemen conſecratum?* 237
Momenta *gravium deorſum tendentium.* 112
De Monarchiis *quatuor ſententia vulgaris exploſa.* 136
Monetariorum *olim apud Romanos libertas in ſignandis numis.* 220. 222
notæ. 223
Monetæ *inventor quis?* 221
Moralis *doctrina a Salomone tradita.* 406. ſeq.
Morbi *hæreditarii quomodo propagentur?* 331
ad febrem referendi. 362. †
ad Cachexiam ſpectantes. 362. †
ad ſcorbutum pertinentes. 362. †
ex Catarrho fluentes. 362. †
Cardinales aſſeruntur quatuor. 360. †
Morbus *ab incantatione.* 2
Solſtitialis reputatur phthiſis. 350. ſeq.
Hiskiæ reputatur angina. 350. †
In Morbis *indicantia generaliſſima.* 363. †
Morientium *ultima verba.* 5. ſeq.
Mors *per ſomnium indicata.* 1
Moſaica *Chronologia evoluta.* 108
Moſcoviæ *fines ad confinia Regni Sinenſis prolati.* 61
Moſes *Pentateuchi autor.* 19
unde hauſerit hiſtoriam li-

bro

Digitized by Google

bro Geneſeos comprehenſam? 19
Gentilibus Pan, Silenus, Mercurius. 212
Moſis *corpus quid, Jud. v. 9?* 368.†
nomen unde? 10
in Pentateucho conſcribendo ſcopus. 20. ſeq.
Motus *membrorum corporis quomodo fiat?* 200
in materia ultima ratio. 112
muſculorum quomodo peragatur? 200
Cæleſtes an regulis comprehenſibiles? 344.†
muſculorum hypotheſis Borelliana notata. 204
Mathematice explicatus. 201. ſeq.
Mulier *quatenus a culpa excuſanda?* 329.†
Mundi *materiam ex nihilo creatam, num recte ex Gen. I. 3. probetur?* 97
Munimentorum *exſtruendorum ratio.* 141
Muſculorum *motus quomodo peragatur?* 200
Mutuum *a Civitate contractum in quantum municipes novos obliget?* 432
ab Adminiſtratoribus nomine Civitatis contractum non ſubſiſtit, licet in Chirographo de verſione in rem Civitatis facta fuerit mentio & uſura per longum tempus ſoluta fuerint, quin iſta ceu indebita repetantur. 132

NAbal *quo ſenſu dicatur lapis factus 1. Sam. XXV. 37?* 108
Nannetenſis *Edicti Hiſtoria.* 81
Utilitas. 82
Juſtitia. 83
irrevocabilitas 84
forma pacti proprie dicti rationem habuit. 84
Naſiræi *apud Ebræos.* 57
E Naſi *globulo ſpontanea hæmorrhagia.* 2
Nathanaelis *cum Chriſto colloquium Joh. I. explicatum.* 179. 180
Naves *demerſæ quomodo attollendæ?* 87
Navigationi *quomodo commoda reddi poſſint flumina?* 78
Navigationis *impedimenta & ſubſidia.* 79. ſeq.
Navium *merſarum attollendarum artificium.* 81
Nepenthes *Homeri reputatur opium.* 350.†
Nicolaitæ *Apoc. II. quinam?* 41
Noachus *quot diebus in arca fuerit?* 109
Nuditas *primorum parentum in quo conſtiterit?* 102
Numariæ *rei notitia.* 215. 231

Numi *Græci Romanis ætate & artificio potiores.* 216
capite velato. 350.†
ſervati. 351.†
Jani Ratitis. 351.†
adulterini quomodo detegendi? 219. 233
Numis *antiquis delineata pietas.* 127
Numiſmatotheca *quomodo adornanda?* 233
Numiſmatum *recentiorum uſus.* 216.234
Numos *falſos pro veris ſupponendi varii modi.* 229. 233
Numorum *aureorum & argenteorum initium apud Romanos.* 217
tres conſtructiones ex triplici metallo. 218
coagmentationes pro vultuum varietate. 219
ſeries pro diverſa magnitudine. 218
Regiorum, Civitatum, Conſularium ſeries. 220
vultus. 219.227
lingua varia. 224
averſa pagina. 221.229
legenda. 223
integritas. 226
ornamenta & ſymbola. 227

O

Obauditio *mira.* 3
Obeliſcus *Vaticanus translatus.* 403
Oblatio *ſine communione quid?* 371.†
Obſervatio *Eclipſis Solaris.* 375. 377.ſeq.
Lunaris. 380
Oppoſitionis Jovis & Solis. 342.†
tranſitus Lunæ per Pleiades. 343.†
De Occidente *unum pro alio Tractatio.* 328.†
Oculi *talpæ nervo optico deſtituti.* 3
Adverſus Oculorum *morbos remedia.* 187
Odontalgiæ *remedium.* 378.†
Officium *Mozarabicum.* 155
Oleum *camphoræ ex radice cinnamomi confortans.* 363.†
inſigne antiparalyticum externum. 363.†
lentiſci deſtillatum inſigne antiapoplecticum externum. 378.†
Oldenburgicum *cornu.* 337
Omnipræſentia *& attributa Dei alia a Socinianis deſtructa.* 473
Omniſcientia *Dei a Socinianis negata.* 473
Omnium *hominum ſalutem quo ſenſu Deus velit 1. Tim. II. 4?* 182
Opium *Nepenthes Homeri.* 350.†
Optatus *Milevitanus notatus.* 170

Oranum *in Africa ab Hiſpanis expugnatum.* 151
Ordo *Columnarum novus an poſſibilis?* 27
- *Gallicus, regius, ſacer, columnarum quis dici poſſit?* 27
- *Guilielmitarum a quo inſtitutus?* 165. 166
Originalis *peccati exiſtentia aſſerta.* 347
Originale *peccatum quo ſenſu dici poſſit incrementa capere cum corpore?* 428
- *num æternam promereatur pœnam?* 423. 428
Orphei *lyra.* 135
Oſcitatorum *convitio cur Gaudani petantur?* 341
De Oſculantium *circulorum radiis theoremata nova & generalia.* 267
Oſculatoris *circuli radius in terminis pure differentialibus.* 263
De Oſculis *varia.* 140
Oſculorum *calculus differentialis & natura.* 365
- *interſectiones & radius.* 374
Oſiandri *(Andreæ) gener Thomas Cranmerus.* 317.†
Ottomannicæ *Aulæ hiſtoria.* 185
Otto *Friſingenſis refutatus.* 468
In Ovo *animalium primordia.* 388
"Ουνια Φῦλα *quanam Ammiano Marcellino?* 428

PActa *hominum cum Diabolo negata.* 244. 248
- *illuſtrium ſucceſſoria.* 512
- *num locum habeant inter imperantes & ſubditos?* 85
Pacti *propriè dicti rationem habuit Edictum Nannetenſe.* 84
Panis *geſta cum Moſaicis collata.* 212
Panis *Angelorum Manna.* 261
De Pane *varia.* 342
Pantheon *cum Vaticana Baſilica collatum.* 405
Panvinius *emendatus.* 325
Pappus *notatus.* 113
Parabola *non eſt curva elaſtica.* 263
Paradiſi *ſitus.* 99. 282
Parelii *inſoliti, eorumque cauſa.* 316. ſeq.
Paroxiſmi *febriles cur ſtatis redeant temporibus?* 361.†
Paſquierii *Epigramma in conjugem ſemper querulam.* 308
Paſtor *ſacram cœnam adminiſtrans num una cum cœtu communicare debeat?* 371.†
Patinus *(Guido) notatus.* 309
D. Pauli *ad Laodicenſes Epiſtola.* 337
Pauliana *actio contra donatarium ne quidem Eccleſiæ conceditur, ſi donatio bona fide facta.* 131
Peccatum *originale num dici poſſit ex corpore provenire?* 428

Digitized by Google

num æternam promereatur pœnam? 423.428
Pedum *lotionis ritus.* 172
clavorum remedium. 378
ulcera non tuto ſemper curantur. 5
fœtor ſuppreſſus febris ardentis cauſa. 3
Pentateuchi *auctor Moſes.* 19
Perduellionis *crimen a ſubdito Status Imperii commiſſum an ad Imperatoris cognitionem pertineat?* 433
Peregrina *communio a Laica diverſa.* 370.†.375.†
Perpetuæ & *Felicitatis Martyrum paſſionis Acta num genuina?* 302
Petavius *notatus.* 286
Petiti *(Samuelis) Obſervationes MSS. in Joſephum.* 160
D. Petri *Altare ligneum Romæ in Baſilica Lateranenſi.* 323
Confeſſio, locus in Baſilica Vaticana. 327
Phænomenon *cœleſte triangulare.* 58
Philippi *Auſtriaci cum ſocero Ferdinando Catholico de Regno Caſtiliæ contentio.* 150
I Hiſpaniæ Regis indoles ac mores. 155
A Philippo *II Hiſpaniæ Rege ſervata Eliſabetha, Angliæ poſt Regina.* 355.†
Philoſophiæ *Civilis Lineamenta.* 93
prima Emendatio. 110
Philoſophorum *veterum concubinæ.* 123
Phiſchon *fluvius idem cum Chryſorroa.* 100
Phthiſis *morbus ſolſtitialis.* 350.†
Phthiſicæ *tuſſis remedium.* 378.†
Φιλαυτία *fons Enthuſiaſmi.* 120
Pictorum *errores varii.* 342
aliorumque artificum Catalogus. 385.†
De Pictura *veterum libri tres.* 384.†
Pietas *ex numis antiquis delineata.* 127
Pilularum *anticachecticarum ex gummatibus deſcriptio.* 363.†
Plagiariorum *ſyllabus.* 343
Plantarum *ſuccus nutritius quomodo elevetur?* 344.†
Americanarum deſcriptio. 461
Plato *quo ſenſu communionem uxorum probaverit?* 387
Ex Platonica *Philoſophia origo antiquarum hæreſium.* 387
Pleiadum *diſtantia major quam a Ricciolo deprehenſa.* 343.†
Pleuritis *ab ira.* 4
Pluviæ *quantitas Pariſiis quadriennio delapſa.* 342.†
Pluvia *ſulphurea, qua Sodoma periit, qualis?* 106
Pocula *antiquorum qualia?* 342
Poculorum *ablutionis quæ ratio in*

Digitized by Google

in Eccleſia Romana? 189
vitreorum apud Judæos & Græcos uſus in copula neonymphorum. 190
Podagra *nemini niſi volenti injuriam facit.* 331. †
cur artus tantum occupet? 332. †
Podagræ *natura.* 331. †
cura abſque medicamentis. 331. †
quomodo ſuccurrendum? 334
Poemata *Latina P.D.Huetii.* 240
ſelectiora Auguſti Buchneri. 283
Hadriani Valeſii. 310
Pœnales *actiones contra hæredem locum non habent.* 132
Pœnarum *apud diverſas gentes diverſa ratio.* 88
Poeſeos *antiquitas.* 19
Poetarum *Danorum Carmina.* 27 ſeq.
Poli *Cardinalis ſtudium in Anglia ſub obſequium Romani Pontificis reducenda.* 324
Polonia *nunquam tributaria facta.* 462
Poloniæ *ſtatus antiquus.* 466
Polonis *num capillorum tonſura injuncta?* 468
Polonorum *quidam Principes cur Regis titulo abſtinuerint?* 468
jus in Boruſſiam. 469 ſeq.
cum Turcis bella. 471
Polygamia *oblique a Moſe taxata.* 21
Polymathia *medica.* 350. †
Pontificatus & *Regnum quando apud Hebræos conjuncta?* 56
Pontificatum *quomodo Annas & Caiphas Luc. III. 2. ſimul geſſerint?* 56
Pontificis *Romani electionis ritus.* 315. †
Pontificum *Romanorum numiſmata.* 216
Πορνεία *quid Act. XV. 29?* 236
Portus *ut expurgari & profundiores reddi queant?* 80
In Poſſeſſorio *ſuccumbit, qui ex re judicata poſſeſſionem ſibi deberi demonſtrat, per literas tamen privatas ultro ceſſiſſe eam arguitur.* 131
Praxis *fori Batavici.* 114
Praxeos *juridicæ progymnaſmata.* 429. †
De Prædeſtinatione *ſententia Reformatorum.* 351
Prædeſtinationis *abſolutum decretum negatum.* 428
Præjudiciales *actiones.* 433
Precationum *diverſa genera.* 140
Precum *omiſſio primis parentibus fuit exitio.* 350
Presbyter *Johannes fruſtra in Abyſſinia quæſitus.* 63
Priſcianus, *rectius Praſcianus.* 310
Problema. *v. Curva.*

Problema *Elaſticum difficilius catenario, & cur.* 263
de inveniendo ſinu recto, ex dato arcu & radio. 439
Prophetarum *valles ſacræ.* 38. ſeq.
in vaticiniis cur ordo ſæpe turbatus? 56
Prophetia *Henochi quæ Judæ v. 14?* 368. †
Propugnaculorum *alæ conditiones.* 141
Protectionis *Jus. v. Advocatiæ Jus.*
Proteſtantium *doctrina collata cum doctrina Quakerorum.* 119
Protoplaſtorum *a ſerpente ſeductio quomodo contigerit?* 102
Providentia *divina num ab Epicuro agnita?* 104
Proverbia *Salomonis illuſtrata.* 406
Proverbiorum *Salomonis verſiones.* 407
Pruſſia. *vid. Boruſſia.*
In Pſalmis *Davidicis vindicata de Chriſto myſteria.* 412
Pudor *primorum parentum unde?* 103
Puerorum *luſus varii.* 341
terriculamenta. 341
Puſendorfii *(Samuelis L. Baronis) elogium.* 444
Pulſus *frequentior non eſt ſignum infallibile auctæ efferveſcentiæ & circulationis.* 360. †
Puncta *Hebraica exploſa.* 17
Pulveris *Ryſſelii præparatio.* 381. †
Pyrmontenſis *Comitatus unde ſic dictus?* 301

Quadratura. *v.* Curva.
Quakerorum *doctrina tum cum aliorum heterodoxorum, tum cum Proteſtantium placitis comparata.* 119

Radix *amara Homeri reputatur Gentiana.* 350
Radix *Serpentina Virginiana febrem intermittentem tollit.* 378. †
Rationis *in rebus Theologicis uſus.* 243
Reformatæ *religionis libertas Galliæ ſalutaris.* 83
Reformatorum *in Gallia apologia.* 81
in Galliam merita. 83
Refractio *glaciei minor, quam aqua.* 341. †
Regeneratio *alia realis, alia ſacramentalis, ex ſententia H. Witſii.* 91
Regeneratio *num omnibus rite baptizatis conferatur?* 91
Regibus *an reſiſtere liceat?* 327. †
Regius *ordo columnarum quis dici poſſit?* 27
Regno *Chriſti num Judæi ante finem mundi ſubjiciendi?* 354
Regnum *Dei quid Johan. III. 5?* 355

Religio

Digitized by Google

Religio *Chriſtiana num conformis naturæ?* 427
Religionis *libertate non ſemper conſultum Reipublicæ.* 358.†
Religiones *diverſæ num in Republica tolerandæ?* 83
Remedium *antidyſenteriacum.* 378.†
De Repræſentationis *jure Tractatus.* 460
Reſurrectio *corporum numero eorundem aſſerta.* 347.†
Rhodii *Phœnices.* 214
Ricciolus *circa Pleiadum diſtantiam notatus.* 343.†
Rittershuſius *notatus.* 159
Romani *num Sarmatiam ſubjugaverint?* 465
Romani *Pontificis electionis ritus.* 315.†
Romanum *Imperium num ad finem uſque mundi duraturum?* 37
Roſtgaard *(Fridericus) Danicorum poëmatum collector, Epigrammate honoratus.* 33
Rubedo *& ſudor faciei poſt mortem.* 4
Rubeniorum, *patris & filii, Elogium.* 284
Rudolfinæ *Tabulæ notatæ.* 342
Ruſſicarum *Legationum ad exteros Principes cauſa, mercatura pellium pretioſarum.* 63
Ruſſici *Imperii fines ſenſim ad confinia Regni Sinenſis prolati.* 61
Ruſſi *ſuſpicaciſſimi.* 62
difficiles in tranſitu exteris per ditiones ſuas concedendo. 62
Ruta *anaſarcæ externe medetur.* 378.†
Rüterum *inter & Trompium Archithalaſſos Batavos æmulatio.* 345
SAcerdotii *Hebræorum ratio.* 56
Sacer *ordo columnarum quis dici poſſit?* 27
Sacrificati *qui in veteri Eccleſia?* 169
Sacrificiorum *ritus.* 167
De Saga *Endorienſi ſententia Balth. Bekkeri.* 244
Adverſus Sagas *quomodo procedi in foro ſoleat?* 252
Salis *polychreſti præparatio nobilior vulgari.* 380.†
Salis *ſtatua, in quam Lothi uxor converſa putatur, figmentum Judæorum.* 107
Sal *podagram excitans media poteſtatis eſt inter fixum & volatile, i.e. eſſentiale.* 332.†
Sal *quomodo podagram excitet?* 333.†
Sal terræ *cur dicti Apoſtoli Matth. V. 13?* 139
Salivalium *ductuum inferior conformatio diverſa.* 50
Salmaſii *(Claudii) Elogium.* 157. 240

Salma-

Salmaſius *notatus.* 164
In Salomonis *libros commentarius Jacobi Benigni Boſſueti.* 406
Salomonis *templum cum templo Vaticano collatum.* 405
Saltationes *Chriſtianis olim prohibitæ.* 172.173
Ad Salutem *æternam conſequendam num ſufficiat lumen Naturæ?* 424
Samuel *num Pontificis Maximi munus geſſerit?* 57
Samuelis *apparitio Sauli facta qualis ex mente Bekkeri?* 244
Sanderus *(Nicolaus) notatus.* 359.†
Sanguinei *&* *Phlegmatici præ Cholericis & Melancholicis ad uſum Virgulæ divinæ apti.* 37. 38
Sanguineum *inſecti genus.* 389
Sanguinis *mixtio turbata eſt cauſa febris.* 360.†
Sanguinis *ſerum lacteum.* 3
Sanitatis *quidditas.* 366.†
Sapientes *ſeptem Græciæ.* 139
In Sapientiam, *quam vocant, Salomonis commentarius.* 410
Sapientia *Salomonis num liber Canonicus?* 410
Sara *gentilium Venus.* 213
Sarmatæ *num a Germanis oriundi?* 464
num a Romanis devicti? 465
Satan. *v.* Diabolus.
Ex Satisfactione *Chriſti pro noſtris criminibus validiſſimum pro ejus divinitate argumentum.* 417
Satyri *unde dicti?* 212
Sauberti *(Johannis) Elogium.* 55
Scabies *membrorum paralyticorum mortem præſagit.* 3
Scaligeriana *a quo edita?* 164
Scaliger *notatus.* 286
Scarificatio *medetur hydropi.* 4
Scorbuti *cauſa.* 361.†
Scorbuticæ *maculæ poſt mortem erumpentes.* 4
Scorbutus *quos morbos comprehendat?* 362.†
Scotiæ *hiſtoria regnantibus Maria & Jacobo I.* 449. ſeq.
Scribarum *a legis peritis diſcrimen apud Judæos.* 57
Scriptura S. *& ratio quomodo conſentiant?* 243
quo in pretio ſit apud hodiernos Judæos? 304
Scripturæ S. *auctoritas unde pateat?* 344. ſeq.†
Scripturæ S. *interpretatio acroamatica & exoterica.* 281

Loca illuſtrata.

Loca illuſtrata.

Geneſ.	I. II. III.		97. ſqq.
	III.	14.15.	349.
		22.	350.
	VI.	14.	369.
	XII.	3.	16.
		15.	18.
	XVIII. XIX.		258.
	XIX.	24.	105.
		26.	107.
	XXI.	9.	235.
	XLI.	8.	18. 249.
		23.	18.
Exod.	XXI.	6.	339.
Levit.	XXI.	7.	57.
Num.	XXV.		41.
Deuter.	V.	2. 3.	349.
	XVIII.	10.14.	245.
Joſ.	VI.	17.	259.
	VII.	26.	42.
Jud.	VI. VII.		44.
	XVI.	19.	341.
1. Sam.	XVI.	14.	262.
	XXV.	37.	108.
	XXVIII.		244.
2. Sam.	VII.	12.13.	352.
	XIV.	26.	235.
Job.	XIV.	5.	425.
Pſalm.	XXIII.	4.	69.
	XLV.		409.
	LXXXIV.	7.	68.
	CX.	6.	235.
Proverb.	XXX. XXXI.		77.
Eſa.	II.	4.	353.
	V.	4.	425.
	VI.		39.
Eſa.	IX. X.		44. ſeqq.
	XIX.	18.	11.
	XXII.		72.
	XXVIII.	21.	40.
	XXX.	30.33.	75.
	XXXVII.	12.	99.
	XXXVIII.	5.	425.
	LXV.		44.
Jerem.	X.	2.	342.
Ezech.	I.		38.
	X.		38.
	XXVII.	14.	135.
	XXXIX.	11.	45.
Daniel.	VII.	14.	180.
	XI.		72.
Hoſ.	I.	3-11.	70.
	II.	14.15.	42.
Joel.	III.	2.	76.
		18.19.	41.
Nah.	I. ſeqq.		76.
Zachar.	III.	1.2.3.	368.
	VI.	1-8.	68.
	XIV.	5.	70.
Matth.	III.	11.	354.
	V.	13.	139.
	XVI.	11.	180.
	XIX.	30.	354.
	XX.	16.	354.
	XXIII.	29-32.	235.
		35.	356.
	XXVI.	26.	372. †
		29.	372. †
	XXVIII.	19.	413.
Marc.	XV.	25.	138.
Luc.	III.	2.	56.
	XVII.	32.	108.

Luc.	XVIII.	8.	367.†
	XXIV.	26.	418.
Johan.	I.	3. 4.	308.
		32.	179.
	III.	5.	355.
		16.	414.
	XIX.	14.	138.
Actor.	VIII.	1.	57.
	XV.	29.	167. 236.
	XIX.	24.	190.
Rom.	VI.	12.	423. 428.
	VIII.	10. 11.	236.
	IX.	12. 15.	354.
		26.	366.†
		32.	181.
1. Cor.	III.	13.	356.
	V.	9. 11.	236.
	VII.	14.	91.
	VIII.	7.	167.
	X.	19.	167.
	XV.	29.	356.
2. Cor.	IV.	13.	346.†
Gal.	III.	20.	183.
	IV.	24.	349.
		29.	235.
Eph.	IV.	9.	353.
	V.	26.	92.
Phil.	IV.	6.	140.
1. Tim.	II.	1.	40. 236.
		4.	182.
	IV.	8.	349.
Tit.	III.	5.	92.
1. Petr.	I.	22.	346.†
	III.	19.	351.
	IV.	6.	352.
2. Petr.	II.	11.	368.†
1. Joh.	V.	17.	414.
Ebr.	XIII.	2.	258.
		8.	349.
Jac.	II.	25.	259.
Jud.			368.†
Apocal.	II.	6. 15.	41.
	III.	17.	103.
		20.	372.†
	IV.		40.
	XIII.	8.	353.
	XVI.	12-16.	71.
		15.	103.
	XVII.	8.	353.
	XX.	7-10.	74.

Scytharum *ortus & res geſtæ.* 8

Scytharum *veterum Religio.* 135

Philoſophia. 136

Semen *clematis peregrini veſicatorium.* 378.†

Semen *Davidis duplex.* 352

Semine *num gaudeant mulieres?* 341

Seminis *liberantis, ſeminis liberati, ſeminis ſerpentis appellationes unde?* 349

Senatui *Romano qualis circa numos cudendos auctoritas?* 231

Senex *quatenus a culpa excuſandus?* 329.†

Senſus *brutis adjudicatus.* 388

Septuaginta *Interpretum numeros Ebraicos emendandi propoſitum.* 109

Septuagintaviralis *V. T. verſio unde tantam auctoritatem fuerit conſecuta?* 13

Sequeſtratio *documentorum. V.* Documenta.

Series

Series infinita. *v.* curva.
Serrata *numiſmata quænam?* 227
Servitus *inter Chriſtianos ſublata.* 430
Serum *ſanguinis lacteum.* 3
cum urina excretum. 3
Siberia *magis magisque exculta.* 61
Sicarii *virgula divina indagati.* 34
Sileſia *Bohemiæ Regno quomodo acceſſerit?* 469
Simon *(Richardus) refutatus.* 353
Sluyſen *Batavis quid?* 19
Sociniani *refutati.* 413.ſeq.
Socinianiſmus *refutatus.* 472
num Hæreſeos nomen mereatur? 473
Socinianorum *dogmata cum placitis Arminianorum comparata.* 345.†
Sodomæ *everſio quomodo contigerit.* 105.106
ſitus. 105
Sol. *v.* Obſervatio.
Solis *apparitio in Nova Zembla Batavis inſolito tempore facta, unde?* 318.ſeq.
in diſco Mercurius obſervatus. 343.†
ſemidiameter apparens. 376
Soles *tres eodem tempore ſuper Horizonte viſi.* 316
Solſtitialis *morbus, Phthiſis.* 350.†
herba, gramen. 350.†
A Solymis *num condita Hieroſolyma?* 213
Per Somnium *indicata mors.* 1
S. Sophiæ *templi Conſtantinopolitani ichnographia.* 329
Sorberii *(Samuelis) vita ac ſcripta.* 160
Specificum *antipodagricum.* 334.†
Sphæricæ *doctrinæ Elementa.* 118
Spinoza *(Benedictus) refutatus.* 353
Spirituum *animalium pro reſiſtentis impendendorum quantitas.* 204
Spirituum *locus.* 257
Spiritus S. *diſtincta a Patre & Filio perſona.* 413
Spiritus S. *num non detur niſi credentibus?* 346.†
Spiritus S. *teſtimonium num requiratur ad Scripturæ S. auctoritatem fide divina credendam?* 345.†
Statua *ſalis, in quam Lothi uxor converſa putatur, figmentum Judæorum.* 107
Stellæ *Magorum.* 342
Stephani *protomartyris reliquiæ.* 6
Strauſius *(Johannes) notatus.* 63
Strype *(Johannis) Hiſtoria Thomæ Cranmeri emendata.* 325
Suavis *(Petri) Hiſtoria Concilii Tridentini.* 314.†
Subſtantia, *etiam corporea, ab agendo nunquam ceſſat.* 112
Subſtantiæ *notio.* 111
De Subſtitutionibus *Hæredum Tractatus.* 459
doctrina Baldo admodum quæſtuoſa. 460
Succeſſoria *illuſtrium pacta.* 52
Succinum *flavum antihydropicum.* 375.†
Succus *Melidonii vulneribus recentibus medetur.* 378.†

nutritius plantarum quodo elevetur? 344.†
Suevicum *iter P. D. Huetii.* 240
A Suffocato *abſtinentia cur ab Apoſtolis præcepta?* 168
Sulphur *ex antimonio.* 381.†
Superfœtatio *repetita.* 3
Suppoſititii *nummi ut a veris diſcernendi?* 229
Suſannæ *ad laſcivos ſenes ſermo eleganti carmine expreſſus.* 31
Suſpendium *virginum Mileſiarum.* 350.†
Symbola *in nummis.* 229
Ex Symbolo *Apoſtolico aſſerta S. S. Trinitas.* 416
Synedrium *magnum & minus apud Ebræos.* 56
Sypeſteinii *(Henrici) Epiſtola de plagio literario.* 343
Syria *& Phœnicia ſæpius confunduntur.* 213
Syria *Paradiſi ſedes.* 99
TAcitus *illuſtratus.* 209.ſeq.
Talparum *oculi nervo optico deſtituti.* 3
Tangentium *methodus. vid. Methodus.*
Tartaris *num tributarii Poloni?* 471
Tartarorum *Calmuccorum regimen, moresque.* 62
Tellerii *(Caroli Mauricii) Archiepiſcopi Remenſis, Bibliotheca.* 353.†
Templi *Vaticani Deſcriptio.* 401
Tenſiones *num viribus tendentibus proportionales?* 270
Tenſionum *lege data, reperire Elaſticam, & vice verſa.* 267
Teraphini *quid?* 246
Terentiorum *nomen apud Romanos celeberrimum.* 139
Terminus *vitæ num fatalis?* 425
Ex Terrore *tetanus.* 3
De Tertulliani *ſtylo judicium Balſaci.* 157
Tertullianus *notatus.* 170
Teſtamenta *Illuſtrium in Germania an præciſe ſecundum Jus Romanum condenda ſint?* 442
Tetanus *ex terrore.* 3
In Theam *Elegia P. D. Huetii.* 240
Theoduli *Monachi varia nomina.* 385
Theologia *Judaica moderna.* 303
Chriſtiana Philippi a Limborch refutata. 345.†
Theologicæ *Inſtitutiones Nicolai Gürtleri.* 346
Theologiæ *ſacræ nucleus.* 237
Syntagmata P. Auguſtini Laurentii. 458
Syntagmatum & compendiorum neceſſitas & uſus. 346
Tholus *duplex Vaticanæ Baſilicæ.* 404
Thuringorum *origo.* 337
Tolerantium *religio in Pyrrhoniſmum degenerat.* 419
error gravior quam Antitrinitariorum. 419
De la Torre *familiæ nomen unde?* 146
De Traditione *ſententia Judæorum.* 304
Traditores *in veteri Eccleſia qui?* 170
De Trajectenſi *Epiſcopatu agitata olim controverſia.* 188

Digitized by Google

Transactio *inter patrem & filium de bonis maternis ſolius metus reverentialis prætextu non reſcinditur.* 130
Tranſcendentales *lineæ. v. Curva.*
Triangulare *phænomenon cœleſte.* 58
Tributariæ *gentes quænam propriè?* 463
S. Trinitatis *myſterium primi parentes adhuc integri non ignorarunt.* 350
Triumviratuum *in Romana Republica hiſtoria.* 443
Trogi *Pompeji libri num in Epitomen a Juſtino prudenter redacti?* 364.†
Trompii *(Cornelii) vita & res geſtæ.* 343
Trompium *inter & Rüterum Archithalaſſos æmulatio.* 345
Turcici *Imperii hiſtoria.* 185
Turennii *contra Condæum Principem geſta.* 296
Tutela *Illuſtrium in genere.* 441
Electoralis Teſtamentaria. 442
Matris aut aviæ illuſtris. 434
materna utrum etiam in bonis feudalibus locum habeat? 434
Tutelares *Rationes impugnatæ ac defenſæ.* 435
Tutelaris *Conſtitutio.* Vormundſchaffts-Ordnung. 434
VAleſii *(Hadriani) vita & ſcripta.* 307. 309
Valeſius *(Henricus) notatus.* 8
Valles *Prophetarum ſacræ.* 38. ſeq.
Varillaſius *notatus.* 96
Poſt Variolas *furunculi.* 2
Vaſalli *coram Electore Palatino conveniri poſſunt, licet Nobiles Imperii immediati ſint, & cauſa feudum ipſum, quod ab Electore recognoſcunt, non concernat.* 131
Vaſqueſius *notatus.* 370.†
Vaticanæ *Baſilicæ veteris deſcriptio.* 326
Vaticani *Templi deſcriptio.* 401
agri ſitus & loci memorabiles. 402
Vaticanus *Obeliſcus tranſlatus.* 403
Ob Vectigal *non ſolutum quando merces in commiſſum cadunt, dominus earum vectorem non validè convenit, ſi inter eos conventum, quod vector nihil negotii cum ſolutione gabellæ habere debeat.* 132
Veli *a vento expanſi figura.* 340.†
Velum *num a Chriſtianis Imperatoribus in munis admiſſum?* 228
Venditio *doloſa hæreditatis alienæ nulla eſt, licet pacto evictionis præſtatio remiſſa.* 130
Ex Vendito *fundo ad certos pedes, ſi Magiſtratus autoritate quid detrahatur, in quantum emtori regreſſus detur contra venditorem?* 131
Venedi *a Wandalis diſtinguendi.* 464
Venus *Gentilibus eadem, quæ Hebræis Sam.* 231
Vermis *ſternutando e naribus rejectus.* 4
Verſio *Latina textus Hebræi V.T. quomodo adornanda?* 14. ſeq.

Veſica-

Digitized by Google

Veſicatorium *ſemen Clematidis peregrina.* 378. †
A Veſpera *cur ab Hebrais dies inchoatus?* 98
Veſtes *Iſraelitarum in deſerto non detrita.* 235
Veſtis *primorum parentum, non niſi ſcena foliis ficulneis tecta.* 103. 105
Vigilantius *defenſus.* 169
Vignolæ *(Jac. Barozii) vita.* 25
Villacum, *urbs Carinthia Epiſcopo Bambergenſi ſubjecta.* 96
Contra Rei Vindicationem *exceptio rei vendita ab actoris ſocio non admititur.* 130
Viperæ *morſus quomodo curatus?* 341. †
Vires *dilatatrices fibrarum reſpectiva earumque calculus.* 203. ſeq.
tendentes an tenſionibus proportionales? 270
Virgæ *Mercurii ortus.* 350. †
De Virginum *11000 martyrio fabula unde orta?* 309
Virgulæ *divina utilitas in indagandis fontibus, theſauris, furibus & ſicariis.* 34
uſus antiquiſſimus. 35
phanomena. 35
Virium *fibras dilatantium & reſiſtentiarum ratio.* 202
Vitæ *terminus num fatalis?* 425
Uladiſlaus *Polonus & Uladiſlaus Bohemus male confuſi.* 469
Ulcera *pedum non tuto ſemper curantur.* 51
De Umbra *Obſervationes varia.* 118
Unctio *familiaris Judais.* 237
Regum Iſraeliticorum. 237
Ungaria, *vide* Hungaria.
Unguentorum *uſus num recte Chriſtianis prohibitus?* 171
De Voluptate *doctrina Epicuri.* 125
Vomitoriorum *utilitas.* 363. †
Voſſius *(Iſaacus) refutatus.* 104
(Gerh. Joh.) notatus. 301
Votivorum *numorum quis modus?* 224
Urinæ *incontinentia remedium.* 370. †
Urſi *in Lithuania cur tota hyeme dormiant?* 63
De S. Urſula *& 11000 virginibus martyribus fabula unde orta?* 309
Uteri *Conſenſus cum labiis oris.* 3
Vulneribus *medetur ſuccus melidonii.* 378. †
Vultus *quid in numis?* 219. 227
Uxor *Lothi quomodo in ſtatuam Salis transmutata fuerit?* 350. †
Uxorum *communionem quo ſenſu Plato admiſerit?* 387

WAndali *alii a Venedis.* 464
Weigelii *(Valentini) deliria.* 314. †
S. Wilhelmi *Magni vita.* 165
Wolzogenius *(Ludovicus) defenſus.* 116

XImenii *Cardinalis vita & res geſta.* 145

-:(o):-

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z16??8620?
Digitized by Google